

www.e-rara.ch

Syntagma, seu Corpus doctrinae Christi

Wigand, Johann

Basileae, 1560

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3042>

Prima pars doctrinae Christi ex Evangelistis

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRIMA PARS DO-

CTRINAE CHRISTI EX

EVANGELISTIS.

DE SCRIPTURIS VETE-
ris Testamenti.



A quæ in approbatis libris ueteris Testamen-
ti continentur, non esse ficticia, qualia in ethnî
eorum libris habentur, sed à Deo ipso prolata,
plurima historia Euangelicæ argumenta eui-
denter demonstrant: in primis uerò hæc duo, quòd IESVS
Christus filius Dei luculenter illas ueteres scripturas com-
mendat, atq; in suis cõcionibus crebrò usurpat: deinde, quòd
asserit, omnia quæ à Mose & prophetis diuino consilio tra-
dita sunt, Messiam adumbrasse, seq; iam singula exequi, &
in actû producere. Matthæi 22 affirmat Christus, Dauidẽ
in spiritu se uocasse Dominum: indicãs, Spiritum sanctum
per Dauidem de Messia substantia & officio prophetasse.
Et Zacharias Baptistæ pater disertè assenerat, Dominum
Deum Israhel locutũ esse per os sanctorũ prophetarum, qui
omnibus seculis uixerint, de exhibẽdo Messia, eiusq; benefi-
cij. Idẽ & Maria celebrat, dicens Dominũ locutũ esse ad
patres nostros, Abraham & semẽ eius in secula: quòd nimi-
rũ ex Abraham familia, semẽ benedictũ deberet nasci. Quæ
autẽ Scriptura ueteris testamenti maior autoritas attribui
potest, quàm eã ab ipso Deo patefactã et iraditã esse? Chri-
stus uincit diabolũ per Scripturã, Matt. 4. & Phariseos
se tentãtes. Matt. 21. Defendit discipulos cõtra Phariseos
ex Scripturis. Nõ legistis, inquit, quid fecerit Dauid, cum
fame laboraret? Corripit Sadduceos, ignorãtes scripturã.

A Summaris

3
 summam autem & lucem ueteris Testamenti, & ipsam
 adeo, ut uocatur subiectum, egregie explicat ipse Christus
 in nouo Testamento: Scrutamini, inquit, Scripturas. puta-
 tis enim uos in ipsis uitam habere, & illa sunt quae testimo-
 nium perhibent de me. Item: Si crederetis Moysi, credere tis
 Iohā. 5 & mihi: DE ME enim ille scripsit. Iohan. 5. Vult igitur
 Christus, prophetarum scripta diligenter cognosci: &
 subiectum monstrat, quod in ijs querendum est. Qua qui-
 dem in re quasi ardentē & claram faciem in ipsas tenebras
 collocat: & subindicat eos caeca nocte in prophetarum
 monumentis nauigare, qui non in ijs Christum perspiciant.
 Luca. 18 inquit: Nunc ascendimus Hierosolymam, & con-
 summabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de fi-
 lio hominis. Amemus igitur hanc Christi sententiam, quae
 ueluti egregius commentarius est in totum uetus Testamē-
 tum. Idem Philippus declarat, Nathanaeli latissimū nun-
 cium adferēs: Quem scripsit, inquit, Moses in lege & pro-
 phetis, inuenimus IESVM filium Ioseph à Nazareth.
 Iohan. 1. Eodem modo post admirandam suam resurrectionem
 IESVS discipulis suis scripturas ueteris Testamen-
 ti explicat. Narrat enim Lucas cap. 24, IESVM discipu-
 lis scripturam aperuisse, & dixisse: Sic scriptum est, & sic
 oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die:
 & praedicari in nomine eius penitentiam & remissionem
 peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Hierosolyma.
 Et paulo antè: Necessè est, inquit, implere omnia quae scri-
 pta sunt in lege Moysi, Prophetis & Psalmis, de ME. Iuxta
 hanc sententiam etiam quidam ueteris Testamenti libros
 pariuntur. Iudaei hunc IESVM Christum in ueteri Te-
 stamento non cernentes, nihil praeter literarum picturas ui-
 dent: &

PARS PRIMĀ.

dent: & monstrosas opinionibus etiam lucidissima dicta,
quasi densis quibusdam nebulis sponte obscurant.

Est & hoc obseruatione dignum, quod ex ueteri Testa-
mento, & legem & Euangelium annunciat IESVS. Sumit
enim inde expositionem legis moralis, & de ceremonialibus
quoque interdum discribit: deinde prophetias & figuras de Mes-
sia perspicue ad se transfert: & nihil se aliud facere testatur,
quam quod in prophetis iuxta consilium & patefactio-
nem Dei sit traditum.

Docet etiam IESVS, ueteris Testamenti prophetias
de Messia, in sese uno finiri atque consistere, nec longius
progredi. Sicut Matt. iii. inquit: Omnes prophetae & lex ^{mar. ii.}
usque ad Iohannem prophetarunt. Iohannes autem expressit ex **MESSIAS.**
tensa manu & sublato digito presentem Messiam, qui debe-
bat uictima pro peccatis humani generis fieri, exhibebat &
commostrabat. Tota igitur politia Moysi, mandato Dei
constituta, corruiere & aboleri debebat, quum Christus om-
nia peregisset quae ad suum officium pertinebant. Eamque ob
causam Iohannes extra templum Hierosolymitanum fun-
ctionem suam administrabat, & in Iordane baptismum in-
choabat. Christus post resurrectionem ideo emittebat docto-
res in uniuersum mundum. Denique etiam locus ipse ubi
religio Mosaeica maxime uigebat, destruebatur: ut rex ipse
doceret, Deum non tantum doctrina, sed etiam ingentibus
ac horrendis cladibus politiam Mosaeicam funditus eueris-
se.

Non autem sunt ea quae modo commemorauimus, tam
largiter accipienda, quasi nullum prorsus usum amplius ue-
tusi Testamentum in Ecclesia Christi haberet: sed eatenus
tantum, quod nunc exhibita sunt, quae illic uentura denun-
ciabantur: & quod umbram significantes Christum ac leges

ceremoniales atque politicae finem suum acceperint, statusque religionis à Christo ordinatus sit accipiendus. Nihilominus tamen scripta veteris Testamenti quam diligentissime legenda atque cognoscenda esse, Christus praecepit Ioh. 5. Scrutamini scripturas. Lucæ decimosexto: Habent Mosem & Prophetas, eos audiant. Et grauius reprehendit Sadduceos ob ignoracionem scripturae, Marci 12. Erratis, nescientes Scripturas.

Vetus Testamenti
legenda.

Ceterum libri veteris Testamenti, ex quibus in historia Euangelica partim à Christo, partim ab Euangelistis quaedam citantur sunt: Moyses, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Ionas, Micheas, Zacharias, Malachias. Psalmi, Regum historiae. Ipsa autem dicta in historia Christi occurrent, ut non sit necesse huc prolixè adscribere.

DE SCRIPTURA NOVI Testamenti, & de conuenientia ac differentia utriusque.

Vocatur usitate Nouum Testamentum, tota ea religionis forma, quam sua praesentia, ministerio, omnibusque actionibus constituit Christus. Etsi autem de cæna Domini tantum apud Euangelistas hæc appellatio extet Matt. 26. Marc. 14. Lucæ 22. quæ per se Nouum Testamentum est, ingens nempe & admirabile fœdus, quod iniuit Christus cum sua Ecclesia, quo corpus & sanguinem suum elementis certis sumendum ac bibendum reliquit, suamque doctrinam & beneficia ob signauit: tamen de toto corpore doctrinæ Christi etiam rectè usurpari potest, sicut fecerunt Apostoli. Nouum autem, ad differentiam veteris dicitur.

Iam conuenientia quaedam utraque Testamenta habere, ex cõcionibus Christi non obscure perspici potest. Vnus

namq; Deus est, utriusq; autor. In utroque legis & Euange-
lij concio sonat, Matthæi 22. ex Deut. 6. & Psal. 100. Vtra
que Christum annunciant, Iohan. 5. utraque docent, iusti-
ciam hominū corā Deo esse meritū atq; obedientiā Christi.
Luc. 24. Necessè est, inquit Christus, omnia implere, quæ
scripta sunt in lege Mosi, & prophetis & psalmis, de me.

cōcio legis et Eua-
gelij, sonat in utroq;
federe.

Sed & peculiare ac proprium quiddam unumquodq;
habere ex historia Evangelij liquet. Nam in ueteri Testa-
mento, aliquanto obscurius Evangelium annunciat, pro-
ponuntur umbra rerum futurarum: ut Iona, Matth. 12. ser-
pentis, Iohan. 3. agni, Io. 1. Dicitur de uētro Christo, eiusq;
operibus. Erant præcipui cultus certo loco alligati, templo
nimirum Hierosolymitano. Ideo enim Christus in templo
crebrò uersatur, & pascha Hierosolymis celebrat. Habebat
etiam uetus Testamentum de regno corporali annexas pro-
missiones. Ex hoc enim fonte nascitur quæstio, an iustum
sit, Cæsari, utpote alieno regi, censum dare? Matth. 22. Om-
nia habebāt suum terminum præfixum, quousq; durare de-
berent: sicut inquit Christus, Lex & propheta usque ad Io-
hannem, Matthæi 11. Prophetæ & sacerdotes aliquam poli-
tica gubernationis curā sustinebāt: sicut adhuc in Caipha
& reliquis sacerdotibus reliquiæ conspiciebantur, penes
quos ius erat capiendi Christum, licet superior iurisdictio
iam eis adempta esset. Erat sacerdotium externum, & ordi-
naria successio: sicut Christus præcipit leproso Matth. 8.
Vade & ostēde te sacerdotib. & offer munus tuum. Iudei
præ alijs gētib. habebāt suas quasdā prærogatiuas: ideo of-
fenduntur, quòd gentibus etiam beneficia præstet Christus.

Habet & Nouum Testamentum quadam sibi pro-
pria. Nam in nouo omnia plenissimè sunt perfecta,

qua in ueteri prae dicta fuerant: sicut Luca 24, Christus ipse disertè assueerat. proponit Christum exhibitum, eiusq; historiam à primis cunabulis fideliter narrat. Breuiter docet, Christum persoluisse omnia, quae lex ab hominibus suo iure postulabat, sicut testantur dicta: Veni legem adimplere, Matt. 5. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioh. 1. Illustrat articulum de gratia seu iusticia coram Deo, seu de remissione peccatorum: nempe maculatione Christi, totaq; eius obedientia, quae fide nobis applicatur: esse nos iustos, & habere uitam æternam. Iohan. 1. 16. Clare & perspicue affert & impertit remissionem peccatorum, ut Matthaei 9. quae quidem re Iudaei tanquam insueta, uehementer offenduntur. Instituuntur in eo palam clauis regni caelorum: Matthaei decimosexto, decimo octauo, Iohannis uigesimo.

Miracula plura & illustriora in nouo quam in ueteri sunt, nam patet se clarius ipse Deus. Vt in baptismo Christi ad Iordanè, pater uoce sonora filio suo stanti in undis testimoniū perhibet: Spiritus sanctus uisibiliter descendit è caelis: idem effunditur à Christo, afflatu in Apostolos. Mortui plures resuscitantur, uerbo innumeri curantur à uarijs plagis, idq; praeter omnes naturales causas. Christus ipse tertio die à mortuis resurgit: quo miraculo quodnam potest esse sublimius?

Sacramenta quoque in nouo sunt euidentiora. Nam ad baptismum, iuxta institutionem Christi, se tota Trinitas at ligauit, idq; ad hominis necessariam regenerationem. Matthaei 28. Ioh. 3. In caena Domini, pane uerum Christi corpus, uino uerus eius sanguis praebetur omnibus manducantibus & bibentibus, iuxta uerbum & institutione ipsius. At quanto praestantior & admirabilior est talis ac tanta

communica

communicatio, quam aspersio sanguinis ex mattata uictima? Abolet Christus in nouo Testamento politiam Mosaicam, prædicens euersionem admodum horrendam. Tollit nouum Testamentum funditus sacerdotium Mosaicum, & instituit ministerium uniuersale, nempe Apostolorum: & non alligatur amplius Ecclesia Dei ulli loco. Ite, inquit Christus, in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: quo dicto omnis prærogatiua uel loci uel personarum penitus aufertur. Habet prophetias de Pseudopphetis, de Antichristo, eiusq; reuelatione, de fine mudi, de signis antecedentibus, de extremo iudicio, de uita æterna maximè illustres. Denique noui Testamenti constitutio est postrema, neq; est alia expectanda, nisi quando Christus IESVS in Maestate sua apparens in resurrectione mortuorum, illa omnia re ipsa uisibiliter ac sensibiliter præstabit ac complebit, quæ iam uerbo suo omnibus credentibus condidit, & sacramentis ac spiritu sancto confirmat.

Ex hisce intelligi potest, nouum Testamentum ex ueteri fluere, & articulis fidei cum ipso congruere: nisi quod omnia hic clariora sint, & abolitis antiquis noua signa ac testimonia promissioni gratiæ sint affixa.

Summa autem rerum in nouo Testamento comprehensarum, in hoc dicto explicatur: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Marci decimo sexto. Et in hoc: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sed res noui Testamenti in cæteris quoque doctrinæ partibus tractanda uenient: proinde ad alia transibimus.

λογος **D**uae significationes uocabuli Verbi, aut Sermonis, potissimum in Euangelica historia reperiuntur. Una, qua solus Iohannes in exordio sui Euangelici libri utitur: ubi seipsum luculenter exponit: quod uerbum accipiat pro persona secunda Trinitatis, coessentiali & coaeterna Patri & Spiritui sancto, quae persona sit filius patris unigenitus, postea uero praefinitio tempore homo factus. Altera significatio est, quod appellatio uerbi sumitur pro doctrina reuelata & tradita per Christum, siue uia ipsius uoce, siue per suos ministros. Et in hac significatione hic usurpamus. Epitheta uero uaria interdum adijciuntur. Vocatur uerbum Dei, *Matthaei* dccimotertio: Qui uerbu Dei audit. *Luca* 8. Semen est uerbum Dei. Item, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt uerbum Dei. *Iohan.* 11. Beati qui audiunt uerbum Dei. *Ioh.* 8. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Non autem loquitur de substanciali uerbo in his dictis Christus, sicut *Ioh.* cap. 1. cum dicit, Verbum erat Deus: sed de doctrina, quam tradit. Discernit enim aperte se tanquam seminatore, & semen, hoc est doctrinam qua colligitur & plantatur Ecclesia. Appellatur autem uerbum Dei a causa efficiente, nam Deus id uerbu reuelauit, & proponit in eo suam uoluntatem, quam uult omnes homines nosse ac sequi: & est ipse Deus in eo uerbo efficax, licet homines id iuxta Dei mandatum proponat. Hinc Christus passim uocat uerbum suum, hoc est, quod ipse reuelarit, & adhuc tradat. Item uerbum patris: nam ipsius consilio & iussu filius ea docebat & illustrabat, quae alias humana ratio suis uiribus inquirere non ualebat. Sic recte Spiritus sancti uerbum dici potest. *promittit enim IESVS Spiritum sanctum, qui discipulos ac*

*Marth. 13.
Luc. 8.*

Ios ac totam Ecclesiam sit docturus: Iohan. 14. 15. 16. Eadē de causa & uerbum regni dicitur, Matth. 13. nam per illud Deus corda regit, & in suam Ecclesiam, quæ crebrò regnū celorum uocatur, imò & in æternam uitam homines colligit. Luca 4. Euangelista doctrinam Christi uerba gratiæ appellat, non tantum quia summa autoritate & suauitate proferebantur, sed omnium maxime, quia gratiam, hoc est fauorem Dei & remissionem peccatorum anxijis conscientijs adferebant. A simili effectu Petrus inquit: Domine, uerba uita æternæ habes, hoc est, quæ & annunciat & impertiunt uitam æternam: Iohan. 6. Item ueritas appellatur, Ioh. 17. Item uolūtas Dei, Iohan. 5. Hæc est uoluntas eius.

Ceterum ad uerbum Dei non tantum referri debent ^{ad uerbi dei referuntur} conciones noui Testamenti, sed & prophetarum, sicut monet Christus Luc. 16. Habent Mosē & Prophetas, eos audiant. Ioh. 5. Scrutamini scripturas. Matthæi 19. Christus deducit Phariseos, de repudio sciscitantes, ad scripturam: Non legistis, inquit, & c. Et Zacharias Luca 1. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum suorum, & Maria ibidem: Sicut loquutus est ad patres nostros.

Doctrinam igitur hanc à Deo profectam esse clarè docet Christus: Mea doctrina, inquit, non est mea, sed eius qui misit me. Iohan. 7. Ego quæ audiui à patre, hæc loquor in mundo. Iohan. 8. Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, mandatum mihi dedit, quid dicam & loquar. Iohan. 12. 14. Omnia quæ audiui à patre meo, nota uobis feci. Iohan. 15. Et Matth. 13. in parabola inquit: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. His enim uerbis plerumq; seipsum describit Christus. Et Iohānes disertè inquit: Unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et propter

hoc officium omnium maximè λόγος appellatur, Iohan. 1.

Neq; uerò tantum ante incarnationem, & postquam homo factus est, doctrinam cœlestem ipsemet protulit ac planxauit: sed docet insuper, se deinceps quoque missurum esse doctores Ecclesiæ salutare. Matth. 23. & Matth. 9 inquit Christus: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Est igitur missio, salutarium doctorum in Ecclesiam totiusq; ministerij cōseruatio, opus Dei. Et Christus ipse sanctificauit ministerium, ablegans suos Apostolos in uniuersum mundum: addita promissione, se apud ipsos futurum usq; ad con summationem seculi: Matth. 28.

Omnes esse ad hoc uerbum, quod IESVS Christus à cœlo protulit & tradidit, alligatos, uox admiranda, quam pater è cœlo edidit, testatur: Hic est filius meus dilectus, in quo delector, HINC AUDITE: Mat. 17. Marc. 9. Luc. 9. Et Christus inquit: Oues meæ uocem meā audiunt. Item: Alienū non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum: Iohan. 10. Item: Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas, Ioh. 17. Item: Docetes seruare omnia quæcunque præcepi uobis, Matth. 28. Docet præterea, etiā alios sonantes uerbum Dei, esse audiēdos tanquā ipsum Christum. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit.

Causa formalis est ipsa doctrina, quam de singulis articulis, Deo dante, recensebimus. Summæ autē breues sunt: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorū: Mat. 4. Pœnitentiā agite, & credite Euangelio: Marc. 1. Prædicate in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum: Lucæ 24. Spiritus sanctus arguet mundū de peccato, & de iusticia, & de iudicio. De peccato quidē, quod non

quod non crediderunt in me. De iusticia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. De iudicio autem, quod princeps huius mundi iudicatus est. Iohan. 16. Hæc dicta commonefaciunt de duabus principalibus partibus doctrinae celestis: nempe de Lege & Euangelio. Complectuntur & ista sententia quædam compendia uerbi Dei: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum: Matt. 11. Venit filius hominis saluare quod perierat: Matt. 18. Sic Deus dilexit mundum, & c. Ioh. 3. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti IESUM Christum: Iohan. 17. & similes, quamuis ad alteram partem, nempe Euangelium, maxime uideantur pertinere.

De effectibus & fructibus uerbi Dei magnifice Christus docet, nempe quod afferat ueram patris cognitionem. Nam Luc. 10. inquit, se reuelare patrem. Verbum Dei affert cognitionem filij. Iohan. 6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Iohan. 5. Illa sunt, quæ testimoniū perhibent de me. Affert hoc ingens bonū, quod pater & filius, discentes uerbum singulari amore complectantur, & in ijs uelint habitare: Iohan. 14. Qui habet mandata mea, is me diligit, & uicissim diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Affert uitam æternam, liberat à damnatione. Iohan. 5. Qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet. Iohan. 6. Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus sunt & uita. hoc est, per uerbum spiritus sanctus & uita dantur. Iohan. 8. Si uos manseritis in
- sermon

sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Item. Si quis sermonem meum seruuabit, mortem non uidebit in æternum. Iohan. 12. Mandatum eius uita æterna est.

¶ In uersa scriptura & uerbi diuini finem, Iohannes in conclusionem sui libri cap. 20 complectitur: Hæc scripta sunt, inquit, ut credatis, quia IESVS est filius Dei: & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. Luc. 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, et custodiunt illud. Affert artificiosam coniunctionem cum Christo, Lucæ 8. Mater mea & fratres hi sunt, qui uerbum Dei audiunt, & faciunt. Et in parabola de semine docet Christus, uerbum Dei non abire sine fructu, & quidem etiam tricesimum aut sexagesimum, aut denique etiam centesimum proferre: id quod de internis & externis fructibus intelligi debet. Quod præsidium quasi firmissimum aduersus omnis generis pericula, imò etiã contra terrores mortis & diaboli, uerbum Dei suppeditet. præclare Christus monet Matt. 7. Luc. 6: Omnis qui audit uerba mea, & facit, assimilabitur uiro sapienti, qui adificauit domum suam super petram: & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Hæc testimonia docent, Deum per hanc suam uocem semper esse in sua Ecclesia efficacem, et uberrimè largiri cœlestia & æterna bona. Huc iterum pertinet, quod Christus pollicitus est, se perpetuò huic ministerio, in quo uox ista cœlestis incorruptè sonat, adfuturum: & monet, Spiritum sanctum mundum esse reprehensurum, & simul de ueritate commonefacturum: Iohan. 16. Imò & Apostolis afflatu Spiritum sanctum hanc potissimum ob causam impertit, Iohan. 20. Facit
 & hoc

et hoc ad commendandam potentiam uerbi, quod Christus solo uerbo mortuos resuscitat, et omnis generis morbos efficit efficacissimè sanat.

Sed et hoc commune facit Christus, quod non apud omnes auditores equaliter fructificet uerbum Dei. Ipsimet auditores Christi non sunt omnes conuersi: sicut grauitate de Capernaum, Corazim, Bethsaida, et toto populo conqueritur, quod non cognorit tempus uisitationis sue. Et Ioh. cap. 1. admodum tristes querela recitantur: In propria uenit, et sui eum non receperunt. Hac et in parabolis quasi depingit Christus, ut Matthæi 13, ubi tres partes seminis iacti in agrum, pereunt: partim, quia diabolus auferat ex cordibus humanis uerbum: partim, quia homines uoluptatibus et diuitijs huius uitæ irretiti, ceu spinis, et abhorrentes persecutionem et paupertatem, abijciant fidem, et excutiant bona cœlestia. Sic Matthæi 22. Luca 14. ait Christus, omnes quidem uocari ad epulas atque gaudia nuptialia, uerum plebrosque non tantum aspernari uocem, sed etiam nuncios crudeliter interficere. Et clarè de ministerio præmonet: Si me persecuti sunt, et uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, et uestrum seruabunt. Iohan. 15.

Quod autem temporales atque aeternæ pœnæ contemptum uerbi sint comitaturæ, atrocibus uerbis non rarò comminatur Christus. Sic multis lachrymis indicat et deplorat uenturam calamitatem Hierosolymorum temporalem, nempe cruenta bella: idque ob uerbi Dei contemptum, et persecutionem ueri Messie. Veniet, inquit, dies in te, et circumdabunt te inimici tui uallo, et obsidebunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris

cognoueris tempus uisitationis tue. Lucae 19. Eadem fufus
 tractantur à Christo Matthæi 24. Idem parabola de nuptijs
 commonefacit. Rex iratus (cognito nimirum uocatorum fa-
 ftu & crudelitate) miffis exercitibus fuis perdidit homici-
 das illos, & ciuitatem eorum succendit. Neq; exigua dam-
 na funt, utpote fpiritualia, quæ in ipfa parabola de femini-
 bus pereuntibus adumbratur: nempe quòd cor ob duritiem
 non capiat uerbum Dei, & diabolus eius fructum impe-
 diat & auferat. Quid triftius dici potefl, quàm efle organo
 iftius impuri fpiritus? item, fidem extingui curis mūdānis,
 & rebus profus caducis ac fluxilibus? Porro neq; ea pœna
 leuis putanda efle, quòd parabola indicat, perire etiam om-
 nem confeffionem & constantiam in perfecutionibus, con-
 temptoribus uerbi: & nullam eos in terroribus confeffionis
 confolationem tenere, fed flaccefere & arefcere: hoc efle, om-
 nino desperare. Sic & in parabola de conuiuio dicit Chri-
 ftus, eos non futuros efle participes bonorū quæ uerbo Dei
 difpenfantur, qui noluerunt id amplecti. Nemo, inquit, uir-
 rorum qui uocati fuerant, guflabit cœnam meam: Luc. 14.
 Huc pertinet & illud Matth. 7. Omnis audiens uerba mea,
 & non faciens, fimilis erit uiro flulto, qui ædificauit do-
 mum fuam fupra arenam: & descendit pluuia, & uenerunt
 flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam,
 & cecidit, fuitq; ruina eius magna.

De aternis pœnis, quibus Deus contemptum uerbi ul-
 cifcetur, hæc dicta concionantur: Matth. 11. Væ tibi Cora-
 zin & Bethfaida. nã fi in Tyro & Sidone factæ fuiffent
 uirtutes quæ factæ funt in uobis, olim in cilicio & cinere
 penitentiam egiffent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Si-
 doni remiffius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Caper-
 naum, quæ

naum, que usq; in cœlum exaltata es, usque in infernum descendes. Quid atrocius dici potest? nam quasi fulmen excommunicationis in ipsos conijcitur, & omnium horrendissima pœna adnunciatur. Eodem modo, uel seu excommunicationem ac pœnas grauissimas denunciat Christus Phariseis & scribis, sanam doctrinam fastidientibus & persecuentibus, Matth. 23. Et Matth. 10. inquit: Quicumq; non exceperit nos, neque audierit sermones uestros, exeuntes ex adibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Amen dico uobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. Ioh. 8. inquit Christus: Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Docet enim opus Dei in uobis esse, ut aures uerbo Dei præbeamus: & certissimum esse iudicium, ibi non habitare Deum, ubi uerbum Dei non habet ullum locum. Grauisima adhortatio est Matth. 13. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Vbi non obscure significatur, non omnes habere eiusmodi capaces aures: & rogandum esse Deum, ut is mentem aperiat, capacesq; nos tantorum bonorum efficiat. Item: Nō estis nos qui loquimini, sed spiritus patris uestri, Matth. 10.

De certitudine huius uerbi inquit Christus Matth. 24. Cœlum & terra transibit, uerba autem mea non transibunt. Item Matth. 5. Non præteribit unum iota. Denique etsi ratio humana non possit omnia consequi ac perspicere, tamen uerbo diuino summam potentiã esse tribuendam, Gabriel docet Luca primo: Non erit, inquit, impossibile apud Deum omne uerbum. & Elizabeth ait: Omnia fient, quaecumq; Deus tibi dixit.

Phrasis est in concionibus Christi, uerbum aut sermonem
Christi

Christi facere aut seruare, pro audire & amplecti fide, itent
fructibus declarare: Matth. 7. Iohannis 8. 14.

Verbo Dei opponuntur præcepta hominum, seu traditio
nes humana, Matth. 15. Quare uos transgredimini præce-
ptum Dei, propter traditionem uestram? Item. Irritum fe-
cistis præceptum Dei, propter traditionem uestram. & Io-
hannes baptista Iohan. 3. ait: Qui è terra profectus est, ter-
renus est, & è terra loquitur: qui è celo uenit, super omnes
est. Item: Is quem misit Deus, uerba Dei loquitur. Hacte-
nus generaliores quosdam locos recensuimus: deinceps ad
specialiores, Deo aspirante, ueniamus.

DE DEO.

DEus, Dominus, Dominus Deus, promiscuè uiden-
tur usurpari in historia Euangelij. ut Luc. 1: Erant
ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis
& iustificationibus Domini, sine querela. Sacerdotio funge-
batur ante Deum: Ingressus templum Domini: Angelus
Domini: Erit magnus coram Domino: Conuertet multos fi-
liorum Israel ad Dominum Deum ipsorum: Ad parandã
Domino plebem perfectam: Ego sum Gabriel, qui asto ante
Deum: Item, Missus est angelus à Deo: Inuenisti gratiam
apud Deum. & mox, Dabit illi Dominus Deus sedem Da-
uid, patris sui. Sic etiam ipsa Maria loquitur: Magnificat
anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo
salutari meo. Et Zacharias sic celebrat Deum: Benedictus
Dominus Deus Israel. Allegat Christus ex Deut. 6 illu-
stria dicta, in quibus etiam hæc appellationes coniunguntur:
Non tētabis Dominū Deum tuum: Dominū Deum tuum
adorabis. Item Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum
toto corde tuo. Idem in alijs locis obseruare licet. Cōiungun-
tur autem

itur autē hæc duo uocabula, Dominus Deus, Hebraica phra-
si Iehoua Elohim: & quidem Iehoua per κίριος expresse-
runt Apostoli, usitatam Septuaginta uersionem imitantes,
ac Græcè iam scribentes.

Deus autem duplici modo usurpatur. Primum & ple-
runque est nomen essentia, omnibus tribus personis conue-
niens. Deinde uerò, nonnunquam attribuitur diuina perso-
na, eiusq; quasi genus est: ac si dicas, Diuina substantia, coes-
sentialis, coæterna, cōomnipotens cum reliquis personis.
Prioris significationis exempla passim occurrunt. Matth. 5.
Beati mundi corde, quoniam Deum uidebunt. Matth. 6.
Querite primum regnum Dei. Non potestis Deo seruire
& Mammonæ. Deus fœnum uestit. Matth. 16. Non sapis
quæ Dei sunt. Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non
separet. Matth. 22. Ego sum Deus Abraham, & Deus
Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed uiuenti-
um. Lucæ 18. Deum non timebat. Deus propitiuus esto
michi peccatori. Matth. 22. Luc 10. Reddite quæ sunt Dei,
Deo. Iohan. 1. Deum nemo uidit unquam. Posterioris exē-
pla sunt, Iohan. 6. Hunc pater uobis signauit Deus. Pa-
ter hic personæ nomen est, & Deus generis, hoc est sub-
stantia diuina. Sic Matth. 16. Iohan. 20. Tu es Christus, fi-
lius Dei uiui. Luc. 1. Vocabitur filius Dei. Iohan. 1. Ver-
bum erat apud Deum. Vocabulum Dei patrem designat,
qui est in ordine prima substantia indiuiduæ Trinitatis.
Tribuitur uocabulum Dei eadem ratione & filio. ut Ioh.
1. Verbum, hoc est filius, erat Deus. Iohan. 20. Dominus
meus & Deus meus. loquitur in præsentia tantum de filio
Dei Thomas. Patri & filio Dei uocabulum pulchrè in-
tino dicto coniunctim attribuitur. Iohan. 17. Hæc est uita

B æterna,

eterna, ut cognoscant te (patrem) solum uerum Deum, & quem misisti IESUM Christum. Tribuitur & uocabulum Dei creaturis, ut magistratui: Dixi, dii estis. Iohannis 10. ex Psalmo 82.

Vocabulum Dominus quoque interdum est generale, essentiae Dei conueniens, & commune tribus personis diuinitatis. ut, Magnificat anima mea Dominum. Interdum personis singulis tribuitur. Luca decimosexto: Domine pater. Sic interpretatur Christus Psalmum 110. Dixit Dominus Domino meo: nempe de patre & de filio. Thomas etiam uocat eum suum Iehoua seu Dominum, more Scripturae. Interdum uero uox est, qua honoratiores homines in allocutionibus familiaribus compellantur. Sic Ioh. 13 ponitur: Vos uocatis me magistrum & Dominum, & recte dicitis. Interdum & eum significat, qui potestatem alicuius personae siue rei habet, ut Mar. 13. Dominus domus. Sic Marc. 2. Luc. 6, Christus se dicit Dominum Sabathi. Verum haec sunt alieniora. nam hic tantum uisum est colligere et indicare ea, quae ad hunc locum de Deo praecipue pertinere uidentur.

Iam quod sit Deus, integra doctrina de Deo satis probabit, ut non sit necesse testimonia hoc loco coaceruare, ac quae iam de Deo in genere commemorauimus, huc quoque referri possunt. Ceterum praeter ea testimonia, insuper missio & resurrectio filij, patrefactiones Dei, miracula, ministerij institutio, conseruatio & effectus, denique euentus omnium prophetarum, haec parte confirmant & illustrant. Definitionem Deo non in uno aliquo certo loco, more Dialectico, recitat Christus, sed sparsim: tamen ita perspicue de Deo auditores suos docet, ut non sit difficile integram atque dilucidam inde definitionem colligere atque extruere, nepe talē: Deus est spiritualis essentia, intelli-

gens, eter-

PARS PRIMĀ:

gens, eterna, uerax, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, immensa potentia & sapientia: Pater aeternus, qui filium suum ab aeterno genuit: Filius ab aeterno a patre genitus, & qui praefinito tempore homo factus est: Spiritus sanctus a patre & filio procedens: unus essentia, trinus personis, creator & conseruator omnium creaturarum, & ministerio uerbi omnibus aetatibus sibi colligens & sanctificans Ecclesiam: a qua iste unicus & uerus Deus, & in hac & in futura uita agnoscat & celebretur, impios puniens, & bonis beneficiens in hoc & futuro seculo.

Testimonia quae eadem descriptione suppeditant, sunt. Ioh. 4. Spiritus est Deus. & loquitur Christus de spiritali essentia, quam opponit corporea. Intelligentem esse, actiones Dei mirifica & conciones eius testatur. nam pater de caelo clamat, Hic est filius meus: quod est natura intelligetis. Filius patefacit uoluntatem patris, Spiritus sanctus est gubernator perpetuus ministerij Euangelici. Ioh. 16. Aeternus probatur, quia ante rerum conditionem fuit, Ioh. 1. Verax, Ioh. 3. 8. Deus uerax est. Bonus, Matth. 19. Nullus est bonus, nisi unus, nempe Deus: hoc est, fons & origo omnis boni, uel etiam in sua essentia nihil nisi bonum habes. Purus, Luc. 13. Discedite a me omnes operarij iniquitatis. Ac si sit iustus & misericors, unum hoc opus, nempe missio filij sui declarat: quae ideo tradidit pro nobis in mortem, ut aeternum exemplum iusticiae & misericordiae suae ob oculos poneret. Liberrimus: id probat omnis generis miraculosae actiones. Immensa potentia & sapientia: quia conditor est mundi, & dat uitam aeternam per filium, promittit resurrectionem a mortuis, & Christus imple resurrectione aliorum, et sua ipsius resurrectione id comprobat, et Gabriel inquit, Apud Deum non est impossibile omne

uerbum. De tribus personis uel unica sententia hic suffi-
 ciat de baptismo, quem ait Christus conferendum esse in
 nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matth. 28. Crea-
 tor, Iohan. 1. Omnia per ipsum condita sunt. Luca 10. Pa-
 ter cæli & terræ. Colligens Ecclesiam, Marci 16. Ite in mû-
 dum uniuersum. Conferens æternam uitam, Matth. 25. Ve-
 nite benedicti. Puniēs impios, Discedite maledicti: ibidē.

Hanc ueram Dei noticiam non esse naturaliter notam,
 sed per filium Dei reuelatam, Iohan. 1. indicatur: Deum
 nemo uidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu pa-
 tris, ipse enarrauit nobis. Et ne quis suis speculationibus
 humanis, extra Christum & ipsius uerbum, Deum inqui-
 rat, uel Philippi exemplum satis admonet, Iohan. 14. Quæ-
 rit enim Philippus, Domine ostende nobis patrem. At IES-
 VS responder: Tanto tempore uobiscum sum, & non co-
 gnouistis me? Philippe, qui uidet me, uidet patrem. Itē:
 Non credis, quod ego in patre, & pater in me est? Huc
 pertinet, quod Matth. 11. Christus dicit: Nemo nouit filiū,
 nisi pater: neq. patrem quis nouit, nisi filius, & cui uolue-
 rit filius reuelare.

Vnum esse Deum, Christus his uerbis ostendit Matth.
 19. Nullus est bonus nisi unus, nempe Deus. Item Matth.
 4. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruiēs. Mat-
 thæi 22. Diligas Dominum Deum tuum. Nam & hæc di-
 cta de cultu unici ac ueri Dei loquuntur.

DE TRINITATE.

DOcet Christus perspicuè, tres esse personas diuinita-
 tis, coessentialēs & coæternas. Baptisate, inquit, in
 nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matt. 28. Estq.
 hoc dictum omnium illustrissimum, ubi in uno diuino ope-
 re disertè

re disertè & distinctè tres personæ coniunguntur. Deinde uerò & in reliquis concionibus suis trium personarum facit mentionem. Iohan. 14. Ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Iohan. 15. Cùm uenerit paraclætus, quem ego mittam à patre, spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. In his sententijs trium personarum ordine ac perspicuè fit mentio, nempe Patris, Filij, Spiritus sancti. Filius ait se rogaturum patrem, ac missurum spiritum sanctum: pater rogatur à filio: spiritus sanctus ab utroq; mittitur. Complectitur etiã angelus Gabriel, si modo attendas & explices, tres personas, non tantum in reliquis sua orationis partibus, sed etiam in hac sententia: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. item Zacharias in suo cantico trium personarum meminit: scilicet Domini Dei Israel, item Loqueris per os sanctorum: item Altissimi, ante cuius faciẽ præibit Iohannes. Item Iohannes baptista, Ioh. 1. Qui misit me ut baptizarem, dixit: Super quem uideris spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi, & testificatus sum, hunc esse filium Dei. Item Iohan. 3. Pater diligit filium. Tertio proponitur patefactio trium personarum distinctè, tam manifesta & clara, ut in hoc mundo nulla alia facta sit illustrior: nempe quod Christo in Iordane à Iohãne baptizato, uox è cælo pleno sono editur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est. & Spiritus sanctus specie columbæ uisibiliter sese demittens, in caput initiati Christi descendit, & in eo manet. In hac actione pater agnoscens

Christum tinctu in flumine, & suo testimonio eum ornans, est una persona: Christus baptizatus, qui filius Dei pronunciat, & in quem Spiritus sanctus confidet, est altera persona: Spiritus sanctus columba figuram pra se ferens, et in Christum se collocans, est tertia persona. Quarto, seorsim innumera testimonia de singulis personis passim in concionibus Christi extant, ut Matth. 7. Pater uester qui in caelis est, dabit bona petentibus se. Ioh. 8. Antequam Abraham fieret, ego sum. Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum. Plura eiusmodi dicta, quando de singulis personis agemus, occurrēt. Quinto, & in reliquis narrationibus Evangelicis tres personae exprimuntur: ut Luca 1. Domini Dei mentio fit, qui angelum ad Mariam mittebat: deinde filij Mariae, qui in utero eius gestabatur: tertio Spiritus sancti, quod de eo hic fetus natus esset. Sic Iohannes in primo capite, Dei patris, uerbi seu filij unigeniti, & Spiritus sancti, meminit. Item Christus ascensurus ad caelos, Act. 1, completitur in suo sermone tres personas, cum inquit: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super uos.

DE PATRE.

Quando de prima persona Trinitatis agitur, uocabulum Patris duplici modo à Christo usurpatur. Primum respectu filij unigeniti, ubi de substantia intelligi oportet. deinde, respectu hominum in Christum credentium, ubi gratiam & fauorem Dei erga nos paternam declarat, quam quidem ob Christi meritum accipimus. Discernit autem haec adiectis uocibus Christus, MEVS et uester. ut, Pater meus usque modo operatur, & ego operor: Iohan. 5. Hic de sub-

stantia

stantia intelligi uult nomen Patris, nempe quòd sit uerè
genitus ex patre. Quando autè dicit, Nouit pater *VESTER*,
quibus indigeatis, Matthæi 6, nõ de substantia, sed gratia
uult accipi: hoc est, qui animo paterno uos complectitur, &
beneficijs omnis generis uult adficere. Sic in una sententia
utrunq; effert: Ascendo ad patrem *MEVM*, & ad patrem
VESTRVM: Ioh. 20. Vocatur autè pater cœlestis, item
Qui in cœlis est, ad differentiã terrenorũ patrũ: et ad decla
randã eius potẽtiã, infinitatẽ et præsentiã in locis omnib.

Est autè Christus eam habeat consuetudinem, ut in suis
cõcionibus, quoties de patre loquitur, plerunq; ista copulet,
eum esse personam, & quidem distinctã ab alijs, & habere
certas quasdã proprietates & opera, quæ uelit ab Ecclesia
sua cognosci: tamẽ nos perspicuitatis gratia, & ut postero
rum secularum doctrinã huc referri, & facilius cognosci
ac dijudicari queant, in quibus uidelicet punctis hæretici
deuiarint, suaq; *ix* ania intersperferint, ad singulas partes
testimonia quãdam colligemus.

Docet igitur Christus apertè & sine præstigijs de Pa
tre, quòd sit persona: hoc est, substantia indiuidua, intelli
gens, incommunicabilis, per se subsistens. Perpetuò enim
hoc agit & contendit, se missum esse à patre. Sic Deus,
inquit, dilexit mūdum, ut filium suum unigenitum daret:
Iohannis tertio. Misit me uiuens pater: Iohannis sexto, octa
uo. Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos: Iohannis 20.
Mittere autem alium ad certas operas, est descriptio perso
næ singularis. Deinde inuocat patrem Christus minimè
dubijs uerbis, & ante passionem, & in suis cruciatibus,
luctans cum morte & cæteris hostibus generis humani:
ut, Pater clarifica nomen tuum, Iohannis duodecimo.

Pater, transeat à me calix iste: Matthæi uigefimofexto, Marci decimoquarto, Lucæ uigefimofecundo, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: Lucæ uigefimotertio,

Non autem poterat seipsum inuocare; ideo docet hac sua oratione, Patrem esse personã, quæ certò suos gemitus exaudiat. Idem in uerbis baptismi docet, ubi sicut filius & spiritus sanctus certa personæ sunt, ita & pater. Deniq; pater ipse, ut personam sese declarat, nam in baptismo Christi, in trãsfignatione, & Iohannis 12 inuocatus à filio, disertè uocem edit, agnoscens & approbans filium sibi dilectissimum, & cum in hoc amplissimo munere, in quo uersabatur, confirmans & ornans. Non autem coaceruabimus plura testimonia, nam quæ sequuntur, eodem spectant.

Patrem esse distinctam personam in diuinitate, nec esse filium ipsum, neq; spiritum sanctum ipsum, luculenter & sæpe Christus demonstrat. Primum autem Pater à Filio expressè distinguitur infinitis sententijs: ut, Qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, intrabit in regnum cælorum, Matth. 7. 12. & Apostoli in sua confessione, Tu es Christus filius Dei uiui: Matth. 16. & Iohannes, Unigenitus à patre: Iohan. 1. Impossibile autem est, unam personam patrem & filium dici, citra relationem ad aliam: sunt enim uocabula relatiua. Confitebor ego eum coram patre meo: Matt. 10. Angeli eorum semper uident faciem patris mei, qui in cælis est: Matthæi decimo octauo. Oportet me esse in his quæ patris mei sunt: Lucæ secundo. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, Pater diligit filium: Iohan. 3. Non potest filius facere à se quicquam, nisi uod uiderit patrem facere: Iohan. 5. quod quidem caput totum refertum est eiusmodi distinctis mentionibus pa-

nibus patris & filij. Ascendo ad patrem meum: Iohan. 20.
Christus inuocat patrē, Matt. 11. 26. Lucæ 12. 23. Ioh. 12. 17.
Alia est persona mittens, alia missa, ut superius dictū est.

Patefactiones idem declarant. Solus pater clamat
ad Iordanem, & in monte, Hic est filius meus: Matt. 3. 17.
Idem in historia conceptionis Christi & alijs planum
fit. Sic pater & à spiritu sancto distinguitur: Rogabo pa-
trem, & alium paraclatum dabit uobis: Iohan. 14. Spiritus
ueritatis, qui à patre procedit: Iohannis 15. Omnium autem
illustrißima sententia est, quæ in hoc loco semper ob oculo
uersari debet, baptismi institutionem continens: Bapti-
sate, inquit IESVS, in nomine patris & filij & spiritus
sancti. ubi tres distinctæ personæ recitantur.

Proprietates quas huic personæ attribuit Christus,
sunt triplices: nempe aut singulares, aut communes cum al-
terutra personæ, aut communes cum utrisq; reliquis perso-
nis. Tantum huic personæ conuenientes, eamq; à cæteris
discernentes, sunt: quod eam primā in ordine collocat Chri-
stus, Deinde, quod eam tantum nominat patrem: idq; tali
ratione explicat, quod respectu sui sit pater. Se enim unige-
nitum esse filium eius patris. hoc est, patrem eam habere
proprietatem maximè insignem, qua differat à cæteris per-
sonis diuinitatis, quod ab æterno genuit unicum filium
sibi coessentialem & coæqualem. sicut Iohan. 17. inquit:
Pater clarifica me apud te ipsum, claritate quam ha-
bui priusquam mundus fieret. Tertiò, quod mittit filium in
mundum, Iohannis 3. Dat ei mandata, quæ docendo, patien-
do, miraculis & reliquis actionibus debet exequi: Iohan. 5.
Deriuat in filium peccata generis humani. Ideo Baptista
eum uocat agnum Dei: hoc est, uictimā à Deo destinatam.

ut tollat peccata mundi, eaq; expiet. Tradit omnia filio, sicut inquit: Omnia mihi tradita sunt à patre. *Matth. 11. Lu. 10.* Clarifica filiū, *Ioh. 12. 17.* Quāuis autē hae proprietates, quae tertio loco sunt recitatae, etiā Spiritui sancto attribui simul posse uideantur: tamen quia Scriptura sic loquitur, ideo eam rationem hic obseruare placuit.

Proprietates quas Pater cōmunes tantum cum filio habet, sunt: quod uterq; mittit ac donat spiritum sanctum, *Iohannis decimo quarto, Lucae undecimo.* Quod à patre & filio spiritus sanctus procedit, *Iohannis decimo quinto, uigesimo.* Proprietates cōmunes patri & spiritui sancto sunt, in Christi cōceptione operari: sicut scriptum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. *Lucae primo.*

Præterea tribuit Christus patri eiusmodi proprietates, seu actiones potius, quas cum cæteris duabus personis habet communes. ut sunt, Patrem esse in cælis: estq; hac locutio admodum Christo familiaris. *Matthæi 6, & alibi.* Patrem scire, quibus homines opus habeant: Patrem celestem delicta dimittere: patrem uolatilia cæli pascere, lilia & fœnum uestire. Inuocandum esse patrem, *Math. 6.* Patrem dare bona petentibus se, *Matthæi 7.* Esse dominum messis, & mittere operarios: *Matthæi nono.* Patrem esse Dominum cæli & terræ: *Matthæi undecimo.* Patrem reuelare cognitionem Christi, *Matthæi decimosexto.* Patrem cupere ut omnes pusilli salui fiant, *Matthæi decimo octauo.* Patrem mittere angelos, *Matth. 16.* Templum Hierosolymitanū esse domū patris, *Ioh. 2.* Patrē suscitare mortuos, *Ioh. 5.* Patrē dare regnū cælorū, *Lu. 10.* Hac enim etsi in citatis locis uni patri adscribatur, tamē synedochicè intelligenda sunt:

genda sunt: nempe quòd etiam reliquis personis aliàs conueniant, nec sint proprietates seu actiones singulares.

Colligi igitur hinc potest integra definitio Patris, nempe Patrem esse in ordine primam trinitatis personam, non genitam, sed quae ab aeterno genuit filium consubstantialē, eumque misit in mundum statuto tempore non procedentem aliunde sed à qua simul cum Filio procedit spiritus sanctus, qui donatur Ecclesiae seu credentibus.

DE IESU CHRISTO FILIO
Dei & hominis.

De appellationibus huius personae inferius paulò dicemus, nam caeteris quae ad explicationem secundae personae Trinitatis pertinent, rectè explicatis, uocabula quoque facilius intelligi poterunt.

Filium Dei esse personam iuxta significationem supra positam, hoc est non ipsum patrem, aut cogitationem duntaxat patris, sed peculiarē hypostasin, ipsemet apertè & multis in locis docet: in primis uerò in omnibus locis, ubi patris sui caelestis facit mentionem. ut Matt. 11. Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nisi filius. Matt. 26, fatetur se esse filium Dei, & quidem sessurum à dextris patris. Id non potest pater iuxta se ipsum considerare, cum persona sit, hoc est indiuidua substantia, nec sint plures patres quam unus: & cum hic disertè filius profiteatur, se ad dextram patris collocatum iri, ideo se personam esse declarat. Luca 2. Oportet me esse in his quae patris mei sunt: dicit se ut personam, in loco sibi à patre, tanquam altera persona, praesinito futurum. Sic Iob. 3 ait. Deum filium suum unigenitum dedisse. Hic duo recenset, quae demonstrant, filium Dei esse personam. Vnum, quòd sit unigenitus patris. Nam pater, & id quòd ex eo genitum est, non possunt esse una hypostasis,

hypostasis, sed describuntur dua. Alterum est, quod pater miserit filium. Non mittit autem seipsum, nec mittit cogitationem suam, quae ipse pater fuisse: sed filium, hoc est hypostasin à se distinctam, ut postea dicendum erit. Iohann. 7. Ego ex Deo processi & ueni. Non ait patrem uenisse: sed se, & quidem uoluntate patris. Sic Iohannis decimosextimo orat: Pater clarifica filium tuum. Hic expressè ostendit, filium esse hypostasin. Idem docet Iohannes, clarè affirmās λόγου (ita enim filium Dei appellat) fuisse apud Deum: hoc est, λόγου esse ὑπόστασις, & λόγου carnē esse factum, non patrem ipsum.

Apparitio Trinitatis ad Iordanem etiam tali modo fit, ut pater clamet non de se, sed de altera persona, Hic est filius meus dilectus. Ergo filius est persona. Deniq; uerba baptismi, filium constituunt peculiarem in diuinitate personā. Plura dicta non est necesse adscribere, nam quae iam sequuntur, eòdem referrī debent.

Docet deinde Christus, hunc filiū Dei, hoc est seipsum esse personam separatam à patre & spiritu sancto. Huc iterum uerba baptismi faciunt: & illa distincta apparitio in Iordane, cum ea quae in monte accidit: ubi praecipit caelestis pater, hunc suum dilectum filium audiri, Ioh. 3. Pater diligit filium, Iohan. 5. Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Qui non honorificat patrem, non honorificat filium: Sicut pater habet uitam in semetipso, ita & filius: perspicuè pater & filius personis & nominibus distinguuntur. Patrem non uidit quisquam, nisi is qui est à Deo. Iohan. 6. Non solus sum, sed ego, & qui misit me pater. & pulchrè addit: Et in lege uestra scriptum est, quod duorum hominum testimoniū uerum est: Ego sum qui testimoniū perhibeo

perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui
misi me pater. Hic apertè Christus ait duos esse, patrem &
se, seu duas personas. Vt cognoscatis & credatis, quòd pa-
ter in me sit, & ego in patre. Ioh. 9. & Iohannis capite pri-
mo luculenter ista tradit, quòd inquit, Verbum erat apud
Deum: & uocat unigenitum à patre. Sic non tantum filius
à patre distincta est persona, sed etiam à Spiritu sancto: ut
præter alia, etiam dicta Iohannis 14. & 15. testantur, in
quibus se patrem rogaturum, & missurum esse Spiritum
sanctum promittit. Non nascitur pater, non Spiritus san-
ctus: sed filius nascitur, & est distincta persona ab utraq.

Hinc filium Dei esse coessentialem patri & Spiritui
sancto, itidem uerba baptismi, patefactiones Trinitatis, &
sententiæ lucidissima demonstrant: ut Iohan. 1. Deus erat
uerbum. ubi articulus græcus, additus λόγ, vindicat quòd
uerbum sit subiectum, & Deus prædicatum: hoc est, filium
Dei esse essentiam diuinam cum patre & Spiritu sancto.
Item, unigenitus à patre, unigenitus filius, Dei filius, sicut
passim ipsemet se uocat, & ab alijs ita celebratur, osten-
dunt, filium esse coessentialem patri. Et creberrimè uocat
primam personam patrem S P M, ut manifestū faciat,
se coessentialem patri, ac uerū Deum esse. Iohan. 8. patrem
suum dicit esse Deum, & se ex Deo processisse. Iohan. 14.
Pater in me est, & ego in patre. Iohan. 10. Ego & pater
unum sumus, Iohan. 11. Qui uidet me, uidet eum qui misit
me. Iohan. 14. Creditis in Deum, & in me credite: Qui ui-
det me, uidet & patrem. Hæc dicta non ita sunt accipiēda,
quòd persona patris & filij sint confusa: sed de essentia di-
uina, quæ est tribus personis communis. ideo se mox expo-
nit Christus: Ego in patre sum, & pater in me est, seu ma-
net. Item,

net. Item, Ego sum in patre meo. Ioh. 6. Ego uiuo propter patrem: hoc est, sum filius Dei. Eadem ratione etiam Spiritus sanctus est in hoc filio Dei. Iohan. 3. Non ad mensuram ei dat Deus spiritum. Quasi diceret, in credentibus habitat Spiritus sanctus mensuraliter, hoc est certa ratione, ut non habeat cum eis communem essentiam, omnipotētiam, aternitatem, nec omnibus suis donis præstò sit: sed in filio Dei Spiritus sanctus ita est, ut sit cum eo coessentialis, seu unus deus. Hoc probat etiam pulchrè factum Christi, quod exufflando in Apostolos simul eis largitur Spiritum sanctum. inquit enim: Accipite spiritum sanctum. & Ioh. 17 ait, se spiritum sanctum esse missurum. Denique, etiam opera diuina quæ uel communia habet cum alijs, uel alijs præstat, euidenter probant, eum uerum esse Deum, ac diuinam potentiam habere. sicut passim in concionibus, præcipue uerò in uerbis baptismi, & Iohan. 5. explicatur, ubi inquit: Pater meus usq; modo operatur, et ego operor: Sicut pater suscitatur mortuos & uiuificat, ita & filius quos uult uiuificat: Qui non honorat filium, non honorat patrem. Sed de operibus filij Dei, suo loco.

Idem probat, quod ait, se à dextris uirtutis Dei sessurum: Matth. 26, quod nihil aliud quam æqualitatem cum patre ostendit.

Ceterum quòd inquit, patrem esse maiorem se, non de essentia, sed officio intelligendum est. Additum est enim, Quia uado ad patrem: hoc est, discernit mittentem et missum: ac describit humiliationem, quæ ipse solus suscepit. Eadem ratione dicit, omnia sibi à patre tradita esse, nempe ratione sue intercessionis ac passionis pro genere humano.

Filium Dei coaeternum esse patri & spiritui sancto, hæc dicta

dicta non obscure docent. Iohan. primo: In principio erat uerbum. Item hoc, Erat initio apud Deū: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Testatur filium Dei in principio, ante creaturas, fuisse apud Deum: ideo ab aeterno exiit, & quidē apud Deum, hoc est coaeternus patri, Unigenitus à patre. Item, Unigenitus filius qui est in sinu patris. Non autem fuit tempus, quo non fuerit Pater, aut quo non fuerit Filius: ideo coaeterni sunt. nam unigenitum esse Dei filium, & in sinu patris esse, nulli creaturae attribuuntur. Idem ex hac uoce potest elici, Verbum est Deus. Sed Dei hoc est proprium, ut sit ab aeterno, & sic à creaturis dinoscitur. Ergo & λόγος seu filius est aeternus. Nam filij adoptionis, ut postea dicemus, ab hoc unigenito discernuntur. Baptista clarè inquit, Ante me factus est, prior me erat: etiamsi probè nosset, se, quod ad humanam naturam, prius ipso natum esse in hunc mundum, circa semestrem. Idem clarius explicat Ioh. 3. Qui è supernis, seu qui de cælo uenit. super omnes est. Et Christus ipse idem pluribus in locis tradit, ut Ioh. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Ioh. 5. Sicut pater habet uitam in semetipso, ita & filius. Quid luculentius de coessentialitate, & coaeternitate patris & filij dici posset? Ioh. 6. Ego sum panis, qui de cælo descendi. Item ait se prius in cælo fuisse, Ioh. 8. Ego de supernis sum. Item: Amē dico uobis, antequā Abrahā fieret, ego sum. Ioh. 17. Glorifica nunc me tu pater apud temetipsum, ea gloria quā habui priusquam mundus fieret, apud te. Item, Dilexisti me ante constitutionem mundi. Hæ conciones docent manifestè, filium Dei coaeternum esse patri. Quod etiam Spiritu sancto sit coaeternus, uerba baptisimi demonstrant.

Proprietas

Proprietates singulares filio Dei ante incarnationem; quibus à reliquis personis essentia diuina secernitur, tribuuntur: Quòd sit unigenitus à patre, filius Dei. Iohannis primo, Matthæi decimosexto, & passim in concionibus Christi hæc proprietates occurrunt, & pater ipse de cælis ita hanc personam describit: Hic, inquit, est filius meus dilectus. Ac sunt hæc ex ore Dei atq; hominum, qui testes sunt rerum certissimarum, firma & plana, secundam personam diuinitatis esse genitam, idq; ex patre: & esse unigenitum filium, & coessentialem & coæternum patri ac spiritui sancto: patrem non esse personam genitam, sed gignentem. Quomodo autem generatio ab æterno à patre facta sit, Christus, qui aliàs uenit ut Ecclesiæ Dei reuelaret quæ ei erant necessaria, non explanauit: ac Philippum retrahit ab arcanis et non reuelatis speculationibus de Deo, ac iubet eum hac patefactione, quam adferat, contentum esse. Qui uidet me, inquit, uidet patrem. Altera proprietates huic personæ singularis ante incarnationem fuit, quòd esset destinata ut fieret homo: & genus humanum, lapsum in peccatum & mortem, expiaret & saluaret. Non pater, non spiritus sanctus debebat homo fieri, sed filius Dei.

Proprietates communes cum patre sunt, mittere ac donare spiritum sanctum, ut supra de patre dictum est.

Comunes cum reliquis duabus personis sunt, esse cõditore. Nam quòd Ioh. ait, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est: item, Mûdus per ipsum factus est: synedochicè intelligi debere, nemo dubitat. Sic quod idè affirmat, Unigenitum filium nobis enarrasse. Nã pater & spiritus sanctus quoq; reuelarunt doctrinã cœlestem. Mat. 16. inquit patrem reuelasse Petro uerã filij Dei noticiã.

IESVM CHRISTVM ESSE DEI
filium & Deum uerum.

Nunc ex concionibus Christi & reliquis testimonijs
historiæ Euangelicæ commōstrandum est, quòd IESVS
Christus uerè sit ille ipse filius Dei, de quo superiora testi-
ficantur, ac uerus Deus, nec desierit talis esse, postquam al-
teram naturam, nempe humanam assumpsit. Id uerò ipse
mei rotundo & disertò ore profitetur, ut Matth. 26. fatetur
se esse filium Dei. item Iohan. 10. Filius Dei sum. Eòdènt
spectat, quòd Matthæi undecimo dicit, se esse maiorem Io-
hannè baptista in regno cælorum. Et Matth. 12. Ecce plus
inquit, quàm Ionas hic. item, Ecce plus quàm Salomō hic.
Nec de officio ibi præcipuè, uerùm de persona aut substan-
tia differit: nempe quòd præter humanam, adhuc sublimi-
orem habeat substantiam, qualem nulla unquam creatura
habuerit. Hæc explicantur in cæteris concionibus, in qui-
bus crebram sui patris mentionem facit, ut Matt. 7. 12. Què
facit uoluntatē patris mei qui in cælis est, Matth. 10. Con-
fitemem me coram hominibus, confitebor coram patre meo
qui in cælis est, Matth. 16. 18. Pater meus qui in cælis est.
Matth. 25 ait, se credentes traducturum in regnum patris
sui. Ioh. 3. Filium suum unigenitū dedit. Ioh. 5. Sicut pater
suscitat mortuos, & uiuificat, sic & filius. Ioh. 6. Hæc est
uoluntas eius qui misit me patris, & filiū se uocat Ioh. 8.
Patre eis dicebat Deum. Ioh. 9. Tu credis in filiū Dei, ubi
uult, ut cæcus à se sanatus, in se credat. Iohannis 10. Ego &
pater unum sumus. Iohannis 11. ait mortem ac resuscitatio-
nem Lazari accidere, ut glorificetur filius Dei. Iohan. 14.
Qui uidet me, uidet & patrem: Ego in patre, & pater in me
est. Ioh. 17. Glorifica filium tuum, ac petit talem gloriam
C qualem

qualem habuerit apud patrem, priusquam hic mundus fieret. Docet ipse Christus uerbis minimè dubijs, sese et esse & manere filium Dei, ac uerum Deum. Id ipsum quoq; pater testificatur: Hic, inquit, est filius meus dilectus. Loquitur autem de eo, qui iam homo factus fuerat. Angelica testimonia sunt, quòd Gabriel Mariae denūciat, Filius altissimi uocabitur: item, Uocabitur filius Dei. Luc. 1. Baptistæ inquit: Ante me factus est, prior me erat. Iohan. 1. Et de cælo uenit, & pater diligit eum. Qui credit in filium, habet uitam æternā. Iohan. 3. & Baptistæ spiritu sancto. Matt. 3, discipuli nauigantes conspecto miraculo, quòd corpore graui in mari graderetur, adorant eum dicentes, Verè filius Dei es. Matthæi decimo quarto, Petro edente confessionem nomine omnium discipulorum, qui rogati erant, quid de Christo sentirent, ac dicēte, Tu es Christus filius Dei uiui: Christus non modò approbat eam confessionem, sed hoc insuper præclarum elogium adjicit: Beatus es Simon fili Ionna, caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Matth. 16. Iohannis 6. Marcus sic orditur narrationem Euangelicam: Euangelium IESV Christi, filij Dei. Iohan. capite 1. inquit, Verbum caro factum est: et uerbum pronunciat esse Deum. In mundo erat, inquit, & mundus per ipsum factus est. Martha etiā dicit: Ego credidi quòd tu sis filius Dei. Item Iohannes in hūc modum suum Euangelium concludit: Hæc scripta sunt, ut credatis quia IESVS est Christus, filius Dei. Denique Matthæus cap. 1 applicat testimonium Esaie, in quo uocatur Immanuel, hoc est, nobiscum Deus. Patet igitur, hunc ipsum IESVM Christum, natum de Maria, esse ac manere filium Dei, uerumq; Deum: nec deposuisse diuinam naturam, postquam homo

homo factus est. Idē docēt ac confirmant opera diuina quæ huic personæ tribuuntur: ut quod remittit peccata, dat spiritum sanctum, confert donum miraculorum, uerbo omnipotentem omnis generis agrotos ac male habentes sanitati restituit, eicit demonia, imperat mari et uentis, mutat naturas rerum, resuscitat mortuos, nouit cogitationes hominum, tradit clauēs regni, dat uitam æternam, uult in se credi, præscit ac prædicat momenta ac totum processum suæ passionis: item de fine mundi ac iudicio uaticinatur, resurgit ipse ex mortuis uictor, constituit ministerium Euangelij: & ait se adfuturum, ubi duo aut tres in nomine suo congregati fuerint: ascendit ad cælos, dicit se sessurum à dextris Dei. Hæc opera diuina testantur, Christum non tantum esse hominem sed & uerum Deum. Sed de his operibus iterum paulo post.

IESVM CHRISTVM ESSE
uerum hominem.

Hunc uerò IESVM Christum, non solum uerè esse filium Dei, sed & uerum atque naturalem hominem esse factum, conceptum & natum sicut alij homines, dempta tantummodo labe originali, angeli, homines fide digni & ipsemet Christus docent. Nam Gabriel missus ad Mariam, clare inquit: Ecce concipies in utero, & paries filium. item, Nascetur ex te sanctum. Item angelus pastoribus apparens inquit: Natus est uobis hodie saluator, qui est Christus Dominus. Luca primo. Concipi autem, parere, nasci, humanæ naturæ conueniunt. Ita & angelus Domini ad Iosephum ablegatus, loquitur. Quod in ea natum est, de spiritu sancto est: pariet filium. Matthæi primo. Ibidem & Esaiæ testimonium à Matthæo allegatur: Ecce, inquit, uirgo in utero habebit, & pariet filium. Sic Lucas refert capite secundo,

2 C Mariam

Mariam fuisse grauidam, impletos ei esse dies partus, primogenitum enixam esse, panis inuoluisse, reposuisse in praesepe. Circumciditur octauo die, obseruatis diebus purgationis sistitur Domino. Maria dicitur mater eius: puer crescit, proficit etate & sapientia apud Deum & homines. deportatur puer in exilium in Aegyptum usque. Matt. 2. fit duodecim annorum, Luc. 2. incipit esse triginta annorum, Lucae 3. Quorsum autem opus fuisset tot circumstantijs, si non fuisset uerus homo? Esurit, Matt. 4. 21. Defatigatur ex itinere, Iohannis 4. Infremuit spiritu, turbatus est, lachrymas fudit, Ioh. 11. Lucae 19. Contristatur spiritu in monte oliuarum, sanguineas guttas e corpore fundit in terram, capitur, colaphis caeditur, flagellatur, spinis coronatur, cruci affigitur, moritur, sauciatus in latere sanguine & aquam stillat, resurgit: ut historia indicat. Fuit igitur uerus homo.

Notatu etiam dignum est, quod plerumq; Christus de se loquens, filium hominis se uocat: ut, Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum: Matth. 8. Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra. Matt. 9. Filius hominis a mortuis resurget. Matt. 17. 20. Venturus est in gloria. Matth. 16. 24. Et Matth. 12. 13. 25. 26. Luc. 9. 17. 19. 21. 22. 23. 24. Iohan. 1. 3. 4. 6. 12. & c.

Eandem ob causam uocatur filius Dauid & Abrahae, Matt. 1. Liber generationis IESU Christi, filij Dauid, filij Abrahae. Matt. 20. Mar. 10. Luc. 18. Domine miserere nostri, fili Dauid. Mat. 21. Hosiana filio Dauid. Magi eum appellant regem natu Iudaeoru. Matt. 2. Deniq; Ioh. paucis uerbis rem tota complectitur, dicens: Verbu caro factum est.

Nascitur autem sine patre carnali, de Spiritu sancto, ut testatur angelus Matt. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto

sancto est. habens tantum carnalem matrem, eamq̄ puram uirginem: sicut ex allegato Esaia dicto patet, Ecce uirgo concipiet. & Maria inquit, Virum non cognosco. & Lucas ait, fuisse uirgmem desponsatā tantūmodo. Matthæus dicit: Priusquam conuenirent, grauida erat de spiritu sancto. Item: Non cognoscebat eam Ioseph, donec peperit filium suum primogenitum. Et in Genealogia cautissimè uerba ad Mariam applicat Matthæus, cum quidem alijs de Iosepho catalogum texuisset: *EX QV A*, inquit, natus est *IESVS*. Non autem quasi phantasma per Mariam transisse filium Dei, sed uerè ex Maria natum, & carnem humanam ab ea desumptam, uerba angeli declarant: Concipies, inquit, in utero, paries filium, nascetur ex te. Et Elisabetha spiritu sancto plena dicit: Benedictus *FRUCTVS* uentris tui. & matrem Domini appellat, singulari Spiritus sancti instinctu. Fructus autem uentris, est naturalis homo, in utero hominis natus, & ex eo editus. Est igitur Ioseph tantum putatiuus pater Christi, ut inquit Lucas capite 3. & circumstantiæ, quarum modò facta est mentio, idem declarant. Erat enim Maria tantum desponsata marito: quam Ioseph ignarus diuinorum mysteriorum tanquam stupratam deseruisset, nisi ab angelo fuisset peculiariter monitus & persuasus ne à Maria discederet.

*FILIVM DEI ET HOMINIS ESSE
unam personam, non plures.*

Est & hoc clarè traditū, duas naturas in Christo, nēpe diuinā & humanam, esse miranda & inexplicabili ratione unitas in Christo unione hypostatica: ut tantū una sit persona *IESVS* Christus, filius Dei & hominis. Sicut docet Iob. dicens, Verbum caro factū est. & angelus inquit: Quod

nasceatur ex te sanctū, uocabitur filius Dei: Natus est nobis saluator. & Matt. 16. Tu es Christus, filius Dei uiui. Discipuli profitentur duas naturas esse in Christo, nam & Christum uocāt, natū iuxta promissiones, & filiū Dei: & in singulari tantū proferunt, Tu es. idem Christus in his formis docet: Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, Mat. 9. Venit filius hominis querere et saluare quod perierat, Luc. 9. & similibus. Nam & naturā humanā describit, & opera diuinā naturā exprimētia adijcit, ac significat in una persona has naturas unitas. Manere autē eam mirandam copulationē siue unionē duarum naturarū, nempe diuinā et humanā, in Christo, etiā post glorificationē, hisce sententijs ipsemet docet. Videte manus meas, ac pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & uidete, quia spiritus carnē & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Itē, Comedit in corū cōspectu: Luc. 24. Non igitur exiit humanā naturā, sed reuinit post resurrectionē. Et quidem ideo quadraginta dies integros apud eos cōmoratur, ac deinde uisibiliter ascendit in cœlū, ut probet manifestē, se naturā humanā retinere, & secum in cœlū subuehere. Itē, Filius hominis uerturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundū opus eius. Mat. 16. 24. 25. Luc. 9. 21. Amodō uidebitis filiū hominis sedentē à dextris uirtutis Dei, & uenientē in nubib. Mat. 26. Orātes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filiū hominis: Luc. 21.

Proprietates filij Dei post assumptionē carnis humanæ, sunt, quod est uerē ac naturalis homo: unitis tamē duab. naturis, ut dictum, in una persona. Non de patre, neque de spiritu sancto, sed tantum de filio Dei dicitur, Verbum caro factum est. Solus etiam sit agnus Dei, hoc est, uictima expians

pians peccata totius generis humani. ipse solus suspensus a cruce clamat: Deus meus, quare me dereliquisti?

Cum patre communes proprietates retinet, quod dat Spiritum sanctum: Ioh. 14. 15. 16.

Communes etiam utrisq; reliquis personis proprietates habet, quod operatur & uiuificat. Ioh. 5. In baptismo renerat credentes. Matth. 28.

Proprietates post resurrectione & glorificatione, quod trā sit ob signatū monumētū, & penetrat occlusā ianuā, euanescit ex oculis discipulorū: Luc. 24. Pōderoso corpore subleuatur, & scādit in cœlū, cōsudet ad dextrā Dei: Mat. 26. 28. Mar. 16. Lu. 24. Act. 1. Afflatu largitur spiritū sanctū: instituit ministeriū uniuersale: Ioh. 20. Lu. 24. Est cū sua Ecclesia, ubicūq; locorū est diffusa: Mat. 28. Et quidē uero suo corpore & sanguine est in cœna, ubicūq; iuxta suū uerbū ritē administratur & usurpatur, sicut ex uerbis cœnæ liquet. Reuertetur in maiestate, iudicaturus uiuos & mortuos: & quidē eos qui crediderūt, traducet secū in uitā aternā: reliquos unā cū diabolis præcipitabit in ignē aternū. Mat. 25.

Solet & phrasis Christi & scripturæ sanctæ annotari, quā nomināt cōmunicationē idiomatū: ubi uidelicet, q̄ est alteri naturæ propriū in abstracto, tribuitur Christo in cōcreto, seu in p̄sona. ut Mat. 9. Fillus hominis potest peccata dimittere. Mat. 12. Filius hominis est Dominus sabbathi. Cū tamē cōstet, tātū Dei opus esse peccata dimittere, sabbathis instituere & abolere. Mat. 20. Filius hominis tradetur, & tertia die resurget. Diuinæ naturæ cōueniebat, non mori: & rursum, uitā corpori interfecto cōcedere. Ioh. 3. Filius hominis, q̄ in cælis est. Eodē modo Ioh. 6. Si uideritis filiū hominis ascendentē ubi erat prius. Hæc ante glorificationē de se

affirmat: cum tamen certum sit, eum conceptum in utero Mariae, necdum ascendisse corpore suo in caelum. Venerat autem diuina sua natura, tanquam filius Dei uerus de caelo, & factus fuerat caro. Ioh. 1. Priusquam te uocaret Philippus, cum esses sub ficu, uidi te. Iohannis 11. nouit Lazarum mortuum, etiamsi non fuerat morienti praesto, nec aliquoquam mortalium cognouerat. ac praedicit certo eius resurrectionem: id quod natura humana per se non erat proprium. Sic Maria nominatur mater Domini. Videndum tamen, ne inepte haec regula accommodetur, in ijs potissimum testimonijs, quae proponunt rem utrique naturae in Christo conuenientem. ut Matth. 25. Filius hominis ueniet in maiestate sua, & iudicabit omnes gentes. id opus utriusque naturae iam in corpore Christi glorificato conuenit. Sic Matthaei uigesimo sexto: A modo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis Dei. & utriusque naturae in Christo unitis ea sedes aut gloria conuenit: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Item, Ego uobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Item: Ubi cumque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, sum in medio eorum. Prudentia igitur quadam in hisce locutionibus opus est.

DE MESSIA.

De Messia nunc quoque, quantum historia Euangelica suppeditat, dicendum est. Nam intra ea septa modo nos continemus: ideo quae alibi extant, iam praetermittenda censemus. Quod igitur esset aliquis Messias uenturus, notissimum fuit cunctis Iudaeis, & omnibus pijs hoc ipso tempore. licet Pharisei suis praestigijs hanc doctrinam horribiliter obfuscarent. Maria inquit, Deum ea de re locutum esse ad Patres, Abraham & eius posteritatem. Zacharias affir-

mat,

mat. per os sanctorum prophetarum, de Messia exhibitione iam inde ab initio prænunciatum esse. Simcon ait, Deum promississe eum quem nunc oculis contempletur: & Hanna prophetissa alloquitur eos qui redemptionem Israël, hoc est, Messiam anxie expectabant. Iohannes discipulos suos iubet sciscitari, an IESVS sit ille qui sit uenturus? Ergo in hoc populo memoria seu expectatio aduentus Messia retinebatur. Sicut etiam ex sermone plebis Iohannis sexto apparet. Et Iohannis primo, Leuitæ & Scribæ missi ad Iohannem, interrogant, Quis sit? uidetur interrogasse, an sit Messias: cum Iohannes statim respondeat, se non esse Christum. Et sacerdotes accuratè querunt ex IESV captiuo, an sit Messias? Matthæi uigesimo sexto.

Recitantur autem quedam testimonia ex Veteri Testamento, quæ partim ab Euangelistis, partim à Christo et alijs allegantur. ut Matthæi primo: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, et uocabitur nomen eius Immanuel. Esaiæ septimo. Michææ testimonium ex capite quinto proponunt sacerdotes populi Iudaici: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequam minima es in principibus Iuda: ex te enim exhibit mihi dux, qui regat populum meum Israël. Matt. 2. Esai. 40. Vox clamantis in deserto, parate uiam Domino. Matth. 3. Malach. 3. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Matthæi 11. Zach. 9. Dicitur filia Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subiugale. Item Psalmo 118. Hosanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini. Matthæi 21 Philippus inquit, Mosen & Prophetas scripsisse Messiam uenturum: Iob. 1. Imò ipse Christus idem asseuerat, Iob. 5. Matthæi uigesimo sexto, Luca uigesimo se-

cundo, uigesimo quarto. Deniq; Magi sua inuestigatione testificantur, fuisse à Deo huic populo Messiam promissum: Matthæi secundo.

Qualis uerò eius Messia substantia deberet esse, ex testimonijs liquet quæ modo annotata sunt: nempe uerus homo, natus tamen non prorsus naturali modo, nempe sine patre naturali, ex sola & quidem pura uirgine, ut Esaias dictum habet. Et uocabulum Alma à peritis notatur, quod inuiolata uirgini tribuitur. Sic Rebecca, antequam desponsaretur: et Miriam soror Mosi, cum esset sex annorum, puella seu alma uocatur. Idem uult hæc locutio, quod filius Abrahæ & David nuncupetur: hoc est, qui ex ipsorum familia & sanguine debeat nasci. Atqui non tantum humanam, sed etiam diuinam naturam eum habiturum esse, hoc est, uerum Deum futurum, hæc ipsa testimonia euidenter docent. Nam Esaias tribuit ei nomē Immanuel, hoc est, nobiscum Deus: & Esaias ac Malachias uocant eum Iehoua, Dominum, quod idem in prophetico sermone sonat, quod Deus. & ex Psalmo 110 sic ratiocinatur ipsemet Christus, Quod Messias sit æqualis Deo: hoc est, uerus Deus. Matth. 22. Quapropter in Prophetis monumentis prædictum erat, Messiam talem expectandum esse, qui in una eademq; persona diuinam & humanam naturam esset habiturus.

Quod esset officium Messia futurum, quæ eius opera, ex iisdem dictis aliqua ex parte intelligi potest. Nam uberior doctrina & explicatio, ex pluribus ueteris Testamenti concisionibus petenda est. Matth. 13 Esaiæ dictū citatur, cap. 6. Auditū audietis, & non intelligetis. & Psalmi 78. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Hinc patet, Messiam doctorem futurum, & reuela-

reuelaturum ueram sententiam de Deo & eius uoluntate, alioqui ignotam humanæ rationi. *Iob. 2. ex Psal. 69* recen-
setur: *Zelus domus tuæ comedit me. Docet igitur, Messiam*
Hierosolymis templum, ubi Deus habebat domum, repur-
gaturum esse. Passurum cum esse, & moriturum, idq; ob pec-
cata generis humani, hæc testantur: Deus Deus meus, qua-
re me dereliquisti? Matth. 27, ex Psalmo 22. In siti mea po-
tauerunt me aceto. Iob. 19, ex Psalmo sexagesimonono: Cum
iniquis reputatus est. Marci decimoquinto, ex Es. 53. Quòd
rem esset habiturus cum ægrotis, & eos sanaturus, dictum
Esaia testatur, quod Matth. 8. refertur: Ipse infirmitates
nostras accepit, & morbos portauit. & Iob. 12. eiusdem ca-
pitis mentio fit. Totum igitur 53 Esaia caput huc referri
debet, in quo luculenter describuntur opera Messia: nempe
quòd hominum peccata Deus in ipsum coniecturus esset,
quòd tanquam uictima sanguinem profusus & moritu-
rus, & tandem resurrecturus, ac noticia sui plurimos iusti-
ficaturus esset: Matth. 21. Iohan. 12. Zacharia prophetia re-
citatur, quæ & de ingressu externo Messia exhibitæ, & de
cæteris eius operibus uaticinatur. Dicit enim Propheta:
Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator, humilis & se-
dens super asinum. Manifestè autè concionatur fore regem,
sed iustum ac saluatorem, hoc est, iustitiam et salutem adfe-
rentem: & humilem, hoc est, qui sua humilitate ac passio-
ne tanta bona pariet. Vt in eodem capite sequitur: Et tu in
sanguine testamèti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo
non est aqua. Quòd etiam rursus gloriosus esset futurus, &
à dextris Dei confessus, ac sacerdotij officio in æternum
functurus, æternumq; regnum consecuturus, Psal. 110 indi-
cat, qui allegatur Matth. 22.

Iam testimonia congerenda sunt, quod *IESVS* ex Maria natus, ille ipse Messias sit, de quo facte sunt promissiones. Id autem primum Angeli asseuerant. nam Gabriel missus ad Zachariam, annunciat, filium ipsius fore praecursorem Messiae: & Maria idem indicat, eam parituram esse eum qui sedem David patris sui accepturus, & in regno Iacobi in aeternum regnaturus sit. Inde Maria celebrat beneficium Dei, quod ex se brachium Dei nasci deberet: & Zacharias, sciens conceptionem Messiae in uirgine Maria iam esse factam, non ueretur pronuntiare palam, Dominum Deum Israel uisitasse, & fecisse redemptionem plebis suae, & cornu salutis in domo David erexisse: ac describit eius opera admodum praecclare. Sic & Elisabetha uocat Mariam Domini matrem. Iosephum quoque eadem de re edocet angelus Domini, Matt. 2. & facta natiuitate, peculiari reuelatione & solennitate pastoribus noctu hoc ingens opus ac beneficium Dei manifestatur. Ecce, inquit angelus Domini, euangelizate uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus, in ciuitate David. Accedit euestigiò ingens angelorum multitudo, in cundissimo cantu rem tantam celebrantium, ut in historia narrabitur. Postea Simeon, uir sanctus & iustus, habet peculiare manifestationes, quod oculis Messiam esset ante suum obitum conspecturus: & is impulsu Spiritus sancti, eo ipso tempore quo *IESVS* coram Deo sistebatur, uenit in templum, ubi quaeque amplexans infantem, ac celebrans Deum, aperte eum uocat salutare Dei, cunctis gentibus preparatum ac donatum. Idem uidua sancta & prouecta aetatis Hanna proficitur, eodem in loco, ubi Messias debebat exhiberi & innotescere. Magi ex oriente peregre uenientes, testifi-

cantur

cantur *Messia*, quem more *Scriptura* regem *Iudaeorum* appellant, iam natū atq; exhibitum esse: & stella noua in aere fulgens, ac certissimo itinere ipsos ad domum atque adeo ad ipsum infantem *IESVM* deducens, ac reliqua angelicæ præmonitiones, ne ad *Herodem* redirent, idem luculenter demonstrant. Estq; in primis magnificum, quod *Magi* stellam, quam comitē itineris habuerant, uocāt stellā regis *Iudaeorum*, seu *Messie*. Accidit & diuino iudicio, ut ipsi sacerdotes *Iudaeorum*, *Herodis* autoritate adducti, decernerent, iuxta *Micheæ* prophetiā, *Messiam* *Bethlehema* natiuum: id quod factū iam tum erat. *Baptista* quoq; adeo doctrina & uirtute celebris, ut etiam à *Iudeis* in precio haberetur, digito in ipsum *IESVM* commostrans, dicebat: *Ecce agnus Dei*, qui tollit peccata mundi. Verba enim ex *Esaiæ* cap. 53 mutuatus, tali periphrasi non ignota, presentem *Christum* indicabat: imò totum *Baptista* officium ed spectabat, ut *Messias* notus ac clarus fieret. ac fatetur, se à *Deo* eam reuelationem accepisse: & conspexisse, quomodo *Spiritus sanctus* in eum descenderit. Neq; est contentus *Deus* hac mediata ac certa de *Messia* testificatione, sed ipsemet è cælo hoc eum elogio ornat: *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus*, in quo delector: hunc audite. *Matth.* 3. 17. Quid requirimus testes alios, cum ipse pater cælestis hac uoce toti mūdo *Messiam* cōmendet? Prodest tamen, ob maiorem certitudinem, plura huc reponere. *Andreas* gaudio exultans ad *Simonē fratrem* inquit: *Inuenimus Messiam*, quod est interpretatum *Christus*. *Philippus* quoq; citra ullam dubitationem *Nathanaeli* eandem rem exponēs dicit: *Quem scripsit Moyses in lege & prophetis inuenimus IESVM filiū Ioseph à Nazareth*. *Nathanael* sermone *Christi*, eiusq;

ſi, eiusq; potentia, quòd longius proſpiceret, ac plura noſſet
 quàm alij homines, motus, incunctatè confeſſionem edit:
 Tu, inquit, es filius Dei, tu es rex Iſrael. Ioh. 1. Ex miracu-
 lorum frequentia & potentia, turba colligit IESVS eſſe
 filium Dauid. Matt. 12. Et eodè titulo, Matt. 15, mulier Ca-
 nanea cum agnoſcit & alloquitur, et Matthæi 19, cæci. &
 Matt. 21, acclamantium turba. Communis omnium diſcipu-
 lorum confeſſio, quam profert Petrus, eſt, quod IESVS ſit
 Chriſtus, filius Dei. Matt. 16. Iohan. 6. Nicodemus quoque
 ex miraculis eam noitiã ſumit, & intrepidè conſtetur:
 Scimus, inquit, quod à Deo ueneris magiſter. Nemo enim
 poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum
 eo. Ioh. 3. Samaritani, audita Chriſti doctrina, eiſmodi te-
 ſtimoniũ ei perhibent: Ipsi audiuiſimus, & ſcimus, quòd hic
 eſt uerè ſaluator mūdũ. Ioh. 4. Turba miraculoſe paſta à IE-
 SV, inquit: Hic eſt uerè ille propheta, qui uenturus eſt in
 mūdũ. Ioh. 6. Martha etiam dicit: Ego credidi te eſſe Chri-
 ſtum filium Dei, qui in hunc mūdum uenturus erat. Iohan-
 nis 11. Et Iohannes inquit, omnia ſcripta eſſe, ut certum ſit,
 IESVS eſſe Chriſtum filiũ Dei. Idem IESVS uberrimè
 & doctrina & miraculis probat. Præterea manifeſtæ eius
 confeſſiones, quòd ſit Chriſtus, paſſim extant: Matth. deci-
 moſexto, ubi Petri confeſſionem approbat, ac interdicit ne
 ad tempus cuiquã indicent, quòd ſit Chriſtus. Matth. uigeſi
 motertio: Magiſter ueſter unus eſt Chriſtus. Diſcipulos ob
 cognitionem Meſſiæ beatos prædicat: Amen, inquit, dieb
 uobis, multi propheta & iuſti cupierunt uidere quæ uos uide-
 tis, & non uiderũt: & audire quæ uos auditis, & non au-
 dierũt. Matth. 13. Matt. 26. 27. directè ad queſtiones Cai-
 phæ & Pilati IESVS reſpondet, ſe eſſe Chriſtum, eſſe re-
 genũ

gem Iudæorū: qua re Pilatus mortuus, licet regem sine regno corporali, & quidem in cruce passurum irridens, inscribit Ebraicè, Græcè et Latinè, in ipsum IESV patibulum hunc titulū, HIC EST IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM: id quod tamē diuino consilio permisit Deus fieri, ut etiam persecutores de Christo testificarentur, quis ac qualis esset. Ac subinde in passione sonat ea doctrina, IESVM esse Christū, repetentibus eam (licet per ludibrium) etiā impijs persecutoribus. Legit IESVS in synagoga Nazarethana Esaiæ locum, qui extat cap. 61: Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, & c. & inquit: Hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Luc. 4. Samaritana muliercule de aduētū Messia colloquēti, simpliciter fatetur: Ego, inq̄, sum qui loquor tecū, Ioh. 4. Scripturas de se testari inquit. Ioh. 5. Luc. 24. Ego sum lux mūdi. Itē: Si non credideritis, quod ego sim, moriemini in peccatis uestris, inquit Ioh. 8. Querētibus Iudæis, an sit Christus, absq̄ ambiguitate respondet: & eos ad ipsa opera, tanquā euidentissima testimonia, deducit. Ioh. 10. Hanc esse uitā æternam inquit, agnoscere patrē Deum esse uerum, et quem misit Iesum esse Christum: Ioh. 17. Miracula uerò & opera Christi, id ipsum quoq̄ magnificè probant et declarant: qua mox recitabuntur. Iohan. 5 inquit: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Ioh. 10. Si mihi non uultis credere, operibus credite. Ioh. 15: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberēt. Interrogāt Ioannis discipuli: Tūne es qui uenturus est, an alium expectemus? quibus dat respōsum Christus: Renunciate Iohanni, quæ auditis et uidetis, et breui quasi elencho miracula sua recitat: Cæci (inq̄) uideēt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,

audiunt, mortui resurgunt, pauperibus Euangelium adnunciatur, & beatus qui non fuerit in me scandalizatus. Matthæi undecimo. Hinc etiam turbae dicunt Matthæi nono: Nunquam apparuit sic in Israël. Item Iohannis septimo: Christus cum uenerit, nunquid plura signa faciet, quàm hic facit? Et cæcus sanatus inquit: A seculo non est auditum, quòd aliquis aperuerit oculos, ei qui cæcus fuisset natus. Iohannis nono. Sed quomodo uerbo efficaci & omnipotentis uaria miracula sit operatus, in historia eius recitatur. Ad hanc partem etiam ipse ingressus splendidus pertinet, qui paucis ante passionem diebus iuxta prophetiam Zacharie factus est, acclamantibus turbis, Hosianna filio David: ex Psalmo centesimodecimo octauo. Et quòd confestim ingressus templum, id docendo atque excussione mercatorum purgat. Alia argumenta passim in concionibus eius extant: ut quòd indefinenter inculcat, se à patre cælesti missum: eaq; omnia doctrina, operibus, passione expedire, quæ in mandatis ab eo acceperat. Iohannis quinto, octauo, & alibi. Ait se ante Abrahamum extitisse, ac cum gaudio ab eo uisum esse: Iohannis octauo. Addit ibidem & hanc demonstratiõnem, quòd nemo eum possit ullius peccati arguere. Item dicit, se uitam pro omnibus ponere: dare uitam æternam, postulat sibi credi ex uoluntate ac iussu Dei patris, ac minatur æternam condemnationem, si id non fecerint. Iohannis sexto, decimo. Sapius repetit, se tertia die resurrecturum, & omnia post se tracturum, seu collecturum Ecclesiam ex cunctis gentibus. Itè dimittit peccata. Censum Cæsari, licet peregrino domino, tribuendum liberè pronunciat: Matthæi uigesimo secundo. Significat igitur, hoc ipso tempore sceptrum Iudæ, iuxta uaticinium Iacobi, esse sublatum: tempusq; Messie

iam adesse. Idem & alia historia docent: ut quod Augusti mandato, quo describebatur totus orbis, etiam in Iudæa parere coguntur. Herodes Hierosolymis politiam administrat, & ferociter audito nuncio de rege Iudæorum nato furit, grassans in pueros Bethlehemiticos: id quod Iudæi, imperio alienigenæ pressi prohibere nequaquam poterant. At quoties commemoratur, IESVM omnia impleuisse, quæ fuerunt de se scripta, & quidè in Mose, prophetis & Psalmis. Luca 24. prædixit IESVS cladem extremam ac deustationem horrendam Hierosolymorum, totiusq; populi Iudæici: ac instituit ministerium Euangelij uniuersale: ascendit uisibiler in cælum, et occupauit dexteram Dei. Hæc & alia plura, quæ in historia referuntur, liquidò testantur, hunc ipsum IESVM esse uerum Messiam: nec expectandum esse alium, ut delirat adhuc hodie misera fex Iudæorum.

Quod ad doctrinam de substantia IESV Christi attinet, supra ostensum est, hunc IESVM esse uerum hominem: natum ex sola uirgine Maria, absq; ullius uiri cõmixtione, tantum de Spiritu sancto, ut habet historia. Ipsemet quoq; se plerumq; hominis filium nūcupat: ac morte sua probat, se uerum hominem esse. Dei autem simul filium, seu uerum Deum esse, itidem ex certis testimonijs probatum est. Non enim tantum manifesta confessiones ea de re extant, sed & diuina opera, quæ IESV tribuuntur: ut conditio rerum omnium, nosse cogitationes, curatio morborum solo uerbo, donatio Spiritus sancti, resuscitatio mortuorum, propria resurrectio, ascensio ad cælos, sessio ad dextram Dei, præsentia in sua Ecclesia.

Duas fuisse distinctas quæstiones in populo Iudæico de Messia, utrum Messias uenturus, & deinde quæ sit futurus

ipsius substantia, interrogatio sacerdotum in passione Christi
 planum facit: Tu ne es, inquit, Christus filius Dei bene
 dictus? id quod utrunq, IESVS approbat. et Matth. 22, ex
 Psalmo 110 probat se non tantum filium Davidis, hoc est ho
 minem naturalē esse, sed et superiorē quandā substantiam
 habere. Dicitur et hoc est, mirandā copulationem seu uni
 onem duarum naturarū, nempe diuinā et humanā, in Chri
 sto factā: ut non in eo duae post assumptā humanā naturam
 sint distinctae personae, altera diuina, altera humana: sed uni
 ca tantum, constans unione, quae omnē humanū captum exu
 perat, humanā et diuinā naturā. Causae huius stupēdae hy
 postatica unionis passim ex testimonijs historiae Euangelij
 excerpri possunt. Prima est, immensus amor erga genus hu
 manū, de quo Ioh. 3 Christus inquit: Sic Deus dilexit mun
 dum. Secūda, ut posset hic Messias peccata generis humani
 in se recipere, ac pro ijs mori. Siquidem stipendium peccati
 mors erat: quae omnino erat perferēda, si iusticiae Dei debe
 bat satis fieri. De hac causa Baptista inquit: Ecce agnus
 Dei, baiulans et auferens peccata mundi. Tertia, ut huma
 na natura subueheretur in caelum, in testimoniū, quod om
 nes credentes, in Christum eodē sint peruēturi, sicut inquit:
 Ascendo ad patrem meum, patrem uestrum. Ioh. 20. Item: Vbi
 sum ego, et vos eritis. Ioh. 14. Quarta, propter pleniorē con
 solationē in precib. et in omnibus aerumnis huius uitae: ut
 sciamus, nos habere talem mediatorē, qui etiā sit uerus ho
 mo: item, qui morte sua nos expiauit apud patrem. Ioh. 14.
 Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut
 glorificetur pater in filio. Quinta, ut tanquam Deus et ualī
 dio: em et praestantiorē satisfactionē pro genere humano
 praestaret: Ioh. 3. Sexta, ut posset dare hominibus in se cre
 dentibus,

dentibus, remissionē peccatorū, spiritū sanctū, uitā aternā: tueri suam Ecclesiam aduersus Diabolum, mundum & mortem, & omnibus seculis ei adesse: resuscitare ac iudicare omnes, & deniq; collocare suum cœtum in mansiones aternas, sicuti & conciones ipsiusmet Christi declarant.

Causa finalis Messia, cur uenerit, & quod sit eius officium, quæ beneficia, illustra dicta indicant. Angelus ad Iosaphum inquit: Ipse saluum faciet populū suum à peccatis suis. *Matth. 1.* Et *Zacharias*: Visitauit et fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui: sicut locutus est per os sanctorū, qui à seculo sunt, prophetarū eius: Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: Ad faciendā misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamēti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit Abrahamæ patri nostro, daturū se nobis: Ut sine timore de manu inimicorū nostrorum liberati, seruiamus illi: in sanctitate & iusticia corā ipso, omnibus diebus nostris. *Luc. 1.* Ipsemet Christus inquit: Venit filius hominis querere et saluare q; perierat. *Matth. 18.* *Luc. 19.* Baptista inquit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mūdi. *Ioh. 1.* Et *Ioh. 12* inquit Christus: Nunc princeps huius mūdi ei cietur forās. Hæc dicta oēdunt, Messia ad hoc exhibitum, ut tollat atq; expiet peccata totius generis humani, uincat Diabolū, salutē aternā pariat, et quæ inde sequuntur: nempe pacē cū Deo, donationē Spiritus sancti, ac uitā aternā.

Docet autem porrò Christus, qua ratione eam salutem necesse fuerit consequi, nempe impletionē legis, sicut inquit *Matthæi quinto*: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Quod autem cū obedientia debita, tum etiā passione seu morte peccata generis humani fuerint expiāda, Ioānes

baptista ea uoce effert, quod eum agnū Dei, seu uictimam
 maclationi destinata[m] appellat: & Christus inquit, se passu-
 rum iuxta scripturas. Luc. 22. Oportet impleri scriptu-
 ram in me, Cum iniquis deputatus est, ac predicat omnia
 exactissime: Oportet, inquit, me ire in Hierosolymam, &
 multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdo-
 tū, & occidi, & tertia die resurgere. Mat. 16. 17. & Mat. 20
 inquit, se traditū iri gentibus ad illudendum, flagellandum,
 & crucifigendum. Item. Filius hominis non uenit ut sibi
 ministretur, sed ut ministret, & det animam suam in redem-
 ptionē pro multis. Luca 24. inquit. Sic scriptum est, & sic
 oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die.
 De sui exaltatione dicit Iohan. 12. De abitu ad patrem, Ioh-
 an. 13. 14. 16. Accōmodat ad se typos quosdā ueteris Testa-
 mēti, ut Ioh. 3: Sicut Moses exaltauit serpentē in deserto, ita
 exaltari oportet filiū hominis, ut omnis qui credit in ipsum
 non pereat, sed habeat uitam aeternā. Matt. duodecimo: Si-
 cut Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus & noctibus, sic
 erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & noctibus.

Non pro se Christum mortem sustinuisse, sed pro toto
 mundo, perspicua testimonia docent. Panis quem ego dabo,
 caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita: Iohan. 6. Sic
 Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret: Ioh. 3.
 Animam meā pono pro ouibus meis: Ioh. 10. Pro eis sancti-
 fico me ipsum: Iohannis decimosextimo. Nolite flere super
 me, sed super uos ipsas flete, & super filios uestros: Luca 11.
 gesimotertio. Baptista clamat: Ecce agnus Dei qui tollit
 peccata mundi: Iohannis primo. Si non abiero, paracletus
 non ueniet ad uos: Ioh. 16. Non igitur ad regnum corpo-
 rale aut mundanum uenit, siquidem ad patiendum & mo-
 riendum

riendum se preparat. & aperte inquit: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudeis.

Ut autem officia Christi, & effectus missionis ac passionis rectius cōspici ac considerari possint, præcipua quædam opera Christi, posteaquam ad hoc suum ministerium accessit, paucis enumerabimus. Etsi enim passio atq; uniuersa legis impletio, præcipua actio Christi in hac sui missione fuit, tamen etiam aliæ ad eam pertinent. Ait igitur Christus, se ad docendum esse missum: ut uidelicet reuelet noticiã Dei, uocet ad pœnitentiam, erudiat de remissione peccatorum & ueris Dei cultibus. Matthæi 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Matthæi 13. Magister uester unus est Christus. Marci 1. Luca 4. Oportet me etiam alijs ciuitatibus euangelizare, quia ad hoc missus sum. Iohannis 8. Loquor ueritatem, quam audiui à patre. Iohannis 12 inquit, se accepisse in mandatis uerba, quæ debeat loqui. Reuelat patrem Ioh. 1. Unigenitus qui est in sinu patris, ipse reuelauit nobis. Ioh. 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota uobis feci. Ioh. 17. Ego te clarificauit super terram. Item, Notũ feci eis nomen tuum. Ioh. 18. Ego sum rex. Ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Ideo & pater celestis hanc uocẽ edit, dicẽs, HUNC AUDITE: quasi diceret, hunc doctorem uobis è cælis misi, quem abiectis Pharisæicis ac impijs opinionibus sequimini. Iohannes inquit cap. primo: Deum nemo uidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. atque id officij etiam ante incarnationem gessit, præcipuè tamen, postquam baptismo initiatus ministerium publicum docendi suscepit. In parabola de se-

mine afferit, filium hominis, hoc est seipsum esse seminatum. Eam ob causam etiã se lucem uocat. ut Iob. 8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Iob. 12. Ego lux in mundum ueni. Sic & euangelista Iohãnes in exordio suæ narrationis personam & officium IESU Christi describens, inquit: Lux in tenebris lucet, item, Illuminat omnem hominem. Item, celebrat eum esse plenum ueritate: id est, uera ac saluifica doctrina. Luca 4. allegat ex 61 capite Esaia prophetiam, qua confirmat suum ministerium, quæ sic habet: Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, ut sanæ cõtritos corde, ut prædicæ captiuis remissionẽ, & cæcis uisum: ut dimittã cõfractos in remissionẽ, ut prædicẽ annũ Domini acceptũ. Idem historia Christi docet, quod antequam à Iudæis caperetur, Hierosolymis & passim in Palaestina, in synagogis ac tẽplo, tũ etiã alibi in mõtibus, in uittore, prout homini peregrinãti & colligẽti Ecclesiam ex pluribus locis occasio sese obiulit, uocẽ Euãgelij sparserit. Aluit eius rei gratia & scholã, ad quã peculiariter delegit Apostolos, qui debebãt fieri præcones patefacti Euãgelij.

Summa doctrinã Christi supra sunt recitata. Singularem autem Dei consilio id factum est, ut antequam pateretur Christus, dulcis ac grata fama de ipso, imò summa uerè doctrinã in toto populo Iudaico sonaret, ut omnibus de presentia & operibus Messia innotesceret, & regnum Messia perspicuè & excellenter omnibus deferretur, ac multiplices Pharisæicæ corruptelæ manifestè taxarentur.

Venit Christus, ut colligeret ueram Dei Ecclesiã. Matthæi nono: Veni peccatores uocare ad pœnitentiam. Vnde etiam ipse sic concionatus est Matth. 4. Impletum est tempus, in-

pus, instatq; regnum Dei, respicite & credite Euangelio. *Matt. 23.* Hierusalem Hierusalem, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub alas, & noluisti? *Matt. 16.* Super hanc petra, hoc est confessionem, quam communi nomine iam de me protulisti, & edificabo Ecclesiam meam. Et ob eam causam emittit discipulos, qui in collectione Ecclesiae operas conferrent.

Dimittit peccatoribus peccata gratis & manifestè: id quod tanta perspicuitate, & tam frequenter nunquam antea factum fuerat. *Matth. 9.* Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. Item: Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra. *Luce 23.* Latronem alterum, se in cruce conuertentem, licet affixus manibus pedibusq; sauis doloribus angeretur, tamen libero ore de sublimi loco absoluit: Hodie, inquit, mecum eris in paradiso. quod idem est cum eo, Dimittuntur tibi peccata tua.

Edit miracula, quae Messiae erant propria: Ieiunat quadraginta dies & noctes, ac saluus manet. *Matth. 4.* Verbo omnipotentis male habentes sanitati restituit: ut, mundat leprosum, curat paralyticum absens, tactu solo socrum Petri febris ardentem liberat, increpatione uentos ac mare sedat. *Matth. 4.* Paralyticum iuuat: hamorroissam sanat, cum ea tantum simbriam uestimenti ipsius attigisset: caecis uisum reddit. *Matt. 9. 20. Iohan. 9.* Aridam manum rursus integritati restituit. *Matth. 12.* In mari, non aliter atque in terra solida iter facit. *Matt. 14.* Quinq; mille hominum quinq; panibus, quadringenti septem affatim ab ipso pascuntur. *Matth. 14. 15. Ioh. 6.* Iubet Petrum piscari, ac praedicat cum statera in ore piscis inuenitur. *Matt. 17.* Ficiu maledici, quae mox exaruit: *Mat. 21.* Aquam mutat in uinum: *Ioh. 2.* A reguli filio

absens febrim tollit: Iohannis 4. Hominē qui triginta annos aegrotauerat, in momento sanat: Iohannis 5. Contracta membra rursus recta efficit, Luc. 13. Amputatam auriculam statim Malcho in locum reponit, Luc. 22. Iohannis 18. Mortuos in uitam reuocat sola potentia uerbi sui. Matth. 9. Luc. 7. Laz arum, qui quadriduum in sepulchro iacuerat, iamq; fetēre ceperat, resuscitat, omnibus membris restitutus: Iohannis 11. in passione Christi, quamprimum in cruce obdormierat, multa sanctorum corpora resurgunt, multisq; postea, illis quadraginta diebus ante gloriosam ascensionem Christi apparent: Matth. 17. Belligerat cum Diabolo, non armis corporalibus, sed uerbo & passione, eumq; uincit, Matth. 4. Diabolum se uariē tentantem in ieiunio quadraginta dierum, fortiter profligat ac superat. Spiritu Dei, demonia ab hominibus efficacia uerbi sui expellit. Matth. 9. 12. 15. 17. Marci 1. Erant autē miracula omnia, praeludia sui operis in passione complendi: uidelicet, quod peccatum & Diabolum esset superaturus. Deniq; ipsemet Christus, resurrectionis humani generis fons & origo, tertia die à morte sua in monumento obsignato, & militibus circumfesso, liber reuiuiscit ac egreditur, uictor omnium hostium. Testantur etiam pleraq; miracula, à Diabolicis illusionibus, impossibilitate & sine differentia, Christum esse uerē Deum, & omnipotentem.

Ordinauit sacramenta seu sigilla gratiae. Dedit enim potestatem ligandi impoenitentes, ac soluendi poenitentiam agentes: quam quidem potestatem clauēs caelorum appellat Matth. 16. 18. Ioh. 20. Baptismū certa forma conferri iussit, uēpe in nomine patris & filij ac spiritus sancti. Matth. 28. Cōmunionē seu cōmunicationē corporis ac sanguinis sui sub cer-
tie ele-

is elementis instituit, in remissionē, peccatorū ac cōmemorationem suorum beneficiorū: Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Passus est, iuxta scripturas, tanquam uerus agnus, tollens peccata mundi: ut Baptista inquit. Huius satisfactio- nis nomine dat pacem, Ioh. 14. Pacem meam do uobis, non sicut mundus dat: cor uestrum non formidet. Dat uitam eternam, Ioh. 3. Quis credit in me, habet uitam aternam. Io- han. 6. Descendi de caelo, ut faciam uoluntatem patris, non ut perdā, sed uitā tribuā, Dat gratiā. Ioh. 1. Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiā pro gratia: quia lex per Mo- sen data est, gratia autē & ueritas per IESUM Christū facta est. Facit filios Dei, Io. 1. Dedit eis potestātē filios Dei fieri, quot quot credūt in nomē eius. Hos & similes fructus ipsum sua passione meruisse, scriptura Euangelica testatur.

Post quā resurrexit à mortuis, quadraginta dies se patefe- cit: docuit discipulos, & cōfirmauit de hoc articulo omnium amplius, quod uerē euaserit uictor peccati, mortis, Diaboli: ac ab istis hostibus, immunitatē omnib. hominib. modo cre- derēt, pepererit. Dat spiritū sanctū, Ioh. 20. Et Iohannes prophetat eum baptisaturū spiritu sancto & igni: Matt. 3.

Sancit atq. instituit ministeriū Apostolicum seu uniuersale: ut iam collectio Ecclesie iuxta scripturam fiat ex omni- bus gentibus, sicut inquit: Ite in mundum uniuersum, præ- dicare Euangelium omni creature: Marci ultimo. Et hæc fuit causā, quare Apostolos peculiariter elegerit, ac doctri- na prius fideliter instruxerit, ac donum miraculorum eis communicarit: Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6.

Ascendit in cælum denique: quadagesimo die à re- surrectione sua ex morte, spectantibus multis fratribus. Se- det nunc ad dextram Dei, & habet regnum aeternum:

et omnia sibi subiecta sunt. Mar. 16. Lu. 24. Act. 1. Mat. 26.

Adest adhuc Ecclesia sua, Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Idem cœna sua docet. Habitat in nobis, Ioh. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansione apud eum faciemus. Veniet in maiestate ad iudicium, & resuscitabit mortuos in nouissimo die. Ioh. 5. Amen dico uobis, ueniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audierint, uiuent. Ioh. 6. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioh. 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et quidem credentes traducet in regnum patris, impios uerò unâ cum Diabolis in æternum ignem deturbabit. Matth. 16. 23. 24. 25. Luc. 3. 9. Ioh. 5. 16. Hactenus de ijs quæ de Messia in Euangelica historia recensentur.

DE APPELLATIONIBVS CHRISTI, QUÆ in Euangelica historia occurrunt.

Variæ occurrunt in historia Euangelij appellationes Christi, quæ cum non temerè ei sint inditæ, utile est eas obseruare, atq; excutere. Aliæ enim substantiam, aliæ officium eius personæ declarant, aliæ utrumq; cõprehendere uidentur.

FILIUS DEI dicitur, propter substantiam. Est enim natura Deus, ab æterno à patre genitus: nec accepit in mundo primùm eam naturam, sed de cœlo ueniens, eam in mundum attulit: nec mutauit eam, sed mirâdo & inexplicabiliter eam eum cõiungendo cõiungendo copulauit, seu uniuert. Est q; distincta & subsistens persona à patre. Loca superius annotata sunt. Vocantur autem & credentes in Christum, filij Dei. uerum longè

longè aliâ ratione, nempe adoptione, gratia ac remissione peccatorum propter Christum. Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen eius. Et huc pertinet illa periphrasis filij Dei Ioh. 1, Vnigenitus, qui est in sinu patris. Non enim plures habet filios consubstantiales Deus pater, quàm hunc unum. Estq; in sinu patris, hoc est ὁμοῦστος. Fortè etiam in sinu patris significat, charissimū Dei filium.

FILIUM HOMINIS ipse Christus se ut plurimum uocat, quòd ipsum quoq; substantiã explicat: nempe quòd sit uerus ac naturalis homo, constans anima & corpore, natus ex Maria. Estq; in hoc nomine cõmunicatio idiomaũ obseruãda. nõ enim iuxta diuinã naturã filius hominis est Christus.

IESVS communissima appellatio est. Diuino enim consilio sic est nominatus, angelo hoc mandatum perferente ad Iosephum, ut infantem, quem Maria esset paritura, uocaret IESVM. addita insuper etymologia ac ratione nominis: Ipse enim, inquit, saluũ faciet populũ suum, à peccatis suis. Mat. 1. Est igitur IESVS, officij nomẽ. Disputat autẽ ac cõsignit eruditi de hoc nomine acriter. Quidã à Iehoua peculiari Dei appellatione, deriuare conãtur: tali nimirũ mutatione aut epenthesi facta, quòd ex Iehoua, Ieheschuch sit cõpositũ, ac deinde rursus per quandã amputationẽ & mutilationem sit procreatũ Ieschu. Verũ eruditi hasce Rabinicas cogitationes, tanquã alienas & cõtortas, & nulla firma autoritate aut ratione suffultas, explodũt: & simplicissimũ ac uerissimã etymologia q; è celo, plate maximè cõsentaneũ iudicãt, deducere à Iafcha, quòd saluare significat: & Ieschuah salus aut liberatio: ac cõuenire cũ nomine Iehosua, cum quo uocabulo nomẽ IESV literis, ac fermè syllabis coincidit. nã Iota cõuenit cũ Iod, Ita cõuenit cũ He, Schin cũ Sigma: Ain alioqui solet

solet exilem sonum habere, & iam traductum in alienam linguam, praesertim in sine, ubi linguarum magna est libertas, facile euanescit. Est & Iehosua (Moyseis famulus ac successor, qui populum Israeliticum in promissam terram perduxit, ac sorte possessiones distribuit) typus Christi, sicut multi probati Scriptores monuerunt. Idem nomen in ueteri Testamento alij quoq; habuerunt. Sed ea de re peritorum libri cognoscantur. Nobis enim in hac materia non est animus, copiosius aut scrupulosius ista persequi.

MESSIAS Hebraeum est uocabulum, quod exprimitur uoce graeca Christus: Iohannis primo, quarto. & significet unctum, estq; officij ac honoris appellatio. Nam in politica Mosaica tum sacerdotes summi, tum reges, nempe duo summa capita in Ecclesiastico & politico regimine, solebant fragranti unguento, peculiariter ex Dei praescripto confecto, inungi atq; initiari. Estq; significatiu, Messiam pontificem summum, placantem genus humanum patri, ac regem aeternum fore.

DOMINVS uocatur in Graeco, pro Iehoua. nam Apostoli translationem Septuaginta interpretum retinentes, eadem uoce usi sunt. Iehoua autem ab Haiab, aut Hana, quod esse significat, deducitur. Coniectura doctorum hominum sunt, Deum se uocare Exodi tertio: Ero qui ero. Et Iehoua nominare ideo, quod is sit Deus, qui esset aliquando, iuxta promissiones factas in paradiso post lapsum, semen illud benedictum futurus, quod serpenti caput contriurum, cunctisq; gentibus exoptata benedictionem allaturus esset. Confirmatur haec sententia Pauli declaratione, qui i Corint. 10 affirmat, Christum esse eum Deum, qui populum Israeliticum ex Aegypto fortissima manu eduxerit. Is igitur etiam cum

Mose

CHRIS gre
dicatur

Mose locutus est. Ac recepta est opinio, eo tempore primum hoc diuinum nomen innotuisse: licet Moses qui post illam revelationem Dei, narrationem ab exordio mundi contexit, etiam prioribus historijs hoc nomē Dei immiscuerit. Dominus autem non idem quod Iehoua significat: attamen per excellētiam hunc Deum, Dominum uocare uoluerunt, quasi qui esset reuera summus, ac potentiā suam in suo populo abundē declarasset, ac futurus uictor peccati & mortis, non succubiturus in illa stupenda humilitate, quam subiurus erat. Est igitur & hoc officij nomen. Vocatur autem & pater Dominus, ut Matt. 11. Pater Domine celi & terra. Verūm ibi paulo generalius est hoc nomē, ac significat, patrem celi ac terra potestatem habere, &c.

DEVS dicitur Christus, ut Ioannis 1. Verbum erat Deus. Ioannis 20. Dominus meus, & Deus meus: quia est om̄ōs̄ios et coeternus patri ac spiritui sancto. est igitur substantia uocabulum.

LOGOS, seu uerbum à Iohanne euangelista nuncupatur, ut apparet, respectu nostri: nempe propter hoc insigne officium, quod fuit persona proferēs ex arcano cōsilio Dei, decretum de remissione peccatorum, ac docēs de ueris Dei cultibus. Subiūgit enim: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Ioh. 1. pater è caelo clamās, iubet hunc audiri: ergo est Ecclesiae doctor. Et uidetur Iohannes hanc uocem ex Christi responsione, Ioh. 8. mutuatus esse. Tu quis es? respondet Iesus, τὸ ἄρχὴν ὁ, τὴ καὶ λαλῶ ὑμῶν. Principium quod loquor uobis. Ordinat praeterea ministerium, in eo q̄ se praesentem atq̄ efficacem fore restatur. Est autem uerē ὕψιστος, non uox euanescentes, persona à patre & spiritu sancto distincta, coessentialis & coeterna. Basilius

σὺν λόγῳ

& Augustinus autumat, eum respectu patris dici λόγος, quia sit cogitatione genitus, communicata essentia diuina: perinde ut sermo in homine cogitatione gignitur, est quod imago rei cogitata. Verum in cogitatione non transfundimus essentiam, sed sunt euanescentes mentis actiones, pingentes res cogitatas sane mirabili modo. Atqui tanquam in re inexplorata, et omnium hominum sapientiam excedente, parcius de ea locuti sunt illi ipsi patres: ac subinde studiose inculcarunt, rem tantam humana sagacitate peruestigari non posse: ac maluerunt illam alteram interpretationem, quae nobis consulationem gratissimam suppeditat, retinere, ac suis auditoribus notam esse. Sint igitur ac maneant humanae duntaxat cogitationes de posteriori etymologia: ac ualeant tantum, quantum cooperationes a rebus humanis ad diuinas translatae solent ualere, donec in academia caelesti ex ore Christi omnia penitus ac plenius cognoscamus. Porro hoc uerbum substantiale distinguendum est a uerbo uocali, ut sic uocemus: hoc est, a doctrina proposita a Christo. Nam doctrina eius, quae uerbum aliud appellatur, nequaquam est substantia Christi. Quae enim deum mentia foret, dicere, eum suam substantiam effatum esse? Necessesse foret & Apostolos, aliosque uerbi ministros, meras Christi substantias eloqui: quo quid absurdius esset? Debere autem hac discerni, dicta aperte testantur. Ioh. 14. Si quis diligit me, uerbum meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciet. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Manifeste sunt & uerba, hoc est doctrinam distinguit. Si Moysi scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Ioh. 5. Sermo quem ego loquor, non est meus, sed eius qui me misit patris.

SOTER, Saluator ab Angelo uocatur, Luc. 2. Samaritanis

rani à Christo recens conuersi, & uera fide flagrantes, eum saluatore mundi appellant, Iohan. 4. Simeon uocat salutare Dei. Respicit autē hęc appellatio ad officium Christi, nempe quod salutem toti mortalium generi adferat. Ideo iucundum est, & plenum consolatione, quod mundi saluator, & à Simeone Dei salutare dicitur: eo quod à Deo ad liberandos homines è carcere peccati & mortis sit missus, sicut audiuius angelum nomen IESV interpretatum esse.

I M M A N U E L, hoc est nobiscum Deus, Matt. primo dicitur, tum propter essentiam, tum propter officium. nam, Verbum caro factū est, inquit Iohannes: hoc est, in una persona Christi unita sunt diuina et humana natura. Deinde, habitat etiam in nobis hominibus, & est efficax: Iohan. 1.

L V X M U N D I, Iohan. 8. 12. Ego inquit, sum, lux mundi: qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Sic et Iohannes capite 1 explicat: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientē in hunc mundum. id quod de doctrina, & noua luce in corde, quam accendit, intelligendum est. Iohan. 1. Vt testimonium perhiberet de lumine. Ioh. 12. Dum lucem habetis, credite in lucem. Simeon prædicat eum esse lumen: & quidem explanationem subiicit, Ad reuelationem gentium. Allusum autem est ad prophetiam Esaie nono. Et citatur Matthæi quarto: Populus qui ambulat in tenebris, uidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

R E X à Magis appellatur, Matth. 2. Et ipsemet se regem esse profitetur Iohannis 18. Sed non de hoc mundo, uerum regem ueritatis: hoc est, qui Ecclesiam doctrina ac spiritu sancto gubernet, ac uitam æternam donet.

RABBI, seu magister passim uocatur, quòd munus docendi gerat: item, quòd perpetuus doctor uelut esse sua Ecclesia, & supremus Rabbi ab Ecclesia omnibus aetatibus agnoscit.

DIX, Matth. 2. ex Michea appellatur: & ratio attribuitur, quia rectorus erat populum Israel caelesti doctrina, fortè etiam, quia bellum cum hostibus generis humani gesturus, & felicem uictoriam obtenturus esset.

PROPHETA, Matth. 21. Luc. 13. 24. Iohan. 4. 6. 9. Hoc nomen habet & propter autoritatem summam in docendo, & quia de rebus uenturis plurima indicabat.

BRACHIUM Domini à Maria nominatur, Luca primo: haud dubiè ad imitationem Esaiae capite 53. eo quòd hoc quasi ualido ac potentissimo seruo Deus esset uindicaturus homines ex potestate diaboli & mortis. Nullum enim humanum brachium, sed solum Domini brachium, rem tantam potuit efficere. Iohan. 12. ex Esaia allegatur: Brachium Domini cui reuelatum est?

AGNUS DEI uocatur à Iohanne, angelo aut praecursore Messiae, idè etiam ex Esaiae cap. 53. sumptum est: ubi scriptum extat, seruum illum Domini ductum iri ad mactationem tanquam ouem: hoc est, futurum uictimam. Ac Dei agnus nominatur, eo quòd Deus in eo fecerit concurrere omnium nostrum peccata.

PASTOR, Ioh. 10. Ego sum pastor bonus, idè declarat Christus, quòd non tantum saluari atque uiuificare doctrina suas ouiculas pascat, sed etiam animam pro ijs ponat.

VITIS, Ioh. 15. Ego sum uitis, uos palmites. Pulcherrima comparatione res maximas explicat, sicut inquit: Quem admodum palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi manseritis in me.

PANIS Dei, Job. 6. Panis Dei est, qui descendit de caelo, & dat uitam in mundo.

SPONSUS dicitur Matt. 9. 25. Mar. 2. Luc. 5. Joh. 3. Respicit autē haud dubiè ad prophetiā Osee 2, ubi sic scriptum est: Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi & in iusticia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide. Significat igitur hac uox, ardentem amorem erga Ecclesiam suam, & copulationem arctissimam. Nam in sponso flagrans amor existit erga sponsam: deinde uinculum arctius in humana uita nullum est quàm hoc.

Iohannis octauo interrogatus Christus à Phariseis, Tu quis es? respondet: Principium, quod & loquor uobis. Est autem τὸ ἀρχαῖον, phrasis continens seriam asseuerationē. Prorsus ille ipse sum, qui loquor uobis: sum persona cuius officium fuit, & nunc est, ut caelestem doctrinam uobis annunciem. ac uidetur ad etymologiam uocabuli τὸ λόγος alludere. Nam de suo ministerio, eloquendi audita à patre, multa in eo loco differit.

Periphrasi MESSIAE utuntur discipuli Iohannis: Tunc es ille qui uenturus est? Matth. 11. Lu. 7. Diu enim erat Messias iuxta promissiones desideratus. Quod autem esset ille ipse, probat factis miraculosis, & doctrina genere. Et haec de nominibus Christi hoc loco breuiter commemorare libuit, eo quòd insignes doctrinas lectoribus pijs proponat.

DE SPIRITU SANCTO.

Prudenter uocabulum Spiritus in sacris literis expendendum est. Non enim unam tantum rem significat, sed uarias: nec ubiq; pro spiritu sancto, hoc est, persona diuina accipi debet. Interdum enim simpliciter uentum significat,

E u. i. oban.

in Tob. 3. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed
 nescis unde ueniat, aut quò uadat. Aliàs pro hominis uita
 usurpatur, seu ipsa anima etiam. ut Matthæi uigesimo se-
 ptimo: Clamans uoce magna emisit spiritum. Ioban. 19. In-
 clinato capite tradidit spiritum: hoc est, uitam seu animam.
 Luca 23. In manus tuas commendo spiritum meum: id est,
 animam, iam de hoc meo corpore separandam. Luca 8: Re-
 uersus est spiritus puellæ, nempe resuscitata à Christo: hoc
 est, anima & uita. Aliàs significat interiores motus à Spi-
 ritu sancto excitatos, seu lucem in corde flagrantem. ut Lu-
 ca primo: Exultauit spiritus meus in Deo salutaris meo:
 hoc est, Ego ex toto corde, & luce in corde, uera cognitione
 beneficiorum Dei accensa, lator, & gratias ago. Vide-
 tur etiam Spiritus hic pro anima accipi, seu nouo homine.
 Sic de effectu spiritus sancti hæc dicta loquuntur Iobannis
 tertio: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non enim
 de communicatione essentiae hic dicitur, sed de effectibus:
 nempe quòd sit renatus, habeat spirituales Deoq; congruen-
 tes motus, quibus alioqui homo destituitur. Item Iobannis
 sexto: Verba quæ ego loquor, spiritus sunt, & uita. Non lo-
 quebatur autem Christus substantiam, sed doctrinam, per
 quam tamen spiritus sanctus datur, & per quam spiritua-
 les motus in corde accenduntur, & inchoatur noua uita.
 Matthæi uigesimo sexto inquit Christus: Spiritus quidem
 promptus est, caro autem infirma: indicans, se paratum
 quidem esse secundum spirituales cogitationes, aut quas
 spiritus sanctus in suo corde alebat, ad subeundam passio-
 nem: uerum ipsam carnem, pœnarum atrocitatem abhorre-
 re. Sed de interioribus motibus intelligenda sunt, Iobannis
 quiddecimo: Infremuit spiritu. Iobannis teriodecimo: Con-
 turbatus

trabatus est spiritu. Item Matthæi quinto, Beati pauperes spiritu: hoc est, non tumentes in corde persuasione propria iusticiæ, sed indignitatem suam perspicientes ac deplorantes, & confugientes ad Christum uera fide, ex cuius abundantia plenitudine gratiam pro gratia accipiunt. Est & nomen generis: ut Luca uigesimoquarto, Spiritus carnem & ossa non habet: id est, spiritualis substantia existit. Iohannis quarto: Spiritus est Deus. hoc loco spiritus genus est, tribus personis conueniens: id est, spiritualis essentia. Item est nomen ambiguum, quod malo & bono spiritui tribuitur. Luca nono: Nescitis cuius spiritus estis. & Luca uigesimoquarto, Existimabant se spiritum uidere. Aliis etiam Spiritus accipitur pro tertia persona diuinæ essentia: & in hac significatione hoc loco potissimum accipimus.

Potest autem ex sequentibus partibus talis definitio colligi: *SPIRITVS* sanctus est, persona diuinitatis tertia in ordine, distincta à patre & filio, & à patre & filio procedens: quæ mittitur, ut in Ecclesia ministerium docendi suslineat, & in cordibus hominum habitet, cosque regeneret, sanctitatem, spirituales motus, consolationem ac uitam impertiat & accendat. Nunc probationes recensendæ sunt.

Spiritum sanctum esse personam diuinam, non agitationem quædam creatam, euidentissimis testimonijs probatur. Descendit enim peculiari specie ad Iordanem, in Christum à Iohanne baptisatum: ubi pater sonat uocem de filio, & Christus undis tinctus in ripam ascendit, Matthæi 3. In hac tam illuſiui reuelatione non decipit homines Deus, sed uerè sese patefecit, qualis est, & qualem se à cunctis m-

talibus uult cognosci, inuocari & celebrari. Baptismū instituit Christus, præcipit eum in ueri Dei nomine toti suæ Ecclesiæ conferre. ac disertè inquit: *Baptisate in nomine patris & filij & spiritus sancti.* Matt. 28. Pronunciat ergo, tam esse spiritum sanctum personam diuinam, quàm est pater & filius, atq; adeò tertius ei in ordine locus assignatur, *Ioh. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.* *Iohan. 15. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre.* Hæc dicta præclare docent, Spiritum sanctum esse personam subsistentem, & quidem diuinam, id quod etiam opera testantur, quæ huic personæ tribuuntur: ut quod simul cum patre & filio homines regenerat, ministerium gubernat, regit corda: imò quòd etiam in Christo habitauit, eumque gubernauit in suo officio omnium amplissimo quod in terris gesit. Verùm de hac parte paulo post.

Esse distinctam personam à patre & filio, ex iisdem testimonijs liquet. Non enim pater, neq; filius est columba, descendens uisibiliter: sed hæc tertia persona, nempe Spiritus sanctus. Hæc etiam declarat Baptista: *Qui misit me, inquit, baptisare in aqua, is mihi dixit: Super quem uideris Spiritum descendantem, & manentē super eum, hic est qui baptisat in spiritu sancto.* Hæc sententia discernit eum à quo mandatum baptisandi accepit Iohannes, & Christum quem debebat baptisare: et postea etiam Spiritum sanctum, qui suo uisibili aduentu eum Christum initiaturus & ornaturus erat. Ita & in uerbis baptisimi à patre & filio distinguitur, suoq; loco recēsetur, ut dictum est. Idem luculenter docent hæc uerba Christi, *Iohann. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.* *Alium, inquit, ut discernat eum à patre, & sese. Item: Paracletus spiritus sanctus, quem*

quem mittet pater in nomine meo. Distinctè pater, Christus, & spiritus sanctus hic nominantur. Iohannis 15: Cùm uenerit paraclētus quem ego mittam uobis à patre. Dulcissimam hic proponit consolationem Christus, se à patre missurum, quid? patrem? ne, an se ipsum? Spiritum sanctum, inquit. Ergo alia est persona Spiritus sancti, alia Patris, alia Filij. Esse tamen has tres personas distinctas unum Deum, supra est indicatum.

Coessentialē patri et filio esse spiritum sanctum, ex uerbis baptismi liquidò constat. Item, quòd uocatur spiritus patris, Matt. 10. quòd à patre filioq; procedit, Iohan. 15. 20. Item, quòd opera diuina communia omnibus personis, ei quoq; adscribantur: ut sunt regeneratio, inhabitatio in cordibus credentium, sanctificatio, & similia.

Non tunc primùm cœpisse Spiritum sanctum, quando Christus est exhibitus, sed coaeternum extitisse patri & filio, ex certis testimonijs manifestū est. Legit ipse Christus in synagoga Nazarethana, locum ex Esa. cap. 61. Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me. Luca 4. eaq; omnia ita explicat, ut perspicuè ad se accommodet. Item Matthaei 22 ait Christus, Dauidem in spiritu se uocasse Dominum. Certum igitur est, Prophetas de spiritu sancto docuisse; priusquam nasceretur Christus. Deinde Spiritus sanctus efficax est in conceptione Christi: uocatur & Patris spiritus. Sicut igitur Pater est aeternus, ita & hic Spiritus. Praeterea sibi & Patri, in baptismi actione, Spiritum sanctum copulat Christus: Ergo coaeternum ac simul omnipotentē esse necesse est. Quod uerò apud Iohannem capite septimo extat: Nondum erat Spiritus sanctus, quia I E S U S nondum erat clarificatus: tantum de uisibili ac miraculosā ef-

fusione Spiritus sancti, quæ post ascensionem in Pentecoste facta legitur, intelligendum uidetur.

Discernitur à Patre & filio etiam ipso nomine. Nam hæc tantum persona Spiritus sanctus appellatur, non pater, non filius: ac tribuitur ei hæc proprietates, quod inquit Christus, patrem mittere eum, Iohan. 14. Item, sese mittere illum ipsum: Iohannis decimo quinto. Et adhuc clarius, Spiritum sanctum à Patre procedere, Iohannis decimo quinto, & Iohannis uigesimo: Insufflauit in discipulos IESVS, dicens: Accipite Spiritum sanctum. Proinde uera proprietates huius personæ, distinguens eam ab alijs, est, quod à patre filioq; procedat. Quomodo uerò id fiat, non est reuelatum, nisi quod Christus eum insufflando semel Apostolis dederit: id quod non legitur eodem modo sæpius factum esse. Communes cum cæteris personis actiones habet, quod in baptismo operatur: Matthæi uigesimo octauo, Iohannis tertio. Efficax est in ministerio, Iohannis decimo sexto. Viniſcat, Iohannis sexto. & quasdam aliàs, de quibus etiam superius dictum est.

Officia atque opera Spiritus sancti plurima recitantur. Gubernauit sanctos Prophetas, accendens eos luce & cognitione ueri Messia, ac rerum futurarum scientia ac prædictione, Matthæi 22, David in spiritu uocat eum Dominum. Sic Christum patefacit Spiritus sanctus in nouo Testamento. Nam Elisabeth repleta spiritu sancto, prophetat de præsentia Christi: quem oculis suis corporalibus nondum contueri poterat. Zacharias spiritu sancto plenus, egregie de Christo iam iam uenturo, eiusque operibus prædicit, Luca primo. Simeonem à spiritu sancto accepisse reuelationem, eoque instigante uenisse in templum tempore

pare præsentationis Christi, eumque mox summa leticia in
ulnas accepisse, atque mirifica de eo intrepidè prophetaſſe,
Luca secundo exponitur. Est igitur opus Spiritus sancti,
noticiam Meſſiæ, & fidem in ipſum, in cordibus hominum
accendere: item, de rebus futuris certo monere, ac per ho-
minum ora præſagire.

Iuuat conceptionem ac natiuitatem Meſſiæ. Sic enim
ſcriptum eſt Luca primo: Spiritus ſanctus ſuperueniet in
te, & uirtus altiffimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod na-
ſcetur ex te ſanctum, uocabitur Filius Dei. & Matthæi
primo: Antequam conuenirent, inuenta eſt in uero habes
de Spiritu ſancto. item: Quod in ea natū eſt, de Spiritu ſan-
cto eſt. Adſuit Chriſto, cumq; gubernauit in ſuo ampliſſi-
mo munere, quod in terris adminiſtrauit. Iohannis 3. Non
ad menſuram dat Deus ſpiritum. Luca 4. IESVS plenus
ſpiritu ſancto, reſgreſſus eſt à Iordane. Item, Agebatur à
ſpiritu in deſertum: item, Reſgreſſus eſt IESVS in uirtute
ſpiritus in Galilæam. Luca decimo: Exultauit in ſpiritu
IESVS. quāuis hoc de interiorib. motibus intelligi poſſit.

Regenerat homines, Iohan. 3. Niſi quis renatus fuerit
ex aqua & ſpiritu, non poterit introire in regnum Dei.
Matthæi uigeſimo octauo.

Eſt gubernator miniſterij, ueram doctrinam conſeruat,
tradit & propagat: idq; per media, hoc eſt, ſynceros Ecce-
ſiæ doctores. Iohan. 14. Vocatur ſpiritus ueritatis, idq; expli-
catur his uerbis: Ille docebit uos omnia, & ſuggeret uobis
omnia quæcunq; dixi uobis. Non igitur aliena à doctrina
Chriſti ſuggerit. Ioh. 15. Ille testimoniū perhibebit de me.
Ioh. 16. Arguet mundū de peccato, iuſticia & iudicio. Spiri-
tus ſanctus igitur uerā peccatorū agnitionē, totamq; con-

uersionem salutarem operatur. Item: Cùm uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim à semetipso loquetur, sed quaecunq; audiet loquetur, & quae uentura sunt annuntiabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Matthaei. 10. Marci 13: Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Itaq; si doctrinam ueram, per organa Ecclesiae salutaria ipsemet spiritus sanctus & loquitur & spargit, quid potest augustius dici? & quis de eius efficacia dubitaret?

Adest clauibus regni caelorum: & remissionem peccatorum in nomine Christi poenitentibus, contra impoenitentibus iram Dei aeternamq; damnationem annuncians, donec respiciant, & gratiam expetant. Iohannis uicesimo: Accipite spiritum sanctum, &c.

Uiuificat hominum corda spiritus sanctus, ac spirituales Deoq; placentes motus excitat & inspirat, quales alioqui in hac deprauata natura non existunt. Iohannis tertio: Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est. Opponit Christus carnem & spiritum. Carnem uocat, totam hominis naturam, labe originis corruptam, in qua regnat peccatum & uitiosi motus, quaeq; destituitur uera Dei notitia, fide, dilectione, inuocatione, spe uitae aeternae. Spiritum uero per synecdochen uocat, hominem spiritu sancto renatum, qui habet remissionem peccatorum propter Christum, & in quo spiritus sanctus nouam lucem, motusq; cum uoluntate Dei congruentes accendit. Iohannis sexto: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Caro, hoc est uitiosa hominis natura, expers uitae est, tantum morti obnoxia existens: at spiritus impertit uitam.

Erigit

Erigit solida cōsolatione pavidas & consternatas cōsci-
entias, indeq; Paracletus nominatur Iohan. decimoquarto.

Excitat mentes ad ardentē inuocationē, Iohannis quar-
to: *V*eri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate.
Itē: *Q*ui adorāt Deū, in spiritu & ueritate oportet adorare.

Denique habitat in pijs organis ueræ Ecclesiæ. Iohannis
decimoquarto: *P*aracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum
in æternum. Item: *A*pus uos manebit, & *I*N *V*OBIS
erit. *Q*uomodo autem in ipsis sit efficax, modò est expositum.

Porò quis det spiritum sanctum, Christus manifestè do-
cet: nempe pater ipse. Luca undecimo: *P*ater uester cœlestis
dabit spiritum sanctum. Ioh. 14. *R*ogabo patrem, & alium
paracletū dabit uobis. Deinde etiam ipsemet Christus cum
largitur. Iohannis decimoquinto: *C*um uenerit paracletus,
quem ego uobis mittam à patre, & c. Iohan. 16. *V*t paracle-
tus ueniat ad uos, quem ego mitto. Iohan. 20. *I*n sufflatione
eum impertit. Matth. 3. Ioh. 1. *B*aptista de Christo conciona-
tur: *I*psē, inquit, baptisabit spiritu sancto.

*Q*uis meritis sit Ecclesiæ, eiusq; organis, Spiritū sanctum,
& qua ratione, explicatur Iohannis decimosexto: *E*xpedit,
inquit Christus, ut ego uadam. Si enim non abiero, paracle-
tus non ueniet ad uos: si autē abiero, mittā eum ad uos. Itaq;
passione Christi tantus thesaurus est cōparatus. Nam prius
eramus ob peccatū diaboli mancipia. Iohannis decimoquar-
to ait, se rogaturum patrem, ut paracletum mittat. *Q*uæ qui-
dem omnia ad officium huius summi sacerdotis pertinent.

*Q*uibus detur, & quibus non, his uerbis monet Christus
Iohannis decimoquarto: *Q*uem mundus non potest accipe-
re, quia non uidet, neq; nouit eum: *V*os autem cognoscetis
eum, & apud uos manebit, & in uobis erit. Conferuntur hæc

sententia discipuli Christi & Mundus. Mundus fastidians Christum, eiusq; uerbu, non est capax spiritus sancti. At discipuli agnoscens Christu, agentes poenitentia, & fide amplectentes gratuita remissionem propter Christu, hanc dulcem promissionem certo habent, quod sint templa & sacraria spiritus sancti. Ioh. 7. Hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant credetes in eum. Hic Euangelista dicit, credetes in Christu spiritu sancto ornari. Docet insuper Christus, precibus a Deo patre huc tam sublimem, salutare atq; necessarium hospitium expetendum esse, Luc. 11. Dabit spiritum sanctum petentibus se.

Per media, hoc est uerbum Dei, ac sacramenta, dari, uerba baptismi, clauium, & ipsa exempla docent.

Nec tantum in adultis, sed etiam in infantibus ac pueris spiritum sanctum habitare, atq; efficacem esse, historia Baptista testatur. Angelus Zachariae nunciat, Iohannem filium spiritus sancto repletum iri, dum adhuc matris aluo gestaretur: id quod postea historia comprobauit. subsultat enim praegaudio ad aduentum Christi.

De appellationibus huius personae pauca at texemus. Interdum tantum uocatur spiritus, ut Matthaei 4. Ductus est in desertum a spiritu. Matthaei 22, David in spiritu uocatur eum Dominum. Iohan. 3. Quod natum est ex spiritu. Ioh. 7. Nondum erat spiritus datus. Interdum epitheta quaedam adijciuntur: ut, spiritus Dei. Matthaei 3. Vidit spiritum Dei descendentem. Matthaei 12. Ego in spiritu Dei eicio demones. Est autem substantiae descriptio, quod consubstantialis sit spiritus Deo patri & filio, & sic a creatis spiritibus distinguitur. Spiritus patris eadem ratione appellatur, quia a patre procedat & mittatur. Matthaei 10. Spiritus sanctus. Matth. 11. De spiritu sancto est. Matth. 12. Qui dixerit uerbum
contra

contra spiritum sanctum. Sic. Luc. 1. 2. 4. Iohan. 7. 14. 20. Habet autem id nomen & propter substantiam, & propter officium. est enim substantia, sicut & ceterarum personarum diuinitatis, sanctissima. Deinde est fons sanctitatis, sanctitatem, hoc est remissionem peccatorum adferens, & sanctos motus in cordibus credentium efficiens. Spiritus ueritatis. Iohan. 14. Iohan. 16. nominatur ab officio, quia ueram de Deo doctrinam custodit, & synceros Ecclesie ministros subinde excitat, & corruptelas arguit atq; destruit: habitat etiam in ijs locis atq; pectoribus, ubi ueritas caelestis regnat: abest uero à mendacijs siue ecclesiasticis siue politicis, & abhorret coetum malignantium. Paracletus quoque simili ratione uocatur, eo quòd hoc habeat officij, ut sit aduocatus in rebus afflictis atq; concisis, sustentet corda firma consolatione, fide, confessione, patientia, perseverantia ac spe aeternorum bonorum, Iohannis 14. 15. 16.

DE CREATIONE.

MVndum hunc, omnesq; in eo creaturas non extitisse ab aeterno, ut sinxerunt quidam Philosophi, sed coepisse aliquando, perspicuè Christus docet Iohannis 17. Clarifica me ea claritate, quam habui *PRIVS QUAM* mundus fieret. item, Dilexisti me ante constitutionem mundi. Marci 13. Erunt dies illi tales, quales non fuerunt ab *INITIO* creaturæ quæ cõdidit Deus. Et Ioh. cap. primo asserit, Omnia per Christum facta esse. Nò igitur ab aeterno extiterunt.

Autor & cõditor huius amplissimi & pulcherrimi operis est Deus. Mar. decimotertio: Ab initio creaturæ quam cõdidit Deus. Et uocabulũ Deus hoc loco tres personas comprehendit, nempe patrem, filium, & spiritum sanctum: qui simul res omnes condiderunt. De filio praclare Iohannes capite

peripateticq;
Iohã. 17.

Autor mundi
75

capite primo inquit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. item, Mundus per ipsum factus est. Per synedochen autem hæc intelligenda sunt, ne alia personæ excludantur. Ideo autem Iohannes de filio tantum loquitur: quia uult ex opere conditionis, quod commune habet cum cæteris personis, demonstrare atq; conuincere, deo seu filium Dei esse Deum coessentialem, coæternum, & coomnipotentē patri & filio. Non igitur casu mundus extitit, sed ab omnipotente Deo fabrefactus & extructus est.

Ex qua materia mūdus sit factus, non quidem ita expresse in historia Euangelica indicatū est: sed tamen quod ex nulla priori seu præexistenti materia, sed ex nihilo sit productus, uel inde licet colligere, quod mundus non fuerit ab æterno, & quod Deus eū cōdiderit, filiusq; Dei fecerit omnia. Hæc latius in Genesi enarrantur, quæ nolumus huc admiscere.

De fine mundi, cur uidelicet Deus eum condiderit, monere nos potest oratio Dominica, & Decalogus à Christo repetitus ac declaratus: nempe ut genus humanū sit sanctum, Deoq; obtemperet, agnoscat ac celebret conditorem, & iam in hac tristi corruptione petat remissionem peccatorum per Christum, cuius beneficium amplectatur ac prædicet: & per Spiritum sanctum inchoet nouam obedientiam. uitet idololatrias, blasphemias in Deum, & alia scelera: colat etiam iusticiam & honestatem in rebus externis, sicut decalogus & oratio Dominica cōmonefaciunt, quum petimus panem quotidianum. Itaque cætera creature omnes condite sunt, ut hominum uite seruiant: Sol, luna, elementa, animalia, & reliqua. Angeli quoq; formati sunt, ut Deo & hominibus ministrarent: Matthæi 18.

no. 18.

Ad esse Deum semper rebus creatis, easq; fouere & conseruare

seruare, hæc testimonia probant. *Matt. 6. Pater cælestis pater DEVM FOVERE
scit uolatilia cæli. item: Lilia, fœnum agri, uestit Deus: So
CREATURAS.
lem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super ius-
tos et iniustos. Ideo cunctas res quæ sunt in mundo, etiam
gramina & res minutissimas, Deus adhuc semper condit,
sustentat, ornat, & uestigia præsentia sue & perpetuæ con-
seruationis etiã in uilissimis creaturis oculis hominum sub-
ijcit. Homines uerò in primis curat, sicut ibidem Christus
concionatur. Si, inquit, fœnum agri, quod hodie est, & cras
in clibanũ mittitur, Deus sic uestit, quãto magis uos? item:
Querite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc
omnia adijcientur uobis. Ac præcedit ratio dulcissima. Scis
enim pater cælestis, quòd his omnibus indigeatis. Hæc insi-
gnis sententia docet, Deum & gubernare res creatas, & libe-
ralem fore erga pios. Exordium quoque orationis Dominicæ
idem commonefacit, ubi dicimus: Pater noster, qui es in cæ-
lis: hoc est, qui in omnibus locis præsens es, regis omnia, ha-
bes omnia in tua potestate. In primis uerò Ecclesiæ suæ præ-
stò est omnibus ætatibus Christus, eamq; moderatur & or-
nat rebus necessarijs ad hanc temporalem & æternã uitam.
*Math. 10. Duo passeret asse ueneunt, & unus ex eis non ca-
det in terram sine patre uestro: uestri autem & capilli capi-
tis omnes numerati sunt. Ioh. 14. Non relinquam uos orpha-
nos. Matthæi 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Idem testatur custodia an-
gelorum, Matthæi 18. Ministerij conseruatio & propagatio. Math. 18. 16. 18. 28.
Matthæi 16. 18. 28. Lucæ 24. Iohannis 16. 20.**

Postremò, quòd Deus liberrimè agat in rebus creatis, etiam contra causas secundas, & sine ipsis, testatur miracula Christi illustria. Cõtra naturæ ordinẽ aqua mutat in uinum,

Iohan-

Iohannis secundo. Pascit ingētem multitudinem paucis-
simis panibus, Matth. decimoquarto, decimoquinto: Luca
nono. Iohannis sexto. Fœtentem Lazarum resuscitat, Iohan-
nis undecimo. Non enim est impossibile apud Deum omne
uerbum, ut inquit Gabriel Luca 1.

DE ANGELIS IN
genere.

IOHANNES BAPTIS-
TA.

Angelus in genere nuncium seu legatum significat
alterius mandata perferentem & exequentem. Sic
Iohannes baptista angelus uocatur Malachia tertio, ut ci-
tatur Matth. 11. Marci 1. Ecce ego mitto angelum meum
ante faciem tuam. Luca 9. Et misit angelos suos ante con-
spectum suum: ubi discipulos ablegat in Samariam. Dein-
de spirituales substantia, à Deo cōdita, sic appellantur, tum
bonæ tum malæ. Potissimum autem bonis tribuitur hæc ap-
pellatio, malis raro, ut Matth. 25. Qui paratus est Diabolo
& angelis eius.

Esse autem eiusmodi spiritus, historia plurimæ in nar-
ratione Euangelica testatur. Apparent enim boni Angeli,
exponentes hominibus uoluntatem Dei: & eijciuntur spi-
ritus immundi, qui homines obsederant, & membra quæ-
dam ligauerant aut obstruxerant, aut aliis eos miserè affli-
gebant: id quod suo loco prolixius recensebitur.

Duplices esse eos spiritus, ex historia Euangelica notum
est: nempe angeli Dei, Deo ac hominibus utiliter mini-
strantes: & spiritus immundi, hostes Dei & ge-
neris humani. De singulis nunc, & quæ res
eam diuersitatem pepererit, di-
cendum erit.

Angeli
Boni.
Mali

DE ANGELIS BONIS.

DE bonis angelis interdum tantum uocabulum Angelus ponitur, ut Matthæi quarto, decimotertio, *math. 4. 13. 28. 28. 1. 2.* decimoctauo, uigesimoctauo: Iohannis uigesimo. V sitatissimum est Angelus Domini, Matthæi primo, secundo, uigesimoctauo: Lucæ primo, secundo, Angelus Dei, Lucæ decimoquinto, Iohannis primo. Christus uocat angelos suos, Matthæi decimotertio, decimosexto, uigesimoquarto, uigesimoquinto. Sancti angeli, Lucæ nono nominantur. Hæc epitheta tribuuntur bonis, non tantum ut à malis distinguantur, sed etiam ut notum fiat, unde ueniant, et cuius mandata proferant.

Angelorū definitio ex ijs quæ hoc loco cōmemorāda sunt, extrahi potest: nēpe quòd sint spirituales substantiæ, intelligentes, cōditæ à Deo, sanctæ, ministræ Deo et hominibus.

Quòd sint spirituales substantiæ, patet ex historia Resurrectionis. Cū enim sese manifestaret IESVS in cœtu discipulorum, qui nondum satis erant confirmati, & territi putarent se spiritum uidere, hoc est, angelum quēdam, IESVS se distinguit à spiritibus, dicens: Spiritus carnem & ossa non habent, sicut uidetis me habere. Alia est igitur substantia corporum humanorum, alia angelorum.

Plures esse, inde constat, quòd Lucæ 2. Multitudo militiæ cœlestis annunciat exhibitionē Messia, Deumq; summis uerit laudibus. Matt. 26 ait Christus, se posse precibus à patre suo plus quàm duodecim legiones angelorum impetrare, si uiribus res cōtra persecutores Iudæos agenda esset.

A Deo creatos esse angelos, ex hoc dicto planum est, Iohann. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Proprius ipsorū locus et habitatio est cœlum, Matthæi 18: Angeli eorum in cœlis, *math. 18.* semper

Angeli boni qd.

Angeli plures qd.

math. 26.

LOCUS ANGELORUM

math. 18.

semper uident faciem patris. *Matthæi uigesimosecundo.*
Sunt sicut angeli in cælo. Quo dicto & hoc indicatur, non
esse inter angelos connubia, sicut inter homines. Sanctas
esse substantias, appellatio docet. nam angeli sancti uo-
cantur, *Luce nono.* Præterea etiam ipsorum officium, &
propinqua cum Deo conuersatio idem mouent.

Mittuntur autem angeli à Deo. *Luce primo:* Missus
est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ. & à Chri-
sto, *Matthæi decimotertio.* Mittet filius hominis angelos
suos: *Matth. 24.*

Cum autem sint spirituales substantiæ, quæ humanis oen-
lis cerni nequeunt: ideo forma quadam apparēt, quæ ab ho-
minibus conspici possit. Ad monumentum Christi, angeli
apparent specie uiri, *Luce 24.* Ecce duo uiri steterunt se-
cus illas, in ueste fulguranti. *Actor. 1.* Duo uiri astiterunt
illis, amicti uestibus albis. Item iuuenis forma, *Mar. 16.* Et
introeuntes in monumētum, uiderunt iuuenem sedentem à
dextris, coopertum stola candida. *Iohan. 20.* Vidit duos an-
gelos in albis sedentes. Hac uirili seu iuuenili specie hand
dubie Zachariæ, Mariæ, & alijs se conspiciendos præbue-
runt angeli. De angelo qui custodes de monumento Chri-
sti fugat, lapidemq; amouet. scribitur *Matth. 28.* Erat aspe-
ctus eius sicut fulgur, & uestimētum eius sicut nix. Terre-
bat enim hoc aspectu uigiles, ut aditus pauidis discipulis
Christi ac mulieribus fidelibus patēret. Sentiuunt quidam,
& stellam, quæ Magis praluxit, & comes itineris fuit, do-
nec eos ad ipsa cunabula nati Saluatoris deduxisset, ange-
lum quendam fuisse.

Officia ^{1.} anoe
loy
Officia angelorū sunt, primum quod ipsi Deo ministrāt.
Matth. 18. Angeli eorum semper uident faciem patris mei,
quī

Angeli sancti

qui in caelis est. *Lucæ 1*: Ego sum Gabriel, qui asto ante *Luc. 1.*
 Deum. Quale autem sit hoc ministerium, altera uita nos ple-
 nius docebit. Christo etiam ministrant, *Matth. 4*. Superato
 ac profligato diabolo, angeli accesserunt & ministrarunt
 Christo. Et in agone, quem sustinet in horto, luctanti cum
 morte, angelus de caelo apparet, eum confortans. Fortè &
 huc spectat quod prædicit Christus *Iohannis 1*: Amen amē
 dico uobis, posthac uidebitis caelum apertum, & angelos
 Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. La-
 rantur etiam in caelis, de conuersione hominum. *Lucæ 15*.
 Dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno pec-
 catore penitentiam agente.

Deinde hominibus ministrant. *Matth. 18*. Angeli coris
 in caelis, semper uident faciem patris mei, qui in caelis est.
 Docet hac iucundissima sententia Christus, pueros ab ange-
 lis sanctis custodiri & defendi, aduersus grassantes diabo-
 los & alia incōmoda. *Iohan. 5*. Angelus Domini descende-
 bat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua: &
 qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, san-
 nus fiebat, à quacung; detinebatur infirmitate.

Sunt nuncij uoluntatis Dei. *Matthæi primo*: Angelus
 Domini in somnis Iosepho apparet, nuncians ei uoluntatē
 Dei, ne infamet aut dimittat Mariā: & reuelatur ei Mes-
 sias, qui in utero Mariæ ex spiritu sancto conceptus, salutem
 à peccatis allaturus esset. Postea Magos in somnis monet, ne
 ad Herodem reuertantur. Item Iosepho reuelat, tyrannū
 Herodem meditari necem infanti: ac iubet, ut in Aegy-
 ptum ilico sese conferat. postea rursus angeli reuelatione ex
 Aegypto reuocatur, *Matthæi 2*. Singularis hic potentia an-
 gelorum obseruanda est, qui in somnis uoluntatem Dei tō-
 min: bus

Angeli ser-
 uant
 }
 oco.
 }
 Hoi.

minibus instillare norunt. Zacharia angelus Domini & natiuitatem præcurforis Messia ex sterili & effæta sua conuge, & propinquitatem Messia exponit. Narrat preces eius à Deo exauditas esse. Mutum insuper Zachariam facit, tum quia uerbis Domini non statim assentiretur, tum ut hoc signo in posterum de rebus ab angelo prædictis confirmaretur. Mariæ quoque angelus decretum Dei refert, quod ex ipsa Saluator mundi iam nasci deberet: ac modum explicat, quantum quidem hominibus scire fas fuit, aut etiam quantum humana mentes capere potuerunt. Lucæ 1. Nominatur autem iste angelus Gabriël: hoc est, fortitudo uel potentia Dei. In natiuitate Christi omnium primi præcones sunt angeli. Apparent enim pastoribus, in agro Bethlehemitico, incundissimum Euangelium apportantes: Hodie uobis natus est, inquit, saluator, qui est CHRISTVS. Inuent eos ad ipsum præsepe accedere. Deinde exercitus integri angelorum ibi conspiciuntur, & audiuntur, meras laudes Dei sonantes, & hominibus omnia fausta precantes: Gloria, inquit, in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas. Lucæ 2.

Adiunt morientibus, eorumque animas in locum beatum transuehūt. Lucæ decimo sexto. Factum est, ut moreretur mendicus (Lazarus) & portaretur ab angelis in sinum Abraha.

In resurrectione hominum, angeli non erunt ociosi. Matt. 24. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabūt electos eius à quatuor uentis, à summis caelorum usque ad terminos eorum.

Aduentum Christi ultimam ornabunt. Matth. 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis.

fu. Luca 9. Matt. 25. Filius hominis ueniet in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Iudiciū quoq; quod ibi promulgabitur, simul iuuabunt & exequentur angeli. Matt. 13. Messores angeli sunt. Mittet enim filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Item: Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.

DE DIABOLIS.

De appellationibus malorum angelorum, in fine quædam adiiciemus. tum enim rectius intelligi poterunt. Potest autem ex ijs quæ hoc loco exponenda erunt, talis de finitio extrui. *Diaboli sunt spirituales substantie, intelligentes, à Deo conditæ: sed quæ à Deo suo defecerunt, immanide, hostes Dei ac generis humani, æternis supplicij destinata.* mali angel qd ~

Non esse cogitationes malas in hominibus, ut quidam delirarunt, sed substantias peculiare, plurima historia in Evangelicis narrationibus manifestum faciunt. De Iuda scriptum est, Intrauit in eum Sathanas: Luca 22. Septem demonia à Maria Magdalena eijciuntur, Marci 16. Eiecti demones in porcos inuolant, eosq; in mare precipites agunt: Matt. 8. id quod de cogitationibus malis intelligi nequit. Sed hæc in alijs quoq; partibus declarantur.

Spirituales esse substantias, primum ex appellatione certum est. Vocantur enim spiritus, Matth. 8. 12. Marci 3. 5. Luca. 10. Deinde etiam ex ipsorum actionibus, ac potètijs quod in homines intrare, sensus alligare, ac membra mirabiliter regere, imò ex corde etiam uerbum Dei eripere possunt, ut postea dicetur. ut ex corde Eua

Intelligentes esse, ex ipsorum sermonibus, blasphemijs, et actionibus alijs certum est.

A Deo conditas esse ipsorum substantias, etiã hæc sententia monet, Iohan. 1: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Verùm non tales sunt à Deo conditi diaboli, quales nunc sunt: sed cum essent angeli sancti, & puræ creaturæ Dei, propria uoluntate sese à Deo auerterunt & lapsi sunt: talemq; immundiciã & maliciam sibi contra uoluntatem Dei acquisiuerunt, qualem nunc habent. Id Christus docet Iohannis 8. Ille homicida erat ab initio: hoc est, autor est peccatorum. item, In ueritate non stetit, quia ueritas non est in eo: id est, sponte abiicit ueram Dei noticiam et obedientiam, ac Deo cõtrarius effectus est. item, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & PATER eius: hoc est, primus mendacij inuentor & propagator existit. Lapsus igitur est à ueritate, mendacij autor contra uoluntatem Dei exitit. Luca 10 inquit Christus: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Sunt igitur diaboli, angeli apostatici.

Imundas esse substantias, Christus docet Matthæi 12. uocat enim immundum spiritum. Item Marci 3. 5. Luca 8. Probant id ipsum etiam actiones Diabolorum, quæ tantum contra uoluntatem Dei directæ sunt. Verùm unde habeãt eam corruptionem, modò est dictum: nempe non à Deo, sed à semetipsis.

Quòd plures sint, historia admonent Marci 5. Luca 8. demones interrogati, quod eis nomen esset? respondent, Legio. nam intrauerunt demonia multa in eum. Matth. duodecimo ait Christus, Spiritum immundum reuerti cum septem alijs se nequioribus. Marci decimo sexto scriptum est,

Christum

Christum septem dæmonia à Maria Magdalena expulisse. Habent quidem aliquam noticiam Christi, ac profitentur eum esse filium Dei: Matth. 4. 8. Mar. 1. 3. sed non est salutaris noticia. nam ex ea terreniur diaboli metu sui iudicij & poenarum. sicut inquit Matth. 8. Venisti huc ante tempus, ad nos torquendos. Norunt igitur se ob peccata aeternæ damnationi destinatos, & Christum quidem ipsos præcipitaturum esse in perpetuas poenas. Reprimit etiam eos Christus, neque approbat eorum confessionem: Marci primo, tertio.

Actiones diaboli omnes perpetuò, donec præcipitentur in ignem aeternum à Christo iudice, contra Deum & homines intendunt, mirabili calliditate, potètia & immanitate.

Ipsam filium Dei incredibilem impudentiam inuadit ac persequitur diabolus, eumque conatur euertere in Dei ignominiam, & perniciem generis humani. Matth. 2, crudele infanticidium per Herodem suum satellitè excitat. Matt. 4, immediatè Christum, postquam in deserto quadraginta dies ac noctes inedia pertulisset, adoritur, exercès eum diris ac salsis sarcasmis: Si filius Dei es, inquit, dic ut lapides isti panes fiant. Tentabat enim obedientiam Christi labefactare, & experiebatur an aliquid in gratiam diaboli uellet facere. Deinde simili ratione eum iubet ex pinnatempli sese præcipitem dare: hoc est, in aère uolare, id quod non erat mandatum Christo à patre cælesti: multo uerò minus, ut consilijs diaboli acquiesceret. Habebat insuper alias rationes Christus, quibus se patefaceret, & suam doctrinam ac functionem confirmaret atque ornaret. Nec desistit diabolus, quæ est eius impudentia: protinus manifestè Christum ad idololatriam inuitat, & quidem ut humi prostratus

ipsum diabolum adoraret, se ei regna & gloriã huius mundi uicissim daturum esse. O tetram & horrendam impudentiam diaboli, qui ipsum filium Dei de tam crassis peccatis sollicitare non est ueritus. Postea & reliquas persecutiones, & ipsam denique crucifixionẽ atq; necẽ Christi, sua organa instigans atq; impellens, strenuẽ adiunxit.

Deinde homines infestat atq; affligit mille modis Diabolus. obsidet ac occupat eos, ac sensus præcludit, aut tollit omnino, ac horribiliter eis abutitur. Matth. 8. in regione Gergesensorum demoniaci in monumentis habitant, scruiniis, ita ut tutò nemini per eam uia liceret transire. Matt. 9. demoniacus Christo offertur, cui lingua erat ligata, ut loqui non posset. Matth. 12. exhibetur homo demonium habens, qui fecerat eum cæcum & mutum. Marc. 9. Diabolus quendam ab infantia obsederat, ita ut crebrò eum in aquam & ignem projiceret. Luc. 13. narratur, mulierem a ligatam fuisse octodecim annos à Satana, ut suis membris rectè incedendo, sicut ceteri, uti non potuerit. Matth. 15. Cananaea dicit filiã suam à demonio miserè uexari. Luca 22. Intrauit Satanas in Iudam Iscarioten. Iohannis 13.

Auferit uerbũ Dei ex cordibus, & instillat malas cogitationes. Matt. 13. Mar. 4. Luc. 8. Qui secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus & tollit uerbũ de eorum, ne credentes salui fiant. Ioh. 12. Diabolus miserat in cor Iudæ, ut eum traderet. Eodẽ spectat & hæc sententia Lu. 22. Ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Nitebatur igitur discipulis Christi fidem in uniuersum excutere & eripere. Et quod subinde fidẽ atq; confessionem piorum euertere tentet, in Christo totius Ecclesię capite abunde probauit. Matthæi 4.

Serit hareses ac falsa dogmata, Matth. 13. Inimicus, qui seminat zizania, est diabolus. Pulchrè autem in ea parabola depingitur, ubi & quando suum lolium spargat. Dormientibus, inquit Christus, hominibus, uenit inimicus eorum, & superfeminat zizania in medio tritici, & abit: hoc est, quando ijs qui ueram doctrinam audierunt, fastidium atque securitas obrepit, Diabolus per sua membra erroneas sententias astute interspergit, insigni aliquo prætexu, priusquam aliquis sentiat doctrinam adulteratam esse.

Idololatriam sancit, propositis præmijs amplissimis: nempe regnis & gloria huius mundi. Et pulchrè hac ipsa re definit idololatriam, quòd ea nihil aliud sit quàm adoratio humilis ipsius diaboli. Matth. 14. Si prociens adoraueris me, dabo tibi regna mundi, & gloriam eius. Incitat Doctores, ut noua dogmata, fiducia suorum ingeniorum, quasi hallucinari & aberrare nequeant, inueniant & spargant, sibiq; autoritatem & laudem eruditionis & acuminis querant. Id significatum est in eo, quòd Christo autor est, ut de pinna templi se deiciat: & uitur sacra Scriptura ad eam rem, quasi non esset illicitum, non pugnet cum Dei uoluntate.

Mendacia tetra, uerim interdum fucò quodam palliata, in Ecclesias & politias diffundit, ac mirus eorum archirectus & promotor est. Iohannis 8. Mendax est, & pater eius: hoc est, primus autor mendaciorum, ijsq; miseris homines fascinans ac dementans.

Est calumniator ueræ doctrine, & rectè factorum, Ioh. 8. Ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facitis. Truncatim recitat uerbum Dei, Matth. 4. Callidè omittit: Vt custodiant te in omnibus uijs tuis, ex Psalmo 91.

Propter calumnias ac deprauationes ueritatis recte etiam diabolus uocatur.

Est homicida: Ioh. 8. Ille homicida fuit ab initio. Non fat habet, quod in peccatum abnegationis & proditiōnis miserum Iudam proiecerit: sed tandem etiam eō perpellit eum, ut sibi ipsi uolentas manus inferat.

Incitat homines ad omnis generis impietates & flagitia, ideoq; immundus spiritus uocatur Matth. 12. Sic Petro instillauit, ut Christo passionem dissuaderet, qua de causa se æriter eum taxans Christus: Vade, inquit, post me satana, scandalum es mihi. Matth. decimo sexto. Iudam instigat, ut Christum tradat: Iohan. 13.

Animalibus etiam nocet. Matth. 8. porcos ingressus, omnes in mare præcipitatos suffocat.

Hæc omnia summatim complectitur Christus, quod mendacem eum & homicidam ait esse, Ioh. 8.

Est potens spiritus. id quod nel inde colligi potest, quod occupato homine, mira potentia eum ad atrocia peccata & facinora impellit: sensusq; ligat, ne sint ad usus necessarios idonei. Vel abutitur ijs pro sua libidine, rapit uerbum ex cordibus: ut dictum est. Vocatur princeps huius mundi, Ioh. 12, id quod non modò de regnis seu diuitijs accipiendum, quod nimirum ijs horrendum in modum abutitur: sed etiam de hominibus, in quos ob peccatum plurimum dominij habet. Lucæ 11. Fortis armatus appellatur. Impudentissimus est tum in tentando, Matth. 4. tum in redeundo. non enim dubitat reuerti: & in occasiones est inuentissimus. Hæc de re horrendam concionem Christi adscribendam ducimus, Matth. 12. Cum immundus, inquit, spiritus exierit ab hominibus, ambulat per arida loca, querens

rens requiem: & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus, nequiores se, & intrantes habitant ibi, & sunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Consolationes autem dulcissimas contra machinationes Diaboli, nobis proponit Christus. Iohan. 16 inquit Princeps huius mundi iudicatus est. Matthæi 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et quòd uicerit serpentem, eiꝝ caput contriuerit, resurrectio et gloriosa ascensio luculenter probant. Verbo etiam eiecit demonia, Matth. 8. & aliàs. Dedit apostolis potestatem contra spiritus immundos: Matthæi 10. Etsi autem miraculosa eiectio cessarit, tamen doctrina Christi, absolutio seu remissio peccatorum perspicua, baptisimi & cœnæ Dominicæ uis atq; efficacia, presentissimi antidoti loco sunt aduersus Diabolum. Denique regulas quasdam nobis præscripsit Christus, quæ non inutiliter seruantur. Matth. 17. Hoc genus demonij non eiecitur, nisi per orationem & ieiunium. Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Iussit nos expressè orare, Et ne nos inducas in tentationem. Promisit etiã presentem defensionem, Ioh. 10. Non rapiet eas (oues) quisquã de manu mea. Matthæi 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Nondum esse diabolos penitus in damnationem proiectos, sed in nouissimo iudicio proijciendos esse in æternum, ex Christi concione constat Matth. 25. ubi inquit, se laturum contra impios sententiam hoc pacto: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

In fine & appellationes malorum spirituum subijcie-

mus, quarum in historia Euangelica mentio fit. sunt enim uaria, ac Diaboli naturam & actiones depingunt. Vocatur igitur spiritus Matth. 8. Eiciebat spiritus uerbo. Sic autem propter spiritualē substantiam uocatur, Mar. 9. Spiritus conturbauit eum. Luc. 10. Spiritus uobis subiicitur.

Spiritus immundus, Matth. 10. 12. Mar. tertio, nono. Luca sexto, nono, undecimo. quia & substantiā habet immundam, utpote peccatis sordidatam: & immundas gignit actiones, quas tum per se, tum per alios efficit. Opponitur autem Spiritui sancto.

Dæmonium, Matth. 4. 7. 8. 9. 12. 15. 17. Marci 16. & multis alijs in locis. Habet autem hoc nomen à sapientia sua. Fuit enim bonus angelus iniūto à Deo creatus: uidiit Deum, eiq; ministravit, priusquam lapsus esset.

Tentator, Matth. 4. 13. 25. Luc. 4. 8. Iohan. 6. 8. 13. hoc est, calumniator, deprauator, delator. Res enim Ecclesiasticas & politicas calumniatur: hoc est, hæreses, mendacia & fraudes excitat ac ferit.

Satanas, Matthæi 4. 12. 16. Marci primo, tertio, quarto, octauo. Luca decimo, undecimo, decimatertio, uigesimo secundo. Ioh. 13. Hebraica uox est, ac significat aduersarium, inimicū. semper enim in hoc intentus est, quomodo Deo et omnibus pijs aduersetur, cum quibus gerit bellū aspondor.

Beelzebub, princeps dæmoniorum, Matth. 10. 12. Mar. 3. Luc. 11. Significat autem uocabulum, dominiū, magistrum, regem seu principem muscarum. Fuit eius nominis idolum Accaron, urbis Philistinorum. 2. Reg. 1.

Malus, τὸν πῶτος, pro Diabolo ponitur Matth. 13. Venit malus, & rapit quod seminatū est in corde eius. Mar. 4. pro hac uoce habet Satanus, Lucas cap. 8, Diabolus.

Inimicus,

Inimicus, Matth. 13. Inimicus qui seminavit ea (22^a ma) est diabolus.

Fortis armatus atrium tenens: Matthæi duodecimo, Marci tertio, Luca undecimo.

Pater incredulorum, Iudeorum, & similiarum non credentium. Iohan. 8. Vos ex patre diabolo estis, eiusque desideria facitis. Item, pater mendacij.

Princeps mundi, Ioh. 12. 14. 16. Nam propter peccata, exercet tyrannidem in miserum genus humanum.

DE HOMINE ANTE
& post lapsum.

DE hac parte admodum pauca literis ab Evangelica historie scriptoribus mandata sunt: quamvis non sit dubium, Christum de eiusmodi rebus crebro ac singulari dexteritate suos auditores erudivisse. Habebant enim hoc propositi Evangelistæ, ut historiã redemptionis humane potissimum memorie mandarent, toti que posteritati relinquerent: non igitur curiosius dogmatica omnia persecuti sunt. Idcirco ex scriptis Prophetiis & Apostolicis copiosior explicatio de hoc presenti articulo, sicut & de cæteris, petenda est.

*Finis qd ad quæ Euagij pre
tulli maru.*

Non casu extitisse homines, sed à Deo conditos esse, Christus commonefacit Matt. 19. Deus fecit hominem ab initio, masculinum & feminam fecit eos.

Bonos vero, hoc est absque peccato & morte, homines à Deo primum creatos esse, ex hisce dictis elucet. Matth. 19. Solus Deus est bonus: hoc est, fons & origo boni. unde consequitur, & homines bonos, hoc est, uoluntati Dei congruentes, & ad bonum atque utilem finem ab ipso conditos esse. Ioh. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,

est nihil, quod factum est. Sunt igitur homines à Deo: & quia Deus non est autor peccati & mortis, necesse est bonos ac sine labe peccati fuisse homines initio factos. Certum autem est, quòd peccatū Deus serio abominetur. Misus est enim Christus, ut peccata generis humani, tristi & acerba passione expiaret. Baptistā ait, eum esse agnum, uolentem (non inquit createm, aut approbantem) peccata mundi. Perspicuè etiam docet Christus, se peccatores non agentes pœnitentiā damnaturum. Impossibile igitur est, labem peccati, quæ hæret in homine, à Deo originè habere.

Ioh. 9. Peccatores
in pœnitentiâ

Peccatores Deus non exaudit: ergo nec fecit, nec condidit homines peccatores. Ioh. 8, autorem peccati facit Diabolus, & impios ex diabolo esse dicit. ergo non ex Deo, sed ex diabolo est peccatum, quod hæret in homine. Integros igitur & mundos homines à Deo factos esse necesse est.

Planum dehinc & hoc fit, homines iam non retinere primā illam integritatē, in qua conditi sunt: sed tristēm in ijs esse destructionē, nempe peccatum & mortem. Regnant in homine tristes caligines de Deo & eius uolūtate. Matt. 16. Caro & sanguis tibi non reuelauit. Ioh. 3. Quod natum est ex carne, caro est: id est, res damnata. Ioh. 6. Caro nō prodest quicquam: hoc est, omnes uires in homine non renato, sunt ita debilitatæ, ut non possint eam obedientiam, quam Deus flagitat, prestare. Imò Matt. 15 dicit Christus: Ex corde exeūt cogitatōes malæ, homicidia, adulteria, &c. Non possunt igitur homines, ob eam causam, legi diuinæ satisfacere. Sicut parabola de misero homine, decē millia talentorum debente, aperit explicat, Matt. 18. Et alioqui Christus asserit, se ob peccatores uenisse, Matt. 9. 11. Et Ioannes dixerit inquit, Christū uenisse ut tolleret peccata mūdi: hoc est, omnium

Ioh. 6.

omnium hominum, qui pariter mole peccatorum oppressa erant. Miserabile hanc cladē hominum, etiam hac sententia exprimit Christus Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Ergo omnes homines, nisi accedat aliud beneficium à Deo, nempe regeneratio, eterna morti & dānationi sunt adiudicati. Item Iohannis sexto: *Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Ideo Deum agnoscere, conuerti, amplecti remissionē per Christū, nō sunt naturales uires, sed dona Dei.

Postremò una imagine lamentabilem conditionem omnium hominum ob oculos ponit Christus in uiatore, qui initio sanus & incolumis, pulchreque uestitus & ornatus Hiero solyma egreditur. At prope Hiericho à latronib. immaniſſimis oppressus, & uestibus exuitur, & letalia uulnera accipit, iamque paulatim animum efflat. Sed relictum à sacerdotibus, hoc est lege: Samaritanus, hoc est ipse Christus, ex faucibus mortis eripit, ac uitae restituit: Luc. 10. Sic homines sani & integri, praestantissimis donis à Deo ornati, in mundum, *Chvs Samarit.* ipsamque adeò paradysum collocati sunt: sed mox diabolus eos inuasi, abripiens pulcherrima dona, iusticiam & integritatem, simulque infligens mortalia uulnera: quae nisi Samaritanus ille IESVS Christus curasset, proprio perfuso & infuso cruore, actu de nobis omnibus in aeternū fuisset. Idem Acolasti typus repraesentat, qui primò bonus est, postea degenerat suapte culpa. Recipitur tādē rursus ex misericordia. Huc etiā parabola de oue perditā, & grosso amisso pertinet, quae non sua uoluntate & uiribus, sed aliena opera recuperatur.

DE HOMINE ANTE CONVERSIONEM.

Hominem ante conuersionem, Christus his ferè notat appellationibus.

Malus

Malus homo, Lucae sexto: Malus homo ex malo thesaurorum cordis sui profert malum. Caro, Iohan. tertio: Quod natum est ex carne, caro est: Iohannis sexto. Caro non prodest quicquam. Caro & sanguis, Matthaei decimosexto: Caro & sanguis tibi non reuelauit.

Mundus, Iohannis tertio: Sic Deus dilexit mundum. Iohannis primo: Mundus eum non cognouit.

Terrenus, Iohannis tertio: Qui est terra profectus est, terrenus est, & est terra loquitur.

Filij huius seculi, Lucae decimosexto: Filij huius seculi sunt prudentiores filijs lucis.

Generatio praua & adultera, Matth. 12. Generatio incredula & distorta, Matthaei decimosextimo.

Progenies uiperarum, Matthaei duodecimo: Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Et Iohan. baptista: Matth. 3 ad Phariseos: Progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugeritis iram uenturam?

Arbor putris, Matthaei septimo: Arbor putris non potest facere fructus bonos.

Hypocritae: Matthaei uigesimo secundo, & uigesimo tertio. Caecei: & duces caecorum, Matth. 20. 23.

Zizania, Matthaei decimotertio.

Filij mali illius, seu Diaboli, Matthaei decimotertio: Vos ex Diabolo estis, & uultis desiderijs patris uestri obsequi. Iohannis octauo.

Ager obritus, petrosus, & spinosus: Matthaei 13.

Ouis perdita: Matthaei decimoquinto, Lucae 15.

Filius prodigus, Lucae decimoquinto.

Seruus nequam, Matthaei decimo octauo.

Dispensator iniustus, Lucae decimo sexto.

Virgines

Virgines fatuae, Matthæi uigesimoquinto.

Operarij stantes in foro ociosi, Matthæi uigesimo.

Sedentes in tenebris & umbra mortis, Matt. 4. Luc. 1.

Plantatio non plantata à Deo patre, Matthæi 15.

Grossus amissus, Luca decimoquinto.

Mortui, Matth. 9. Sine mortuos sepelire mortuos suos.

Seruus inutilis, Matthæi uigesimoquinto.

Hirci, Matthæi 25. Statuet hircos à sinistris.

Vir fatuus, Matthæi septimo.

Operarij iniquitatis, dicētes, Domine Domine: Mat. 7.

Deinde docet, hominem ante conuersionem esse animal particeps rationis, constans corpore & anima, præditum uitiosa & deprauata natura: qua fit, ut in rebus spiritus Dei sit insipiens, iniustum, malum, mendax, mancipium Diaboli, quod neq; internam neq; externā legi diuina perfecte præstare potest obedientiam: obnoxium uarijs calamitatibus, mori, iræ Dei & æternæ condēnationi. Nam etiā non renatos, sapientes & prudentes appellat, Matth. 11. & apud Luc. in parabola de dispensatore. Corpore uerò & anima hominem constare, Christus monet parabola de diuite epulone, Luca 16. Et de diuite horreum ampliare, à quo noctu auferitur anima. Et Marci octauo: Quid profuerit homini, si lucretur totum mundum, & damnum anime patiatur? Naturā hominis deprauatā esse. Marci septimo docet: Ex corde exeunt cogitationes mala &c. Item Matthæi duodecimo: Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Luca undecimo: Cum uos, qui mali estis, bona dona filijs uestris datis, &c.

In rebus spiritus hominem esse insipientem, Christus monet: Iohannis tertio Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& spiri-

et spiritu. Item: *Natum de carne, caro est. & quarto: Vos adoratis quod nescitis. Esse iniustum, Iohannis primo: Qui male facit, odit lucem. Esse malum, Matthæi duodecimo, Luca undecimo. Esse mendacem, Iohannis primo: Dillexerunt tenebras magis quàm lucem. Iohannis octauo: & Si dixerò quod non noui eum, ero similis uestri mendax. Esse mancipium Diaboli, Iohannis octauo: Vos ex patre Diabolo estis, & uultis eius opera perficere. Idem Christus Matthæi duodecimo, de forti armato palatium suum possidente & propugnante docet. Neq; internam neq; externam præstare posse legi obedientiam, perfectè Christus indicat Matthæi quinto, ubi legem exponit, & expressè inquit: Nisi abundauerit uestra iustitia super iustitiam pharisæorum, non potestis ingredi regnū cælorum. Matth. 7, Arbor mala non potest fructus bonos facere. Esse obnoxium iræ Dei, & uarijs calamitatib. & æternis pœnis, Christus docet Iohānis tertio: Qui non credit, iam iudicatus est. Itē, Super eo manet ira Dei. Atq; hæc quidem ad definitionis declarationem dixisse satis sit.*

Quòd Christus hominem partiat in corpus & animam, diximus iam in declaratione definitionis: sed eò etiam hæc testimonia referenda sunt. Matthæi decimo: Nolite metuere qui occidunt corpus, animam autem non possunt. Item: Nonne anima pluris est, quàm esca? Matthæi sexto.

Meminit & aliarum partium hominis, ut cordis, animæ, mentis & uirium, Matthæi uigesimo secundo: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & proximam sicut teipsum.

Proprietates uerò has ei adscribit. Carere originali iustitia, id quòd pingitur in parabola de uiatore, Luca decimo: & decimo octauo, Nemo bonus nisi solus Deus.

Pro origi-

Pro originali iustitia habere iniustitiam seu peccatum in omnibus uiribus suis: & assidue internis & mentis & uoluntatis motibus & externis membris ea operari, quae legi diuinae repugnent. Marci 7. Ex corde exeunt prauae cogitationes. Matth. 12. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Matth. 7. Arbor mala non potest fructus bonos facere. Ioan. 8. Qui peccatum facit, seruus peccati est. Item: Sed uos filius liberauerit, uere liberi eritis.

Esse mancipium diaboli. Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis. Matth. 12. Fortis armatus tenet genus humanum captiuum, & non eicitur nisi digito Dei. Hinc etiam diabolus appellat principem mundi, Ioan. 12. & 14.

Esse obnoxium irae Dei, penis corporalibus & mortis aeternae. Ioan. 3. Qui non credit, super eo manet ira Dei: ite, Qui non credit, iam indicatus est, Lucae 13. Item, Nisiegeritis poenitentiam, omnes ita peribitis. Item Lucae uigesimotertio: Nolite flere super me, sed super uos & filios uestros. Diues epulo in aeternas poenas & cruciatus inferni coniectus dicitur Lucae 14. Ioan. 8. Nisi credideritis, quod ego sim, moriemini in peccatis uestris.

Res circa quas uersatur homo ante conuersionem, duales Christus facit, res carnis & res spiritus, Ioan. 3. Et res Dei & hominum, Matth. 16. Non sapis quae Dei sunt, sed quae hominum. Ioan. 8. Vos secundum carnem iudicatis.

Res carnis hominem ueterem utcumque posse intelligere et appetere, et externa opera carnaliter facere, Christus manet. Nam tribuit hominibus ante conuersionem prudentiam & sapientiam, Matt. 11. & iusticiam pharisaeam, Matt. 5. Lucae 18. Adolescens inquit Matth. 19. Omnia haec seruaui a iuuentute mea. Orationem, Ioannis 4. Vos adoratis

G quod

quod nescitis. Mat. 6. Cū oraueris, non eris sicut hypocritæ nam illi solent in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Studium præstandi Deo cultum. Iohan. 16. Veniet tempus, ut quisquis interficiat nos, uideatur cultum Deo præstare.

In rebus uero spiritus Dei Christus omnia derogat homini ueteri, Nam eū res spiritus Dei per se nec intelligere nec appere, nec præstare posse docet, Ioh. 3. Nisi quis natus fuerit, è supernis, nō potest uidere regnū Dei. & postea: Amē dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrū nō accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credituri sitis? Ioh. 4. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudeis est. sed ueni hora, & nūc est, quādo ueri adoratores adorabūt patrem spiritu & ueritate. Ioh. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eū. Itē, Spiritus est qui uiuificat, caro nō prodest quicquid. Ioh. 8. Vos ab infernis estis, ego de supernis sum: uos de mūdo hoc estis, ego nō sum de hoc mūdo. Itē: Omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Si uos filius liberos reddiderit, uerè liberi estis. Itē: Quæritis me interficere, hominē, qui ueritatē uobis locutus sum, quā audiui à Deo. Itē Quare loquelā meā nō agnoscitis? quia nō potestis audire sermonē meū. Itē: Vos nō auditis, quia ex Deo nō estis. Itē: Dicitis patrem meū, Deū uestrū esse, & tamē nō cognouistis eū, ego autē noui eū. Ioh. 9. Christus inquit: In iudiciū ueni in hūc mūdu, ut qui nō uidet uideat, & qui uidet cæci fiāt. uidet a Phariseos: Si cæci essetis nō haberetis peccatū: nūc uerò dicitis, uidemus, idcirco peccatū uestrū manet. Ioh. 12. Qui ambulat in tenebris, nescit quō uadat. Iohan. 16. Habeo uobis multa dicere, sed iam non potestis portare. Item: Hæc facient uobis

nobis, quia non nouerunt patrem meum, neq; me. Matthæi undecimo: Gratias ago tibi pater, domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Itē. Nemo nouit filium nisi pater, & nemo nouit patrem nisi filius, & cuiusq; uoluerit filius reuelare. Qui uoluerit animam suam seruari, perdet eam. Matthæi decimosexto. Iohannes baptista etiam inquit Ioh. 3. Qui è terra est, terrenus est, & de terra loquitur. Et Zacharias Luca primo dicit, non renatos sedere in tenebris & umbra mortis: id est, carere uera agnitione Dei.

Parabolæ etiam à Christo propositæ monent, hominem ueterem res spiritus Dei neq; intelligere, neq; appetere, neq; efficere posse. Huc pertinet parabolæ de oue perditâ, & grosso amisso, Luca 15. De agro, Matthæi decimotertio. De operarijs in uinea, Matthæi uigesimo. De agricolis quibus erat locata uinea, Matthæi uigesimoprimum. De nuptijs, Matthæi uigesimosecundo. Huc pertinet etiam historia de demoniaco muto & surdo, Matth. 12. & Mar. 7. quales enim illi fuerunt corporali modo, tales omnes sumunt spiritualiter muti, & surdi in rebus spiritus Dei.

Exempla etiam in historia Euangelica sunt, quæ monent, quantum homo uetus siue in rebus externis, siue in rebus spiritus sua natura possit. Nicodemus ante regenerationem habet quidem, ut alij, nouitiam legis & externam iustitiam pharisaicam: & cum audit Christum, & uidet eius miracula, cogitur fateri ea non posse fieri sine Dei auxilio: habet studium inquirendæ ueritatis, quare uenit ad Christum nocte. Sed carnalia hæc omnia sunt, res enim spirituales non nouit, &c.

Causas uerò eius rei, quod uidelicet homo uetus tantum

carnalia curet & præstet, spiritualia uerò ignoret, & nec appetat nec præstet, Christus docet esse deprauatam naturam hominis. Iohan. 3. Quod de carne natum est, caro est. Item, Quomodo potestis bona facere, cum sitis mali? Item, Ex corde exeunt cogitationes prauæ. Mar. 7. Et diaboli tyrannidem. Matth. 12, & Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis.

Opera uerò illa carnaliter præstita à ueteri homine, non mereri conuersionem, docet illis sententijs: Nisi quis renatus, & c. Ioh. 3. & Caro non prodest quidquam. Ioh. 6. Nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis uestris. & Luca decimo octauo, & Matthæi quinto, Pharisei damnantur cum sua iusticia externa.

DE HOMINE IN CONVERSIONE.

DEum operari conuersionem, in historia Euangelica passim indicatur. Iohan. 1. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. & Iohan. 6 scriptum est in prophetis: Erunt omnes docti à Deo. Iohan. 8. Qui ex Deo est, uerba Dei audidit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Et quidem id opus singulis personis diuinitatis adscribitur. Nam de patre Christus inquit Matth. 11. Gratias ago tibi pater, Domine cæli & terræ, quod abscondideris hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. & Mat. 15. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. & Mat. 16 ad Petrum inquit: Beatus es Simon Ionæ filius, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. & Ioh. 6 ad Capernaitas: Omne quod dat mihi pater ad me, ueniet: & eum qui uenerit ad me, non eijcio foras. & postea: Nolite murmurare inter uos. nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: &

eum: & ego suscitabo eum in nouissimo die. est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit: uenit ad me, non quod patrem uiderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic uidit patrem. & iterum. Sunt quidam ex uobis, qui non credunt, & c. propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. De seipso inquit Ioh. 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Ioh. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Ioh. 1. Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. & Ioh. 5. Mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent. De Spiritu sancto Christus inquit Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. De omnibus tribus personis uerba baptismi loquuntur, Baptizate in nomine patris & filij & spiritus sancti: Matthæi uigesimo octauo.

Causas impulsiuas esse Dei dilectionem & meritum Christi, ipse testatur Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Huius generis plura testimonia recitabimus infra in loco de Iustificatione. Concurrunt et alie cause, ut sunt, officium Domini nostri Iesu Christi, generis humani summi & æterni pontificis, intercedentis apud Deum pro hominibus conuertendis. Constat id ex oratione Christi, quæ extat Ioan. 17. & quod ad Petrum inquit, diabolus desiderauit uos cribrare: ego uero rogauit pro te, ne deficiat fides tua: & tu conuersus, conuerte fratres tuos. & quod ipse Christus in cruce orauit pro hostibus suis: Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciant. Preces aliorum pro conuertendis, ut patet ex oratione Dominica, ubi iubemur petere, ut nomen

Dei glorificetur, regnū Dei adueniat, fiat uoluntas eius: ut remittat peccata. Nam etiā illa promissionē habent exau-
ditionis, Matt. 18. & testantur historia, aliorū preces pro
alijs factas nō fuisse irritas, sed impetrasse alijs quosq; conuer-
sionē, & beneficia corporalia & spiritualia. Nam Matt. 9.
Christus dicitur respexisse ad fidē eorū qui paralyticū adfe-
rebant, & pro eo orabāt: & paralyticū consolatū esse, Cōfi-
de fili, remittūtur tibi peccata tua. Et Matt. 8, Centurio suo
seruo impetrat sanitatis restitutionē. Et Marc. 7, mutus &
surdus ab alijs ad Christū adductus curatur. Ibidē Chana-
naa impetrat, ut sua filia à demonio liberetur. Ioan. 5, ob
preces Reguli à mortuis excitatur filia eius. Et Christus iu-
bet nos orare pro persecutoribus nostris, Matth. 5.

Media uero esse ministeriū uerbi & usum Sacramento-
rum, Christus passim docet. Nam quod Deus per ministeriū
uerbi sit efficax, & operetur conuersionē et regenerationē,
testatur his dictis. Ioan. 5. Qui sermonē meū audit, & cre-
dit ei qui misit me, habet uitā aternā. Item: Mortui audiet
uocē filij Dei, & qui audierint uiuent. Ioan. 6. Verba quae
ego loquor uobis, spiritus sunt & uita. Ioan. 8. Hac eo lo-
quente, multi crediderūt in eum, & dicebat ad eos qui cre-
diderūt ipsi: Si uos māseritis in sermone meo, uere discipuli
mei estis, & cognoscetis ueritatē, & ueritas liberos reddet
uos, & postea: Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea
uos nō auditis, quia ex Deo nō estis. Itē, Amen dico uobis,
si quis sermonē meū seruauerit, mortē nō uidebit in aternū.
Ioan. 10. Oues meae uocē meā audiunt. Ioan. 14. Si quis dili-
git me, sermonē meū seruabit, & pater meus diliget eum, et
ad eum ueniet, & mansione apud eū faciemus. Ioan. 15.
Iam uos mūdi estis, propter sermonē quē locutus sum uobis.

Ioan.

Ioan. 17. Pater sanctifica eos in ueritate, uerbū tuū est ueritas. Itē: Non pro eis tantū rogo, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonē eorū in me. Matth. 10. Qui uos audit, me audit. Et Ioannes Baptista inquit: Qui è cælo uenit, supra oēs est: & quod uidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. q̄ accepit testimoniū eius, is ob signauit, quòd Deus uerax sit, Ioan. 3. Et Ioannes inquit: i. capite: Quotquot receperūt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his qui credidissent in nomen eius. Testatur etiā exempla eorū qui cōuersi sunt, Deum per uerbū suū operari conuersionē. nam cōcione Ioannis Baptiste excitata Hierosolyma & Iudæa, tota q̄ regio undiq̄ finitima Iordani, ad Ioannē uenit. Matth. 3. Auditū uerbi excitati uenerunt ad Christum, oēs illi qui ab eo petierunt auxiliū. Mar. 7, de Cananea dicitur, quod postquam audierit de Christo, ad eum accesserit. Ioan. 4. de Samaritanis dicitur: Multo plures crediderunt propter sermonē eius, & mulieri dicebant: Iam non propter tuam orationē credimus, ipsi enim audiuiimus & scimus, quod hic est uerè seruator mundi Christus.

Deinde per baptismum etiam Deum operari regenerationem, insigni sententia confirmat Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. & Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. De usu cœnæ inquit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorū. & Ioan. 6. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam.

Subiectum uerò in quo Deus per uerbum & sacramenta operatur, regens rationem, docet esse hominem ueterem

in omnibus suis uiribus, tum superioribus tum inferioribus. Huc pertinent illa generalia testimonia Ioannis tertio: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi uitam æternam. Matthæi septimo: Non potest arbor putris fructus bonos facere. Matthæi 12: Aut facite arborem bonam & fructum bonum, aut facite arborem uiciosam & fructum uitiosum. & postea, Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Huc etiam pertinent alia testimonia, quæ de natura & uiribus hominis ueris deprauatis loquuntur. Fit etiam sigillatim paruû regenerandarum mentio, ut sunt: mens seu potentia intelligens, Matth. 11. Reuelasti ea paruulis. Matthæi 16. Caro & sanguis tibi non reuelauit. Ioannis primo: Deum nemo uidit unquam, sed unigenitus qui est in sinu patris nobis enarrauit. Matth. 3. Populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam. Ioan. 14. Cum uenerit paracletus, spiritus ueritatis, ille uos docebit omnia. Matth. 6. Lucerna corporis est oculus, Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit: ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? & Matthæi decimosexto: Christus ad Petrû & Apostolos inquit, Et uos intelligentia caretis? & ad Sadducæos: Erratis, ignorantes scripturam & uirtutem Dei. Matth. 22. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas. Luc. 24. Et Luc. Zacharias inquit, Tu puer, & c. præbis enim ante faciem Domini ad parandum uias eius, ad dandam scientiã salutis populo ipsius. Hæc & similia dicta testantur, mentem hominis ueteris tenebrosam, oportere per uerbum & spiritum

ritū Dei illuminari. De corde & ceteris uiribus, ut sunt uoluntas & appetitiones, hæc dicta loquuntur, Marci 7. Quod ab hominibus exit, illud inquinat hominem. ab intus enim de corde hominum mala cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stulticia. omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquināt hominē. Ioan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. & Luca 24. O' stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ loquuti sunt propheta. Huc etiā parabola facit de agro, Matth. 13.

Ex his faciliè intelligi potest, uires hominis in regeneratione à priori non esse cooperatricem causam, id enim manifestis sententijs & testimonijs negatur. qualia sunt: Nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei. Ioannis tertio. Item: Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Deinde tota ratio regenerationis eam opinionem refringit. Nam regeneratio est opus solius Dei & quidem donum Dei. Ioannis 1. & 3. Item Ioh. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus eum traxerit. Matth. 13. Vobis datū est, nosse mysteria regni cælorū. Item Luc. 12. Noli metuere pusille grex. sic enim placuit patri meo uobis dare regnum. Mar. 10. Sinite paruulos ad me uenire, &c. Amen dico uobis, quicumq; non acceperit regnū Dei tāquam puer, haudquaquā ingreditur in illud. Parabola etiā de nuptijs, de debitore, & de filio prodigo, testantur, regenerationē esse gratuitum Dei donum. Tertio, natura mentis & uoluntatis & reliquarum uirium reclamationat. Si enim mēs plena est tenebris, Matt. 4. e 16. et Luc. 1. & cor ac uoluntas hominis malū & auersum à Deo, unde

exeunt omnis generis peccata, quæ coinquinant hominem. Marci. 7. Quid tenebræ ad lucem? quid uoluntas mala ad bonum cooperabuntur? cùm de natura tenebrarum sit, impedire lucem: & mala mens & peruersa uoluntas sit remouatrix bonarum astitinũ. Quarto, potentia diaboli atrium suum possidentis, & in genere humano regnantis, & miseros homines impellentis ad scelera. Matt. 12. & Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi: argumẽto est, ad regenerationem uires hominis potius ea operari quæ ad regenerationem impediẽdam, quàm ad eam perficiẽdam faciunt. Quinto, potentia peccati, quæ ita captiuum tenet hominẽ, ut cogatur omnibus suis uiribus ei inferuire. Ioh. 8. Omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Seruus autẽ non manet in domo in æternum, filius manet in æternũ. Si ergo uos filius liberos reddiderit, uerè liberi estis. Itẽ Matt. 12. Progenies uiperarũ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Sexto, lucta carnis et spiritus, quæ cùm in renatis tãta sit, quãta in non renatis fuerit? Porro de ea loquũtur hæc dicta: Si oĩa feceritis, dicite, serui inuiles sumus: Itẽ Filij huius seculi prudẽtiores sunt filijs lucis.

Quem Deus ordinẽ in regenerãdis adultis obseruet, doctrina de causis efficiẽtibus & de subiecto suppeditat, nempe quòd Deus per spiritũ sanctum, uerbũ & sacramẽta, primum in mente operetur agnitionem uoluntatis diuinæ in Euangelio et lege patefacta. Matt. 16. Caro & sanguis tibi non reuelauit. Ioh. 1. Deum nemo uidit unquã. sed unigenitus filius, qui est in sinu patris, nobis enarrauit. Matt. 11. Reuelasti ea paruulis. Ioh. 6. Erũt omnes docti à Deo. De inde quæ uoluntatẽ licet sua natura repugnantẽ rebus spiritus Dei, tamẽ trahat, et in ea fidẽ tanquã manũ creet, ad appetendum

rendum & sibi applicandū beneficia per Christū parata. Patet hoc ex dictis: Nemo uenit ad me, nisi pater meus eū traxerit. Itē Ioh. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit. Ioh. 8. Qui ex Deo est, uerbū Dei audit. Item Ioh. 3. Non potest sibi homo sumere quidquā, nisi ei fuerit datum de super. Ioh. 4. Veros adoratores oportet Deum adorare in spiritu & ueritate. Tertiū, quod per fidē sese collocet in corda hominū, eaq; regat ac ducat in omnē ueritatē: hoc est, ut in uera agnitione Dei, et in fructibus spiritus proficiant. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, et pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionē apud eum faciemus. Itē: Paracletus ille qui est spiritus sanctus, ille uos docebit omnia, et suggeret uobis omnia. Ioh. 15. Ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum, quia sine me nihil potestis facere.

Causam uerō, quod nō omnes regenerētur, non in Deum rejicit. docet enim, Deū uelle ut omnes saluentur, cum conditione, si audiāt et credāt, Mat. 18. Non est uolūtas coram patre uestro, q̄ in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Ioh. 6. Hæc est uolūtas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ mihi dedit, sed resuscitem in extremo die. Hæc autem est uolūtas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam. Idem etiam parabola de nuptijs testatur. Nec ea culpa in Christum rejicitur, quasi non omnium expiarit peccata, aut nolit omnes suorum beneficiorum facere participes. Nam Ioannes Baptista inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Ex plenitudine eius om-

eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Iohan. 1. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Iohan. 6. Ego sum pastor bonus. Iohan. 10. Ego sum resurrectio & uita. Ioh. 11. Non ueni soluere, sed adimplere legem. Matt. 5. Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Matth. 26. & Marci 14. Ponitur autem phrasi Hebraica multi pro omnibus: aut si quis particulariter accipere uelit, eum necesse est de applicatiōe intelligere. Quia enim non omnes fide meritum Christi amplectuntur, ideo non omnes saluantur, ut postea dicemus. Quod autem uelit omnes suorum beneficiorum facere participes, testatur ipse Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego uos refocillabo. Ioh. 3. Vi omnis qui credit in eum, nō pereat, sed habeat uitam aternā. Ioh. 6. Ego neminē qui uenit ad me, eiciā foras. Matt. 28. Euntes docete omnes, & baptizate eos in nomine patris et filij et spiritus sancti. Nec ministerio uerbi et sacramentorū ea culpa tribuitur, quasi inania & inefficacia sint ad omniū hominū regenerationē. Nam de efficacia uerbi satis praclare docet Christus Ioh. 6. Verba mea spiritus sunt. Item Ioh. 5. Mortui audient uocē filij Dei, et uiuēt. Itē, Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris mei. Matth. decimo. Qui uos audit, me audit. Et: Qui credituri sunt per nomē eorum. Ioh. 17. Sed eius rei causam esse Diaboli tyrannidē, & hominū malitiā & peruersitatē & inobedientiā, qua salutem à Deo per uerbū et sacramenta oblatā contemnunt, reijciunt, et persequuntur, etiam contra suam consciētiam. De tyrannide diaboli haec dicta loquuntur, Iohan. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Luca 11. Cū fortis armatus custodit

custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius auferet, in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuit. De malitiosa & peruersa hominum natura illa dicta loquuntur: Arbor putris non potest bonos fructus facere, Matth. 7. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Matt. 12. Nemo est bonus, nisi solus Deus. Luc. 18. Ex corde exeunt cogitationes prauæ, Mar. 7. De inobedientia aduersus uerbum hæc loquuntur Matth. 23. Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolistis? Ioh. 1. In ipso erat uita, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehederunt. Itẽ, In sua uenit, & sui eum non receperunt. Iohan. tertio: Quæ uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Matthei 11. Omnes prophetae & ipsa lex usq; ad Ioannem prophetauerunt: & si uultis recipere, ipse est Helias, qui uenturus erat. Qui habet aures audiendi, audiat. Cui autem similem aestimabo generationẽ istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus suis dicunt: Cecinimus uobis, & non saltastis: lamentauimus uobis, & non planxistis. Venit enim Ioannes neq; māducans, neq; bibēs, & dicunt, De moniũ habet. Venit filius hominis māducās et bibēs, & dicunt, Ecce homo uorax et potator uini, publicanorũ et peccatorum amicus. Et iustificata est sapiẽtia a filiis suis. Ibidem exprobrat ciuitatibus Coraz in, Bethsaidæ, Capernaũ, propterea quod non egissent pœnitentiam, cum tamen plurimæ eius uidissent miracula, & conciones eius non paucas audissent. & Iudeos eam ob causam non uenire ad agnitio-
nem ueritatis ostēdit, quod nolint scripturæ Moysi, testimo-

nio Ioānis, testimonio et operib. Christi credere. Nā de scriptura inquit: Scrutamini scripturas, quia uos uidemini uobis in ipsis uitā habere, & illa sunt quæ de me testatur: nec uultis uenire ad me, ut uitā habeatis. De Moyse ait: Si credidissetis Moyse, credidissetis utique mihi: de me enim ille scripsit. Si autē illius scriptis nō creditis, quomodo uerbis meis credetis? De testimonio Ioannis inquit: Misistis ad Iohannē, & is testimonium reddidit ueritati. itē: Ille erat lucerna ardēs & lucens, uos autem uoluistis ad tempus exultare in luce eius. et Matt. 21. Venit ad uos Ioannes per uiam iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. uos autem cū uidissetis, nō fuistis comoti pœnitentiā postea, ut crederetis ei. De testimonio patris sui inquit Iohan. 5. Pater qui misit me, testatus est de me. sed uos neq. uocem eius audistis unquam, neq. speciem eius uidistis, & uerbum eius in uobis non manet. De suo testimonio inquit. Quē misit, ille huic non creditis. Ioh. 5. Etsi ego testimonium perhibeam de me ipso, uerum est testimonium meū, quia scio unde ueni, & quō uado: uos autem nescitis unde uenio, & quō uado. Ioh. 8. De suis operibus inquit Ioh. 5. Ego habeo testimonium maius testimonio Ioannis, opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiā ea, ipsa in quā opera quæ ego facio, testificantur de me. Ioh. 10. Si tu es Christus, dic nobis ingenuē. respondit Iesus: Dixi uobis, nec creditis. opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Cur autem nō sint ex ouibus eius, id postea declarat, eo quōd non audiant uocem eius, & quod non agnoscant se esse Messiam. Ioannis octauo: Scio quod semen Abraham estis. sed queritis me interficere, quia sermo

sermo meus non habet locum in uobis. Iohannis 15. Si non uenissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætendant peccato suo. Qui me odit, is & patrem odit. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem & uiderunt, & oderunt non solum me, uerum etiam patrem meum. Sed hoc accidit, ut compleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Odio me habuerunt gratis. Parabola etiam de nuptijs, Matthæi uigesimosecundo, monet, culpã non in Deo esse, neq; in merito Christi, neq; in uerbo, omnia enim parata sunt, & uocatur omnes: sed in hominibus nolentibus uenire, aut non apparentibus in ueste nuptiali. Hæ etiam sententiæ sunt intelligendæ de inobedientia aduersus uerbũ Dei. Multi sunt uocati, scilicet, per uerbũ, pauci uerò electi, scilicet quia pauci obediunt uocationi. Ceterum est enim, credentes in Christum eligi, & non credentes damnari. Iohannis tertio. Si hæc nouistis, beati estis, si feceritis ea. non de omnibus uobis loquor: ego scio, quos elegerim: Iohãnis decimotertio. hoc est, scio quales sitis, quos ego præ alijs ad apostolatum selegi. Nam Luca sexto eodem modo dicitur Christus ad se uocasse discipulos, & elegisse ex eis duodecim. Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditus: ut scriptura compleretur. Item Iohãnis, duodecimo. Cum multa signa fecisset corã eis, non credebant in eum, ut sermo Esaia propheta impleretur, quem dixit: Domine quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideãt oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

DE

Homines reatos Christus appellat discipulos suos, Iohan. 13. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis. item, Qui non suscipit crucē suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Luca 14. Bonos homines, Luc. 6. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum. Electos. Matth. 22. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Matth. 24. Propter electos decurtabuntur dies. Item, Congregabūt electos eius. Arbores bonas, Matt. 7. Luc. 6. Seruos bonos & fideles, Matth. 24. & 25. Palmites Christo insertos, fructificantes. Iob. 15. Ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Triticum, Matth. 13. Agrum bonum, Matt. 13. Filios lucis, Luca 16: Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Amicos suos. Iohan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quacumq; ego precipio uobis. Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius, Vos autem dixi amicos, quia omnia quae audiui à patre meo, nota feci uobis. Fratres suos. Iohan. 20. Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, & Deum meum & Deum uestrum. Matrem & sorores suas. Marci 3. Matt. 12. Luca 8. Quisquis fecerit uoluntatem patris mei qui est in caelis, ipse meus frater, soror & mater est, Filios patris caelestis Mat. 5. Vt sitis filij patris uestri qui in caelis est, Viros prudentes Matt. 7. 10. Gentem facientem fructus regni Dei, Matthaei uigesimo primo. Oues suas, Ioannis decimo. Oues meae uocem meam audiūt. Matth. 25. Oues statuet à dextris. Peccatores penitentiam agentes: Gaudium est angelis in caelo super uno peccatore peniten-

pœnitentiam agente. Luca decimoquinto. Filios prodigos pœnitentiam agētes, Luca decimoquinto. Pueros. Matth. decimo octauo. Luca decimo octauo Iustos, Mathai decimo tertio. Filios regni, Matthai decimotertio.

Hominem renatum Christus partitur in carnem & spiritum, Ioan. 3. Quod de carne natū est, caro est: quod de spiritu natum est, spiritus est In corpus & animam. Matt. 10.

Duo genera renatorum Christus facit, alios perfectos, alios uero in fide infirmos. De perfectis inquit Luca 6. Nō est discipulus supra magistrum suum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ipsius. Matt. 5. Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater uester qui est in cœlis, perfectus est. Matthai decimonono: Si uis perfectus esse, uade, uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me. Matthai octauo: Amen dico uobis, ne in Israël quidem tantum fidei reperi. Matthai decimoquinto: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Non autem intelligit Christus summā & exactissimā perfectionem, quam lex a nobis postulat: ea enim impossibilis est etiam renatis, ut postea dicitur: sed fidei & uitæ integritatem, quantulamcumq; in hac uita pij Deo auxiliante assequi possunt. De infirmis passim extant testimonia. Matthai sexto: Quod si gramē agri, quod hodie cū sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, o parum fidentes? Matth. 8. Domine serua nos, perimus. & dicit illis: Quid timidi estis, exigua prædite fiducia? Matt. decimoquarto, Christus ad Petrum ambulantem super mari inquit: Exigua fiducia prædite, cur hæsitabas? Matth. decimoquinto, ad apostolos inquit Christus: Adhuc & uos intelligentia caretis? & Marci 8 ad eosdem inquit:

inquit: Quid disputatis, quod panes non habetis? nondum animaduertitis, neque intelligitis? Oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis? & non meministis. Iohann. 16. Ad hæc multa habeo quæ uobis dicam, sed non potestis nunc portare: cum autem uenerit spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Lucæ uigesimoquarto: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ loquuti sunt Prophete.

Quia uerò homines renati constant ex carne & spiritu, id est ex nouo & ueteri homine, ideo eis duplicia in historia Euangelica adscribuntur opera: alia ueteris, alia noui hominis. Veteris hominis sunt fructus mali, seu opera mala contra primam & secundam tabulã, interna & externa: sed quibus repugnant renati, & ob quæ, si cõmissa sint, dolent, & penitentia agunt. Talia sunt, ὀλιγοπισία: Matth. sexto & octauo. Hesitatio Petri, Matthæi decimoquarto. Ignorantia discipulorum, Matth. 15. & Marci 8. Quod Petrus Christo dissuadet, ne patiatur: Mat. 16: Incredulitas discipulorum Christi Matth. 17. Quod audita cõcione Christi de eius morte mœrore afficiuntur, Matth. 17. Et quod eandem concionem non intelligunt, Luc. 18. Quod contendunt inter sese de eo, quis maximus sit futurus in regno Christi: Matth. 18. Marci 9 & 10. Lucæ 9. 22. Quod filij Zebedæi per matrem suam à Christo petunt, ut alter à sinistra, alter à dextra Christi sedeat in regno eius, Matthæi uigesimo. Quod operarij in uinea murmurant aduersus patrem familias, Matthæi uigesimo. Audacia Petri & aliorum discipulorum. Matthæi 26. Et quod Petrus abnegat Christum ter, & execratur se, & iurat, quod hominem illum non norit: ibidem. Iudæ impudentia & proditio, Matthæi 26. Iudæ de speratio,

ſeratio. Matthæi uigeſimoſeptimo. Quòd mulieres, Petrus & Iohannes, diſcipuli euntes Emabus, Thomas adeò diſcifulter credunt, Chriſtum uerè à mortuis reſurrexiſſe: Matthæi uigeſimooctauo. Lucae uigeſimoquar: o. Iohannis uigeſimo, Mar. decimoſexto. Quòd diſcipuli euntes cùm Chriſta ad montem oliuarum, adhuc regnum Chriſti mundanum ſomniant: Act. 1.

Novi hominis fructus ſunt, bona opera tum interna, tum externa. Lucae ſexto: Bonus homo ex bono theſauro profert bona. Talia ſunt que in prima & ſecunda tabula Decalogi præſcribuntur, quorum catalogum recitabimus infra in loco de bonis operibus. Porrò illa bona opera, quæ à renatis ſiunt ſecundum legem Dei, non tribuuntur principaliter uiribus hominis, ſed Deo patri, filio & ſpiritu ſancto, & fidei. Teſtimonia de patre, Matthæi decimoſexto: Beatus es Simon bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis. Iohannis ſexto: Nemo uenit ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Iohannis decimoſeptimo: Pater ſanctifica eos in ueritate: Verbum tuum eſt ueritas. De filio dicitur Matthæi 11. Nemo nouit patrem niſi filius, et cuiuſq; uoluerit filius reuelare. Ioh. 15. Ego ſum uitis, uos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia ſine me nihil poteſtis facere. De ſpiritu ſancto inquit Chriſtus Matt. 10. Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis. Ioh. 4. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Ioh. 16. Cùm uenerit ille, qui eſt ſpiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. De fide dicitur Matth. 17. Si habeatis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis mōti huic, demigra hinc illuc,

& demigrabit, neque quicquam impossibile erit uobis. Luc 8, Christus ad archisynagogum inquit: Noli metuere, crede tantum, & salua erit. Marci 9. Omnia possibile credenti. Verum tamen interdum talia dicta occurrunt, in quibus opera bona solis uiribus humanis adscribi uidentur, sed ea synechdochicis sunt intelligenda. ut Lucæ 6; Date & dabitur uobis: remittite, & remittetur uobis. Item Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia. & secuti sumus te. Item Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & similia. Nam alibi Christus huiusmodi sententias declarat, quod nemo possit ad se uenire, nisi pater eum trahat. Ioh. 6. Et quod absque se, praesertim in rebus spiritualibus, nihil quidquam possit facere. Iohan. 15. etiam illud monet Christus, homines renatos non posse legi Dei integram praestare obedientiam, propter inhaerens peccatum. Lucæ 17. Si omnia, inquit, feceritis, dicite, Serui inutiles sumus. Item: Moyses dedit uobis legem, at nemo uestrum factis praestat eam. Iohan. 7. Idem monet orationis formula, in qua iubet nos orare, Dimitte nobis debita nostra: Matth. 6. Et nobis inuicem peccata condonare: Matth. 6, & 26. Vnde etiam illud colligi potest, Christum docuisse, renatorum eam esse rationem, ut possint labi contra conscientiam, & excutere gratiam Dei & spiritum sanctum. quam sententiam etiam haec dicta confirmant, Matth. 7. Multi dicent in illa die, Domine domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & c. Mat. 10. Qui perseuerauerit usque ad finem, saluus erit. Lucæ 24. Multi uocati, pauci electi. Exempla etiam idem moment, qualia sunt Capernaitarum, Corazæorum, Bethsaidensium, Matth. 11. Iudæ, Iohan. 17. & Matth. 27. Imò parabolis etiam ea sententia confirmatur: qualis est de agro petro:

petroso et spinoso, Matth. 13. De eo qui ueste nuptiali caret, Matth. 22. De operarijs in uinea, Matth. 20. De filio patris irascente ob receptionē fratris, Luc. 15. De eo qui admouet manum aratro, & postea respicit retro, ut uxor Loth: Luca. 17. Sed de his infra suo loco plura.

DE PECCATO IN
genere.

Peccatum non esse à Deo, sed à diabolo et hominibus, Iohan. 8 docet Christus: Ille (diabolus) homicida fuit ab initio, & in ueritate non stetit. Item: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mēdax est, & pater eius. Diabolus igitur ipsemet lapsus est, sine uoluntate aut impulsione Dei, auertēs se à suo conditore. Deinde simul ex hominibus peccatum prouenire, nec esse rem conditam in homine ab ipso Deo, sed sponte eum contra præcepta Dei egisse, & diabolo paruissē, idq̄ adhuc facere, hæc uerba docent: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facitis. Explicātur ista clarius Genesis tertio, ubi exponitur lucuosissima historia, quomodo primi homines astu circumuenti, desideria diaboli contra Deū, eiusq̄ interdictum fecerint, & ita filij eius maligni spiritus sint effecti. Sed hæc alibi extant, Idem in oue aberrante sua sponte, non pastoris uoluntate aut approbatione, est adumbratum. Matth. 23 inquit Christus: Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodū gallina pullos suos sub pennas, sed nolulistis? Ideo peccata ex hominibus sunt.

Effectus ac pœna peccatorum sunt, iustissima & atrocissima ira Dei. Ioh. 3. Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Si per fidem in Christum tollitur ira: ergo si absq̄ Christo sumus, ira Dei subiace-

mus. Ioh. 9. Peccatores Deus non exaudit. Ira igitur Dei atq; auersatio hominis, ex peccatis hominum oriuntur.

Ipsa hominis deprauatio, seu uirū destructio, seu malitia. Matth. 12. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Cum non renatis agit: ideo eos esse malos inquit, non tantum ob facta, sed ob totam ipsorum naturam, à qua nihil boni possit proficisci, nisi immutentur. Et homo spoliatus ac uulneratus, ab Hierosolymis ad Hiericho iter faciens, idem declarat: Luca 10.

Priuationo sanctitatis. Nam ideo Christus petit, Sanctifica eos in ueritate: Iohannis decimo septimo.

Tyrannis diaboli. Matthæi duodecimo Christus docet, quod in hominibus nõ renatis, aut peccatis indulgentibus, habitet diabolus: ac semel exturbatus, non uereatur reuer- ti. Luca 22 inquit: Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Item, beneficio Christi, filij Dei efficitur: Iohan. primo. Ergo natura sumus filij diaboli. Christus est Saluator: ergo mancipati sumus ob peccatum diabolo, morti, inferno. Recitatur in historia Euangelica plurima exempla, quomodo diabolus hominum corpora occuparit. Alios uero subtiliori quadam ratione tenet constrictos, ut Iohan. 8 de pharisæis assueerat Christus: Vos ex patre diabolo estis, Estque sanè horrenda uox, esse sobolem, uas & organon diaboli.

Pulsio ex paradiso, in exilium calamitosissimum. Luca 23. Hodie mecum eris in paradiso. Ergo Christus latroni, totiq; humano generi paradisi portam rursus aperit: non quidem iam amplius illius terrestri paradisi, sed celestis & æterni.

*Omnis generis calamitates, ut sunt morborum uaria ge-
nera,*

nera, bella & uastationes, & similia. Iohan. 5. Christus dixit paralytico: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi cōtingat. Luca decimonono: Veniēt dies in te, & circumdabunt te mimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undiq, & solo aequabunt te & filios tuos qui in te sunt, eo quod non cognoueris tempus uisitacionis tuæ, &c.

Mors. Ioh. 8. In peccato uestro moriemini. Item: Si non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis uestris. Ergo quod ad nos atinet, in peccatis ac morte iacemus. Liberator uerò unicus ac saluator est. Christus IESVS. Iohan. nis octauo & undecimo.

Condemnatio, ignis aternus. Mar. decimosexto: Qui nō crediderit, condemnabitur. Ergo condemnationi oēs sunt obnoxij. Matth. 25. Ite maledicti in ignem aeternum.

DE PECCATO ORIGINALI.

Etsi his uocabulis non sint usi Euangelista, tamen res ipsas proposuerunt: nempe non tantū dicta aut facta adulatorum esse peccata, sed ipsam etiam hominis naturam esse depranatā: & hac quoq, ratione peccatores reosq, aeternæ uicæ esse homines, nisi per saluatorem fiat remissio. Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Quod natū est de carne, caro est. Itaq, natiuitas nostra ex parentib. hoc est ipsa natura nostra, quæ ex materna aluo in hūc mundū ferimus, est corrupta peccatis, ut per se non sit capax uitæ aeternæ: & indigeat fortiatque efficaci remedio, nempe lauacro regenerationis. Matthæi duodecimo: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Testatur Christus, intellectum & uires interiores hominis esse uitiatas, ut tantum mala inde scaturiant:

riant: hoc est, falsa dogmata, calūniæ, conuicia erga Christū, & similia. Matt. 15. De corde exeūt cogitationes malæ, homicidia, &c. Ideo ipsum cor est deprauatum & malum, unde tam mali fructus emanant tanquam ex fonte ueneno-
 to. Iohan. 6. Caro non prodest quicquam. Estq; pbrasis scri-
 pturæ, quæ carnem spiritui opponit, ac uocabulo carnis com-
 prehendit totam hominis massam, non renati: hoc est, omnes interiores uires, intellectum uoluntatem, cor. Hec omnia dicit Christus non prodesse quicquam: hoc est, ita uitiosa esse, ut non pertineant ad uitam æternam, nisi de spiritu denuò nascantur. Ex his igitur testimonijs perspi-
 cuum est, peccata non tantū esse actualia, ut uocantur: item peccatum originis, ut appellatur, non tantum esse imputa-
 tionem alienæ prauaricationis, sed esse uitiū seu depraua-
 tionem, seu malum in ipsa natura seu substantia hominum, qui naturali modo nascuntur: ex quo malo fonte postea pro-
 fluunt & exundant alia peccata: sicut Matthæi 15 scriptum est, Ex corde prodeunt cogitationes malæ. Non possent au-
 tem inde prouenire, nisi ipsi cordi talis malicia & fecun-
 ditas quasi peccatorum inesset.

Innasci uerò hominibus hoc peccatum, seu propagari na-
 turali natiuitate iam post lapsum in paradiso factum in om-
 nes homines, Iohan. 3 Christus docet: Quod natum est, in-
 quit, de carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiri-
 tus est. Ideoq; infert, omnino regenerationem per spiritum
 & aquam esse necessariam: aliàs hanc carnem non posse re-
 gno Dei potiri. Manifestum est igitur, de carne carnem na-
 sci: hoc est, corruptionem humana natura è parentibus pro-
 pagari: & quidem istam massam, ex qua fit homo, eo uene-
 no tinctam atq; infectam esse.

Omnes

Omnes autem eadem lege nasci, ac pariter peccatores esse, etiam hæc sententia cōmonefacit: Hic est agnus qui tollit peccata mundi. Si enim mundi totius peccata in se recipit hæc uictima, ideo omnes in eodem luto hæsitare necesse est. Ioh. 8. Qui uestrū sine peccato est, mittat primū in eam lapidē. Solus autem homo IESVS Christus iurè excipitur, qui de spiritu sancto in utero uirginis purissimæ, contra communem nascendi legem natus est. Angelus dicit: Quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei: Lucæ 1.

Porrò hanc labem originalem esse rem ira Dei & æterna damnatione dignam, nisi fiat remissio, illa ipsa testimonia declarāt, quæ modo enumerata sunt: ut Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Matth. 15. Quæ procedūt de ore, de corde exeūt, ea coinquinant hominem. Iohannis 8. Si non credideritis, manebitis in peccatis uestris. Iohannis 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

DE ACTUALIBVS PECCATIS.

Ignorant & hanc appellationem Euangelistæ: sed discernunt tamen res ipsas, hoc est, naturam deprauatam, & fructus inde prouenientes. Matthæi 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemia. hæc sunt quæ coinquināt hominem: hoc est, faciunt eum reum æternæ iræ & damnationis. Malitia autem cordis, malum originis est. cogitationes malæ, & alia facta pugnancia cum Decalogo, sunt mala arboris mali fructus.

Sunt autem actualia, non tantum externa peccata, sed etiam interna: sicut Decalogi præcepta Mat. 5, exponūtur.

Jobannis 16 dicit Christus: Spiritum sanctum reprehensurum esse mundum de peccato, iusticia & iudicio.

Postremò odisse Deum peccata, & puniturum esse, sepe docet Christus. Matthæi 7. Discedit à me omnes qui operamini iniquitatē. Item: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Matthæi 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Peccatis excuti gratiam & spiritum sanctū, hæc docent: Iob. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Lucæ 11. Qui non mecum est, contra me est. Qui non colligit mecum, dispergit. Matth. 16. Abi post me Satana. cū quidem paulo antè restatus fuisset Christus, Petrū ex singulari inspiratione patris cœlestis, Christum pronunciaffe filiū Dei. Ille insignis debitor, inclementia & tyrannide erga suū conferuū effundit gratiā & beneficentiā, quā à Domino suo ceperat: Mat. 18. Iudas ruens in peccata, fit hospitū ac mancipiū Satana, profligato Spiritu sancto, & excusis præstantissimis donis, quæ à Christo acceperat. Nouē leprosi à sacerdotibus seducti, & non reuertētes ad Christū, amittunt eius gratiā. Luc. 17. idem ex typo de fatuis uirginibus apparet, quæ indulgentes somno, & oleo destitutæ, iustoq; tempore non comparentes, à sponso excluduntur: Matthæi 25.

Manere peccata in sanctis, sed de quibus quotidie petant remissionem peccatorum, in orationis forma Dominus admonet, cū iubet precari omnes sanctos: Dimitte nobis debita nostra. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Hoc iucundissimum dictum, non tantum de prima acceptione intelligendum est, sed quod sancti per totam uitam, molem peccatorum sentientes ad Christū confugere, & hac consolatione se sustentare debeant.

debeant. Idem exempla Apostolorum probant, in quibus maxima imbecillitates cernuntur.

Aliiter manet peccatum in obstinatis & impenitenti-
bus. Iohan. 9. Quia dicitis, Videmus, peccatum uestrum
manet: hoc est, Deus uobis imputat, ac damnabit uos in æ-
ternum, nisi egeritis pœnitentiam.

Peccatorum esse quosdam gradus, nec omnia paria esse,
hac sententia Christus indicat, Iohan. 19. Qui me tibi tra-
didit, maius peccatum habet. & Matth. 5, ubi gradus pœ-
narum etiam constituit.

Facit & gradus quosdam seu species peccatorum Chri-
stus Matth. xi duodecimo, Luc. duodecimo: nempe peccatum,
blasphemiam, blasphemiam spiritus. Sic enim inquit: Dico
uobis, omne peccatũ et blasphemia remittetur hominibus:
blasphemia autẽ spiritus, non remittetur. Et quicumq; dixe-
rit uerbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem
dixerit uerbum, uel (ut habet Lucas) blasphemauerit con-
tra spiritũ sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, ne
que in futuro. Habet autem iste locus omnino aliquid ob-
scuritatũ. Significat blasphemia in spiritum sanctum, pro-
culdubio tale peccatum, quod ministeriũ spiritus sancti, ad
remissionem peccatorum consequẽdam a Deo ordinatum,
nempe concionem, & actionem pœnitentiæ, consultò & de
liberatò contra conscientiam reijcit, & cum fastu ac mali-
tia repudiat. Aliàs enim ad omnes pertinet, citra persona-
rum aut peccatorum respectum, hæc dulcis Euangelij uox:
Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego refi-
ciam uos, Matth. xi. Nam Christus est uictima, tollens pec-
cata mundi. Ergo nullum est peccatum, pro quo ipse non
satisfecerit: modò ad Christum ueniat, cum que fide
ample-

amplectatur peccator. Est igitur blasphemia nihil aliud, quam ueritatis patefacta contra conscientiam irrisio, conculcatio, persecutio, aut desperatio citra conuersionem. Sed de hac re, in sequenti libro plura dicentur.

DE LEGIBVS DIVINIS IN GENERE.

Vocabulum legis interdum pro tota doctrina per Moysen tradita, ac literis cōprehensa, accipitur. ut Luc. 10. In lege quid scriptum est? quomodo legis? hoc est, quid tradit liber legis ea de re? Luc. 24. Quae scripta sunt in lege Moysi, Prophetis et Psalmis. Maxime tamen spectat uox legis ad eam politiā & constitutionē Ecclesiae, quā per Moysen instituit Deus. & hac ratione Legis uocabulum omnia decreta complectitur, quae diuinitus proposita sunt, ac uenturū Messiam cum suo regno adumbrabāt, ut Ioh. 1. Lex per Moysen data est. Matt. 11. Luc. 16. Lex & propheta usq; ad Iohannem. Matth. 5. Non ueni soluere legem, sed adimplere. Omnes autem leges implet Christus: maxime tamen moralem, ut uocant, quae etiam est omnium grauisima.

Interdum uerò speciem, hoc est sententiam aut decretū peculiare significat: ut Iohan. 19. Habemus legem, secundum quam eum oportet mori. Legem, inquiunt: hoc est forensē sententiam, à Deo praescriptam. Sic Luc. 2. secundo: Secundum legem Moysi portauerunt eum Hierusalem: hoc est, iuxta decretum illud seu praecipuum peculiare Dei, de primogenitis sistendis Domino. Largissimo modo pro toto ueteri Testamento seu Scriptura sumitur. ut Iohannis decimo: Nonne scriptum est in lege uestra: Ego dixi, diestis? id quod ex Psalmo 81 sumptum est, Ioh. 15. Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia oderunt me gratis. Extat autem ea sententia Psalmo 35.

Porro

Porro etsi Evangelica historia non habeat ista uocabula, Lex forensis, Ceremonialis & Moralis (nam in hacce species lex Mosaica aut diuina distinguitur) tamen res ipsas continet, et eo modo de ijs loquitur, ut rebus ipsis discernat. Itaq; hoc loco usitata & recepta uocabula adhibere, non erit importunum.

Forenses leges sunt, sententia à Deo per Mosē tradita, de uita politica, & iudicijs atq; executione poenarum contra externè & enormiter delinquentes. Talem recitat Christus Matt. 5. Audistis quòd dictum sit, oculū pro oculo, dentem pro dente. Exodi 21. Leu. 24. Iudæi allegāt hanc Ioh. 8. In lege, inquit, Mosēs mādauit nobis huiusmodi (adulterā nēpe) lapidare: Leu. 20. itē Ioh. 19. Nos legē habemus, & secundū eam debet mori, quòd filium Dei se fecit. Alludūt autē ad legē de blasphemis, Leu. 24. Talis etiam est lex de diuortio, Matt. 19. Deut. 24. quam Christus ait ob duriciā cordis Iudæorum esse permissam. Matt. 15. Deus dixit: Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Exod. 21. Luc. 20. Mosēs scripsit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit, habens uxorē, et is sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius in uxorē, & resuscitet semen fratri suo. Io. 7. Nunquid lex nostra iudicat hominē, nisi prius audierit ab ipso, & cognorit quid faciat? Ioh. 8. In lege uestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium sit uerum.

Ceremoniales leges sunt statuta quadam, à Deo per Mosē sancita, de ceremonijs in Ecclesia seruandis. Recitantur & ex ijs quadam in historia Evangelica. Stante in talibus rebus adhuc Iudaismo, Christus est exhibitus. Lucae primo dicitur, Zachariam incensum posuisse, iuxta consuetudinem sacerdotij. Die octauo Iohannes, ita & Christus,

stus, circūcidebatur, iuxta institutionē Genes. 17. Luc. 1. 2.
Item, de lege purgationis & oblationis primogenitorum,
Lucæ 2 narratio extat. Postquam impleti sunt dies purga-
tionis eorum, secundum legem Mosi, tulerunt illum Hiero-
solyman, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in le-
ge Domini: Omne masculum adaperiens uuluam, sanctum
Domino uocabitur. Et ut darent hostiam, sicut dictum est
in lege Domini: par turturum, aut duos pullos columba-
rum. Leuitici 12. Exodi 43. Oblationis munerum ad altare
mentio fit Matthæi quinto.

Cæremonie de Sabbato sæpe mentio incidit, Matthæi
duodecimo, Marci secundo: Luca sexto, decimoquarto. Eo-
dem pertinent loci de Paschate, maflatione agni, & alijs
festis: quorum obseruatio à Mose præcepta erat, & suo loco
enumerantur.

Lex moralis est, doctrina à Deo tradita: cuius summa
in Decalogo est comprehensa. hæc præcepta etiam à Chri-
sto & recitantur, et explicantur eo modo, ut satis appareat,
ea à superioribus legibus discerni. Matthæi decimonono,
quendam persuasione propriæ iustitiæ tumentem, deducit
ad mandata, & eorum quædam recenset: ut, Non facies ho-
micidium, Non adulterabis, Non furtum facies, Non fal-
sum testimonium dices, Honora patrem & matrem tuam,
Et diliges proximū tuum sicut teipsum. Tantum enim ope-
ra secundæ tabulæ homini proponit, unde coniectet, si ea
non præstitit, quomodo primæ tabulæ opera, quæ longè sub-
limiora sunt, præstare potuerit. Matthæi quinto exponit
Christus aliquot præcepta, ut, Non occides, Non mœcha-
beris, Non peierabis, reddes autem Domino iuramēta tua.
De primo præcepto ait Christus Matth. quarto: Dominum

Deum

Deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Quomodo sabbathi dies sit sanctificandus, Matthæi duodecimo docet. Totam legem Moralem hac sententia complectitur Matthæi uigesimo secundo: Diligas Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua: hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

DE ABROGATIONE
Legis Mosaicæ.]

LEges Mosaicæ omnes esse impletas, finemq; suum consecutas operibus Messia, Christus ipse docet Matthæi undecimo: Omnes prophetae & lex usq; ad Iohannem prophetarunt. Iohannes enim presentem Christum digito monstrabat dicens: Ecce hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. quasi diceret, Hæc unica uictima alijs omnibus est præfigurata. Matt. 5 ait: Nolite putare quod uenerim solvere legem, aut prophetas. Non ueni soluere, sed adimplere. Docet peculiare suum officium hoc esse, ut quod significabãt ac requirebant leges omnes, ipse unus præstaret atq; exoluere. Matt. uigesimo quarto prædicit Christus excidium ac uastationem templi, atque æternam cladem ad internecionem populi Iudaici. Addita etiam hac inter alias causas, quod nisi dies abbreviarentur, non fieret salua omnis caro: hoc est, etiam ob eam causam eum locum diuinitus deletum iri, ut cunctis mortalibus innotescat, leges Mosaicæ abrogatas esse, ac Messiam esse exhibitum iuxta prophetas. Quid quod etiam Baptista ideo mandato diuino discesserit à templo Hierosolymotano, eiusq; ritibus, ac nouum ministerium ad ipsum Iordanem sit exorsus: ut ipso facto testatum faceret, leges Mosaicæ iam finiri & aboleri.

Est autem hæc doctrina dextrè, non calumniose intelligenda. Leges forenses ac caremoniales prorsus sunt abrogatae. nam usq; ad Christum durare debebãt. Ideo Matt. 11 dicitur: Lex usq; ad Iohannem. nisi tamen quaedam cum naturali iure conueniant, quæ sunt sua natura immutabilia. Item, Leges Mosaicæ omnes non possunt nos corã Deo iustificare: Christus aut de se pronunciat, quòd legem impleat. Matt. 5. Moralis etiam lex sic est abrogata, ut damnare & accusare nos propter impletionem Christi, ut iam dictum est, nequeat. Sed nihilominus manet lex Mortalis, utpote æterna Dei sententia, quæ perpetuò in Ecclesia Dei sonare debet, propter necessarios usus: ut et de peccatorum mole, & de operibus quæ renati debent prestare, nos commonefaciat: idq; testatur ordinatio ministerij. Luc. 24. Prædicate pœnitentiam. Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Matth. 7. Arbor bona facit bonos fructus. Matth. 18. Dilectionem erga proximum & beneficentiam requirit. Matth. 5. Donec transeat cælum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant. De hac igitur lege plura nobis colligenda sunt.

DE LEGI MORALI,
seu de Decalogo.

EX partibus huius doctrinæ, quæ mox sequentur, componi potest hæc definitio: Lex moralis est, doctrina à Deo tradita, præcipiens nobis hominibus quæ facere, quæ omittere oporteat: & requirens integram atq; absolutam obedientiam ab omnibus, propositis promissionibus ac pœnijs, perfectè implentibus hæc præcepta: minis uerò ac pœnis, non præstantibus perfectè eam integram obedientiam.

A Deo esse præcepta Decalogi tradita, docet Christus
Matth.

Matth. 15. Cur uos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram? Nam Deus dixit, Honora patrem et matrem. Iohan. 7. ait: Moses uobis dedit legem. Iudaico more hic loquitur. nam Moyses nomen erat uulgatissimū: & is legem ab ipso Deo in monte Sinai accepit, populūq; Israēlitico, qui maiestate ac presentia Dei territus, Deum audire non poterat, attulit. Sic & Ioh. 1. Lex per Moysen data est: scilicet, tanquam ministrum.

Operaprecium nunc est, genuinam Legis sententiam percipere, quam fideliter explicat Christus, Matth. 22. Pharisæo sciscitanti, quod esset mandatum magnum in lege, expedite respondet: Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua. hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile huic: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Hanc legis declarationem, sumit ex ipso Mose, Deut. 6. Leuit. 19. Recitat eandem summam legis peritus quispiam, quæ statim a Christo approbatur. Perspicuum igitur est ex hac illustri sententia, Decalogum seu legem non tantum disciplinam seu externa opera flagitare, sed etiam interiorem obedientiam, quæ ex corde, anima, mente emanat: & quidem integram omniq; labe carentē requiri, sicut uerba sonant, Ex toto corde, tota anima, tota mente, & (ut dicit legisperitus) totis uiribus. Dilectionis insuper uocabulum, interiores motus, eosq; omnium ardentissimos postulat, remotis atq; posthabitis omnibus quæ ei dilectioni quoquō modo contrariæ sunt. Summa, lex naturam hominis mundissimam, & expertem omnium peccatorum exigit. Præterea obseruanda etiā partitio est, quam Christus in hac summa constituit. Dilectionem erga Deum facit primum mandatum: dilectionem

erga proximum, alterum. Diuidit ergo Decalogum in duas partes seu tabulas, ac summam cuiuslibet ponit. Matthæi quinto hoc modo aliquot Decalogi præcepta explicat, id est contra Pharisæorum doctrinam & opinionem: Audistis, inquit, quòd dictum sit antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. De sexto præcepto inquit: Audistis quòd dictum sit antiquis, Non mæchaberis. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendû eã, iam mæchatus est eã in corde suo. De octauo inquit: Audistis quòd dictum sit antiquis, Non peierabis, reddes autè Domino iuramenta tua. Ego autè uobis dico, nõ iurare omnino, & c. Sit autè sermo uester Est, est: Non, non. Quod enim his abundantius est, à malo est. Sparsim igitur. prout sese occasio offert, legem docet, exponit & inculcat Christus, non simul ordine Decalogû recenset. Ad legis sententiam etiã hoc pertinet, quod de pœnis malorû operum refert Christus, Matt. 12. Dico uobis, quod de omni uerbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddent rationè in die iudicij. Item Matth. 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemie. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Interior igitur immundicia, fons & radix omnium peccatorum, simul lege accusatur & damnatur. Matth. 23. Munda prius quod intra poculum & patinam est, ut fiat & id quòd de foris est mundum.

Opera secunda tabulæ tam exigi, quàm prima, atq. aded hæc

hæc sine illis Deo non placere, perspicue Christus indicat Matt. 5. docens, sacrificiũ non placere sine dilectione aut reconciliatione proximi. Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum. Matthæi uigesimosecundo inquit: Secundum est simile huic.

Promissiones de fine atq; effectu legis sunt amplissimæ sed habent expressam conditionem integræ completionis, quædem Deus exigit. Matt. 19. Magister bone, quid faciens uitam æternã habebō? respondet IESVS: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata. Proponit igitur lex tanquam brauiũ, omnibus perfecte eam præstantibus, uitam. Latè autem patet hoc loco uocabulum uitæ. Complectitur enim simul laudem iusticiæ istius, quam Deus iuxta legem ab hominibus postulat: & gratiam Dei, bonaq; omnia huius & æternæ uitæ. Luc. 10. Hoc fac, & uiues. Vita igitur, perfecta obedientie legali clarè est promissa. Additur autè in eo loco, quod legisperitus seipsum uoluerit iustificare: quod quid est aliud, quàm integram legis obedientiam sibi arrogare? Nam de lege tum quæstio agitabatur. Quare iusticia & uita tribuuntur consummatæ obedientiæ legis. Matthæi duodecimo: Qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Matth. 5. Qui fecerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum.

Contrà comminationes graues de pœnis omnium quæ eam absolutam obedientiã, in lege requisitam, nõ præstãt, proponuntur: id quod etiã ex antithesi promissionũ colligi potest. Matt. 7 Christus eam fert sententiã: Discedite à me

I 2 omnes

omnes qui operamini iniquitatem. A Christo iudice ac rege eterno abijci, quid hoc est aliud, quam in eternam damnationem conijci? sicut ea ipsa clarius narrantur Matt. 25. Discedite maledicti in ignem eternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ac enumerat quedam peccata, de omissione dilectionis erga proximum. Esuriui enim, inquit, & non dedistis mihi cibum: sitiui, non dedistis mihi potum: hospes eram, non me collegistis: nudus eram, & non operuistis: infirmus & in carcere, & non uisitastis me. Matthæi decimoquinto. Hac coinquinant hominem: ubi catalogum aliquot peccatorum ponit. Est autem phrasis, quod peccata hominem à Deo, qui est sanctissimus, auellant, & reum mortis efficiant.

Oportere igitur legem fieri omnino, siquidem iusticia & uita hominibus rursum coram Deo paranda sit, Christus disertè monet Matthæi quinto: Amen, inquit, dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum. Item: Estote perfecti, sicut & pater uester cælestis perfectus est. Matthæi decimonono: Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Lucæ decimo. Hoc fac, & uiues. Qua propter sine impletione legis, & hac integra iusticia, nemo hominum uitam consequetur.

Sed iam cardo in eo uertitur, an homines, quales nunc quidem sunt, legem Dei perfectissimè, sicut à Deo exiguntur, præstare atque absoluerè, eaque ratione iusticiam & uitam apud Deum sibi comparare queant. Hac autem in questione

stione omnium grauissima, ipse Christus sese iudicem constituit: ac pronunciat clarè & apertè, nullum hominem in terris, post deprauationem, hoc posse consequi. Rotundè enim iudicat Christus, Iohannis quinto: Qui accusat uos, Moses est, in quo speratis. Iohannis septimo. Moses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem. Omnium sanctissimi homines in populo Dei proponuntur, qui in primis in legis impletione sudabant: sed non ueretur tale iudicium promulgare Christus, ueminem ipsorum legem Dei facere: hoc est, integrè prestare. Matthæi quinto. hæc sententiam pro autoritate, qua hic doctor pollet, paulò nimium maiori quàm prætoria, decernit: Nisi, inquit, iusticia uestra abundauerit plus quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Negat iusticiam Pharisæorum, quæ sanè non erat exigua, esse perfectam: negat ipsos ea iusticia regnum cælorum consecuturos esse: uerùm excellentiore ac absolutiore iusticia adhuc opus esse.

Pergit autem pharisæis eam suam sententiam persuadere: estque eius ratio luculenta & euidentis, quòd Decalogus flagitet interiore, mundam ac perfectissimam obedientiam, nec sit contentus externis quibusdam operibus. Imò ait, perfectionem requiri, qualem habeat pater cælestis.

Pharisæo sibi arroganti impletæ legis laudem, omnem gloriationem adimit, tectâ quadam admonitione de auaritia: Si uis, inquit, perfectus esse, uade & uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni & sequere me. Addit autem Euangelista, indicans quò nam hæc uerba Christi spectent: Cùm audisset, inquit, adolescens uerbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. Lucæ 10, legisperitum quoque, eandem legis iusticiam

sibi ingenti supercilio tribuentem confundit, iubens eum legis summam, quam celeri lingua effatus fuerat, re ipsa complere: & proposita quadam imagine de homine sauciato, ac dilectione proximi, conclusionem tandem atexit. *Vade, inquit, & tu fac similiter.* non obscure ostendens, cum ab impletione legis diuina quam longissime adhuc abesse. Lucae decimo octavo Pharisaeus damnatur, cum sua operum iusticia, quam falso sibi uendicabat. Matthaei quinto assueuerat Christus, se ideo uenisse, ut impleveret legem, qua sententia & hoc euincit, nullum hominem in terris legi potuisse satisfacere: alioqui superuacaneum profusus fuisset, filium Dei hominem fieri, totamque legem nomine totius generis humani subire. Hoc grauissimum testimonium, a patre totum mundo propositum, sepe ac sedulo considerari debet.

Huc etiam typi facere uidentur, in quibus haec doctrina satis quidem graphice & perspicue depicta est. ut Lucae decimo totum genus humanum adumbratur in uno homine, qui Hierosolyma uersus Hiericho iter faciens, incidit in latrones: rebusque suis omnibus, exutus ac spoliatus, in super leuiter uulneratur: ac prostratus totus, animam iam agens in uia relinquitur. Deploranda sane & horrenda facies omnium hominum nostris oculis subiicitur. At multo crudelius nos a Diabolo, donis, quibus a Deo Adam ornatus erat, & in omnem posteritatem propagare debebat, sumus spoliati, & in temporale simul & aeternam mortem coniecti, unde nosmet in aeternum non potuissimus exoluere & liberare. Accedit & hoc, quod in hac pictura sacerdos & Leuita, uiso sauciato ac moribundo homine praetererunt, nihil ei opis conferentes, nullam misericordiam exhibentes. Qua quidem in re lex Dei, cuius erant illi ministri, significata est, qua cernit quidem ho-

minis

minis cladem & miseriam, nempe peccatum & mortem, imò eò deducit homines, ut hæc sua mala agnoscant & cohorrescant, sed non inuat, non releuat homines. hoc est, lex non iustificat homines, quales illi nunc sunt: Habet enim lex certas & fixas sententias, nempe promissiones uitæ, uerùm cum conditione impletæ legis: & comminationes iræ Dei, mortis & æternarum pœnarum erga omnes, sine ulla prosopolepsia, qui non præstant consummatissimam legiæ obedientiam.

Alius typus Matthæi 18 proponitur, ubi in medium constituitur seruus quidam: & quidem in conspectum domini producitur, exigentis iustam ab eo rationem. Inspecito igitur in libro debitorio, ex tabulis manifestum fit, eum decem milia talentorum debere. Inficiari seruus hoc immensum debitum non audet, soluendo autem esse nequaquam potest. Quapropter iudicium fertur, ut æterno carcere damnetur. Eiusmodi autem summam debent omnes homines Deo transgressi: omnia nimirum decem præcepta in infinitum, nec possunt unquam tantum debitum Deo patri, iustam damnationis sententiam contra ipsos ferenti, persoluerè.

In Acolasto etiam perditissimo, figuram nostrum omnium, & quod legem Dei multipliciter transgressi simus, habemus. Item in oue deperdita, et drachma amissa: nec diuersum hæc sententia docet Lucæ decimo septimo: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Negat enim Christus, legis impletionem eos sibi arrogare posse, licet opera plura quam ceteri fecerint. Cõstat igitur sibi Christus, manifestè docēs, homines legem implere, eaq; ratione suis operibus coram Deo iusticiam et uitam consequi non posse. Hanc

ipsam sententiam suo sanguine obsignat & confirmat, sicut inquit Iohannis 16. Expediit uobis, ut ego uadā. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Et paulo post iusticiam definiit, esse suam uadere seu transitum ad patrem: nempe per eam uiam, cui se tum præparabat, nimirum passionem ipsam. Concordat etiam Baprista, clamans, hoc unico agno tolli peccata mundi. Patet igitur, nullum hominem legi Dei satisfacere posse: quandoquidem tam preciosa uictima diuinitus in illud ipsum officium, nempe implendi legem, pro mundo collocata est.

A nobismetipsis igitur, & ex lege, cum nullum sit nobis miseris mortalibus auxilium, nulla liberatio, nulla salus, nulla uita relicta: unde igitur ea omnia sumemus? Respondemus: Hac pars nunc ad Euangelium proprie pertinet, quod dulcissimum Christi beneficium exhibet & offert. Ideo Matth. 5. hanc iucundissimam uocem edit Christus: Ego ueni legem implere. Quomodo autem Christus impleuit, nempe passione sua ac integra obedientia pro nobis præstita: & qua ratione applicetur, nempe fide in ipsum ex gratuita misericordia, suo loco dicendum erit.

De legis officio atq; usu, ex concionibus Christi ueram doctrinam percipere possumus: primò, quòd lex Dei cunctos homines de norma iusticiæ commonefaciat, ad quam eos condidit Deus: & ita condidit, ut præstare ualuisent, nisi fuissent lapsi: & quam adhuc serio ab omnibus hominibus, iure suo optimo flagitat. Violatio enim, etiam in civilibus rebus, non tollit aut abolet legem. Est autem lex Diuina in primis immota, regulam obedientiæ ac iusticiæ exprimens, quam homines debent Deo tanquam suo conditori. Matth. 22. Diligas Dominum Deum tuum toto corde, &c.

Vult

Vult enim eam normam esse notam hominibus, & quemlibet obligationem suam erga eam intelligere.

Secundo, quod lex deducat ad agnitionem infiniti debiti, hoc est violatorum omnium decem præceptorum, terreat, damnet ad perpetuum carcerem, humiliet: Matth. 18. integra historia narratur. Accuset, Iohannis 5. Qui uos accusat, Moyses est. Sauciet, mortificet, deserat hominē, quo ad consolationem & uitam restituendam. Luca 10. in typo. Pude faciat, & tristitiam adferat, Matthæi decimonono: Cum ais disset adolescens uerbum, abiit tristis. Nam sine legis uera cognitione, aut Epicurismum aut Pharisæismum regnare, testantur illi ipsi loci & historia, de quibus modo dictum est. Luca 24. Prædicate pœnitentiam. Ergo legis officium est, contritionem urgere.

Tertio, quod lex renatis ac iustificatis ostendat, iuxta quam regulam obedientia sit inchoanda & exercenda. Genus est, Iohannis 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Regula autem ipsa etiam huc referenda est, Diligas Dominum Deum tuum, & c. Luca 3. Iohannes quærentibus quid debeant facere, respondet: ut sint benefici erga egenos, ut quisque in sua uocatione honestatem & statuta sequatur. quæ opera certè ex Decalogo eis præscribuntur, Facite fructus qui deceant pœnitentiam: Matthæi 3. & omnia præcepta quæ de bonis operibus Christus tradit, cum lege congruunt.

Legem igitur Dei, seu Decalogum, in Ecclesia Christi semper debere sonare, Christus docet, primùm suo exemplo. Nam ipse docet & exponit legem, docet pœnitentiam, Marci primo. Idem Iohannes baptista facit, Matthæi septimo. Deinde ait, Spiritus sancti officium hoc in mundo

futurum, ut arguat mundum de peccato. Tertio sancit ministerium: Prædicare pœnitentiam in meo nomine: Luca uigefimo quarto. Quarto, nostra hoc necessitas requirit. nam sine lege sumus securi, nec petimus misericordiam: sicut in seruo Matthæi decimo octauo depictum est. Matthæi decimotertio: Propterea omnis scriba doctus ad regnum celorum, similis est homini patrifamilias, qui depromit ex thesauro suo noua & uetera. Idem etiam in typis proponitur. Samaritanus enim primum uinum infundit in uulnera uia zoris, & postea oleum: & mulier drachmā quærens, accendit candelam, & uerrat domum.

Postquam autem de lege Morali pleraq; iam dicta sunt, & ista uidentur non præter rem atteri posse: nimirum quòd Christus sententijs & factis doceat, opera moralia seu Decalogi ceremonialibus anteferenda esse. Matthæi 12 defendit uellicationem spicarum, quam fecerant discipuli in sabbatho, idque exemplo Dauidis, & Osee dictum allegat: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Sanat in sabbatho aridam habentem manum, Matthæi decimo quinto. Potius parentes, iuxta quartum Decalogi præceptum, honorandas esse censet, quàm oblationes in templo faciendas. Luca decimotertio, in sabbatho, inclinatum seu contractam restituit sanitati. Luca decimo quarto, hydropicum curat.

Quamuis Iudæi non obseruarent cæremoniam Mosaicam, ut debebant, sed potius superstitionem: discernit tamen, etiam aliàs inter cæremonias, et legem moralem. Matthæi uigefimotertio: Decimatis metam, anethum, cyminum: & reliquisti quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

¶ Eodem

Eodē modo docet Christus, legis diuinæ opera traditionibus humanis uel à senioribus latis, uel longo usu stabilitis, præferenda esse. Matthæi decimoquinto: *Quare uos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram? Item: Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem uestram. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas & madata hominum.*

Huic ueræ doctrinæ de lege, Pharisei contrarias sententias tum tradebant: nempe quòd lex tantum postularet disciplinam seu externa opera. quam opinionem Christus Matthæi quinto & alijs confutat. Deinde, quòd impletio legis hominibus esset possibilis. Proinde sibi eam arrogabant, sicut ille Matthæi 19 inquit: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, Eadem persuasione tumet alter, de quo Luca decimo scriptum est: Ille autem uolēs iustificare seipsum, ait ad IESVM: Et quis est iste meus proximus? Verum deicit ei cristas IESVS, ut cum summo dedecore discedere cogatur. Tertio, supersticiosas suas obseruationes ac traditiones humanas præferbant legi Morali: Matthæi duodecimo, decimoquinto, & alibi.*

DE EVANGELIO.

Evangeliū, iuxta etymologiam, latum ac iucundum nunciū significat. Vsus est autem hac uoce Christus & Apostoli, ex Prophetis, Esaias & alijs, sicut Luca 4. his uerbis allegatur textus, iuxta uersionem Septuaginta, ex Esaiæ capite 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me, εὐαγγελίσσατο τοῖς πτωχοῖς ἐπέταξε με, Ad euangelisandum pauperibus misit me, &c.* In Hebræo est *Basar.*

Basar. Deinde hoc fausto uocabulo præcipuam partem doctrinæ, quam proponebat Christus, insignire atq. à lege discernere uoluit, ut ea ratione discrimen conspectius esset.

Est autem propriè ac in specie Euangelium, doctrina non nota naturaliter hominibus, sed reuelata à Deo, continens incundissimum nuncium de saluatore IESU Christo, eiusq. beneficijs: hoc est, annuncians impletionem legis, pro nobis à IESU Christo, Dei ac Mariæ filio, absolute præstitam esse: ac remitti nobis peccatoribus, fide amplectentibus, gratis & ex misericordia propter meritum Christi, peccata, & donari uitam æternam. Hæc definitio ex illustribus dictis extruitur.

De hac speciali ac proprijsima Euægelij significatione, hæc dicta loquuntur Luca secundo. Euægeliz o uobis gaudium magnū, quod erit uniuerso populo: quia natus est uobis hodie SALuator CHRISTVS DOMINI, in ciuitate Dauid. Accedite, &c. Succincta hæc Euægelij definitio est, ex ore angelorum prolata. nempe Euægelium esse suauissimum de Christo saluatore famam, seu nuncium. Matthæi undecimo. Luca septimo inquit Christus. Pauperibus Euægelizatur. ac Matt. 5. Pauperes declarat, qui spirituales sunt: quos aliàs peccatores expressè uocat, propter quos in hunc mundum uenerit. Matth. 9. Item Matthæi 26. Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euægelium in toto mundo, dicetur: & quod hæc fecerit in memoriam eius. Hoc loco Euægelium describit, quod sit nuncium de sua sepultura seu passione: id est merito, ac beneficijs per sanguinem partis. Mar. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euægelio. Hic summa doctrinæ Christi recitatur, ac distinguitur Euægelium clarè ac perspicuè à pœnitentia,

ria, hoc est contritione, qua ministerio legis docetur. Est enim perspicue Christus nuncium adfert de suo beneficio, hoc est, remissione peccatorum gratuita, fide cunctis peccatoribus applicanda: tamen in suo ministerio suo loco et ordine etiam legē inculcat, per quam homo ad agnitionem peccatorum ac suae damnationis adducatur. Confirmant eam significationem etiā summa Euāgelica, Mat. 11. Venite ad me oēs. Ioh. 3. Sic Deus dilexit, &c. et similes, de quib. paulo post.

Deinde etiam generalem significationem uidetur habere, pro toto ministerio Christi et Apostolorum. Est autem Catachresis uocabuli seu Synecdoche, nam à præcipua parte doctrinae Christi, tota eius doctrina, quam in cōcionibus proponebat, Euāgelium nuncupabatur: ut Matt. quarto, nono. Marci. 1. Lucae quarto, sexto. Prædicans Euāgelium regni. Non autem tantum remissionem gratiam per suum meritum docebat: sed etiam legis ministerio peccatoribus suos morbos, ac mortem, quam erant meriti, ob oculos ponebat. Docebat, item, quales fructus è iustificatis elucere deberent. Sed inter hæc tamen, concio de meritis Christi ac gratuita remissione peccatorum præcipue eminebat. Marci primo. Euāgelium IESU Christi, filij Dei, narratione totam de historia Christi, hic Euāgelium appellare uidetur Euāgelista. Matthæi decimo octauo. Qui perdidit animam suam propter me et Euāgelium, saluam faciet eam. Lucae nono. Egressi circumibant castella euāgelisantes. Lucae 20. Docente illo populum in templo, et euāgelisante. Si synonyma sunt docere et euāgelisare, constat sanè, pro doctrina Christi in genere accipi. In ea sententia est, quod euāgelisarit, hoc est, consternatis conscientijs indicat, se tollere sua passione peccata: specialem sanè esse significationem,

ficationem, nemo ambigit. Sic Marci ultimo: Prædicatè Euangelium omni creatura: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. potest in genere intelligi, pro omnibus partibus doctrinæ à Christo illustratis: quamuis magis ad specialem significationem oratio declinet. Denique liberè profitemur, collatis diligenter locis, atque consideratis sententijs, propemodum omnia quadrare ad propriam ac specialem significationem Euangelij, quam ubique Christus uelit extare ac lucere.

Tali catachresi seu synecdochæ potest accommodari dictum Luca ultimo, Prædicatè penitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Totum enim ministerium uerbi ibi ordinat Christus, quod habet duas illas illustres partes, nempe doctrinam penitentia, quæ lege fit: & remissionis peccatorum, quæ Euangelio annunciat. Est & hoc obseruandum, quod Iohannes in suo historico libro, uocabulo Euangelij non utatur.

Euangelium esse doctrinam, Christus ipse docet Ioh. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoscat de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Doctrinam Euangelij nõ esse hominibus naturaliter cognitam, clarè Christus Matth. 11. Luca. 10 docet: Abscondisti hæc, inquit, à sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis. Item: Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nisi filius, & cui uoleirit filius reuelare. id quod non solum de essentia, sed etiã de uoluntate intelligendum est, præsertim Euangelica, ut sic dicamus: hoc est, quod gratis propter filium Deus uelit peccata remittere. Ac loqui Christum in primis de eiusmodi patefacta uoluntate, illustre dictum, quod

quod cōtinuò sequitur, planum facit: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Ac de eo qui primùm reuelauit Euangelium, Ioh. cap. 1. dicitur: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Hic enim primus est Euāgelij doctor, in paradiso uocē de semine conculcaturo caput serpentis proferens, ut alibi explicatur. Is etiam, qui latissimum illud nuncium imperauit, peperit ac meritus est, ipse filius Dei est, factus homo. Iohannis primo: Gratia & ueritas per I E S U M Christum facta est.

Subiectum ac materia Euangelij est I E S U S Christus, cum toto suo opere humiliationis, passionis, meriti, glorificationis. Forma eius est, illa ipsa doctrina, annuncians & explicans meritum Christi, seu gratuitam remissionem peccatorum omnibus credentibus. Summas igitur quasdam huius Euangelicæ doctrinæ egregiè Christus ipse comprehendit Matthæi nono, Marci secundo: Non ueni uocare iustos (hoc est, fascinatos persuasione propria iusticiæ per sua opera) sed peccatores ad pœnitentiam. Matthæi undecimo: Pauperibus euangelisatur. Item: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Marci decimosexto: Predicate Euangelium omni creaturæ: Quicumque crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Luca secundo Angelus inquit: Vobis natus est hodie saluator Christus Domini. Ioannis primo: De plenitudine eius omnes accepimus, gratiã pro gratia. Item: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Hoc compendio Baptista Euangelij summam pulcherrimè complectitur. Iohannis tertio Christus dicit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet

oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Iohannis quinto. Amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, sed transijt à morte in uitam. Iohannis sexto. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Iohannis decimo septimo. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESVM Christum. Euangelij res etiam in parabolis ac typis proponuntur. Matthæi 22. hoc modo describuntur, quod sint amplissima nuptiæ, quas Deus pater suo filio pararit, & ad quas inuitentur tam gentes quam Iudæi, ut nuptialibus gaudijs perfruantur. Pingitur & in typo debitoris, qui absoluitur gratis ab omni culpa & pœna, Matthæi 18. In receptione filij perdit, Luca 15.

Quod sit organon, quo nos Euangelij concionē de beneficio Christi seu remissione peccatorum gratuita apprehendamus, ex ijsdem testimonijs manifestū est. Nam Euangelium Christi meritum adnunciat, Christus autem fidem postulat. Ioh. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Ordo est, quod lex prius deducit ad pœnitentiam, postea Euangelium consolationem firmam ac certam perturbatis conscientijs adfert. De hoc ordine Christus ait Marci.

Agite

Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Verùm hæc in articulo iustificatiõis explicabuntur latius.

Quibus salutaris ac dulcissima Euangelij nox. conueniat, & ubi maximè efficax sit, Christus Matt. 11 indicat, paucis quidem suo more, sed ualde emphaticis uerbis: Pauperibus, inquit, euangelisatur. Pauperes uocat, suam ipsius indignitatem, imò damnationem propter atrociam & infinitam peccata agnoscentes, & habentes consternatam conscientiam: Matthæi nono. Marci 2. Lucæ. 5. Sani non opus habent medico, sed malè habentes. Item: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Vocari igitur testatur peccatores, agentes pœnitentiam, non cõtumaces. Matt. 11. Venite ad me qui laboratis, & onerati estis. Non igitur sunt Euangelij capaces, qui prorsus nulla peccata sentiunt, neq; agnoscunt, aut suis operibus confidunt se iustificari coram Deo posse, Matt. 15. Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israël. Etsi autem primùm ad Iudæos spectabat Christus, tamen etiam se ad oues perditas omnium gentiũ pertinere, illo ipso exemplo testatum faciebat. & Matt. 18. in genere inquit: Venit filius hominis saluare quod perierat. ac proponit imaginem de oue perditâ, Lucæ 15. Gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Sic in debitore seruo, in Acolasto, in publicano, in latrone, & alijs typis ac exemplis, hæc doctrina proponitur, quòd Euangelij consolatio locum habeat apud peccatores tantum, qui agnoscunt peccata, expauescunt considerantes iustam erga se Dei iram & condemnationem, desiderant consolationem & auxilium. Iusticiarij uero, ut uocantur, seu hypocrita, dementati persuasione iusticiæ operum, Euangelij non sunt capaces, id quod Matt. 18 in Pharisæo & alijs historijs uidere est:

Ad Iudæos & gentes omnes ex æquo Euangelium pertinere, egregia dicta & exempla probant. Baptista inquit Iohannis primo. Ecce agnus Dei tollens peccata mundi. Si omnium peccata tollit, consentaneum est & prædicationem de isto ingenti beneficio ad omnes spectare. Matthæi uigesimo quarto. Prædicabitur Euangelium regni in universo orbe. Marc. 16. Prædicate Euangelium omni creature. Ministerium quoque hoc pacto instituitur, ut in toto terrarum orbe sonet, ac iucundissimam concionem de beneficijs Christi adnunciet. Ipse etiam Christus iter ad gentes facit prædicans Euangelium regni, miraculis confirmans, & gentes benignè accipiēs. Matt. 8. centurionem, hominē ethnici cum, ualde prædicat. Amen dico uobis, inquit, non inueni tantam fidem in Israel. Deinde in miraculo eum ornat, sanans eius puerum paralyti laborantem, efficacissimo uerbo in absentia. Addit insuper hanc prophetiam de gentium uocatione: Dico uobis, quod multi ab Oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Speciale igitur præceptum Christi fuit tantum Dei tempore ante resurrectionem Christi intelligendum. Matthæi decimo. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Cananææ fidem egregijs laudibus uehit ac filiam eius à Demonio liberat. plura in historia Euangelij narrantur. Idem in typo Matt. uigesimo secundo ostendit, quod Iudæi ac gentes uocentur.

Euangelium unum esse omnibus ætatibus, quod non reuens à Christo inuentum, sed etiam patriarchis ac prophetis fuerit reuelatum ac traditum, nisi quod exhibitio Messia

tanquam

tanquã orto sole omnia clarius effulserint, ex certis testimonijs constat. Maria inquit: Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Paulo post: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Congruit Zacharias dicens: Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarũ eius. Luca primo, Baptista inquit, agnunt hunc Christum significasse, qui nunc uerè omnium hominum peccata portet. Esaiã caput quinquagesimum tertium. Mart. octauo citatur, quod quidem nihil aliud quãt Euangelij concio de beneficijs Christi est: ac inter alias plures etiam hæc sententia uel Euangelicissima in eo capite propheta extat: Notitia sui, inquit, seruus meus iustus iustificabit multas. Consonat autem cum hac Christi uoce, Quia credit in me, habet uitam æternam: Ioannis tertio. Eodem sensu & Mosẽ de se prophetasse, Christus asserit Iohannis quinto. Si crederetis, inquit, Mosi, crederetis et mihi: de me enim ille scripsit. Ioh. octauo. Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Item: Beati oculi qui uident quod uos uidentis: quia multi reges & prophetae desiderarunt uidere quæ uos uidetis. Id ipsum quoq; in typo docet Christus quod uocatio ad nuptialia gaudia omnibus temporibus per ministros suos facta sit.

Promissiones Euangelij tria habent peculiaria: nempe quod monstrant Christum cum suo beneficio, ipsa nimirum legis impletione: deinde gratis remissionem peccatorum proponunt: tertio uniuersalem, quod ad omnes gentes pertineant hæc bona, clarè exprimunt.

Legis satisfactionẽ atq; ipsum Christum meritũ, ac dicta prædicant, Ioh. 1. Gratia & ueritas per IESUM Christum facta

facta est. item: Ecce hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. Matthæi quinto. Veni legem adimplere. Iohannis decimosexto. De iusticia, quia uado ad patrem. item: Expedit nobis, ut ego uadam.

Gratuitam remissionem peccatorum celebrant ista: Matthæi undecimo. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Luca decimonono. Venit filius hominis querere & saluare, qui perierant. Idem exempla historiae Euangelicæ omnia, quibus remissio peccatorum contigit, luculenter declarant.

Vniuersalem plerunque omnes Euangelicæ sententiæ includunt. Matthæi undecimo. Venite omnes. Ioh. tertio. Sic Deus dilexit mundum, &c. item, Ut omnes qui credunt in eum, non pereant, sed habeant uitã æternam. Matthæi uigesimoquarto. Prædicabitur Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium cunctis gentibus. Marci decimo tertio. In omnes gentes oportet prædicari Euangelium. Marci decimosexto. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Iohannis sexto. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium. Iohannis decimosexto. Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me. ut, OMNES unum sint. In cæna quoque uniuersalis expressa est, Bibite ex hoc omnes.

Solent autem plerunque hæc tria in Euangelicis sententijs coniungi. ut Luca uigesimoquarto. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Hierosolyma. Item Iohannis tertio. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum,

eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Tales multe sententiæ colligi possunt: uerùm cum sæpius recurrant, breuitati hic consulendum est.

Effectus Euangelij, in quibus eius uis, potētia ac dignitas elucet, plures Christus et Apostoli enumerant. Reuelat enim propitiā uoluntatem patris. Matthæi undecimo. Reuelasti ea paruulis. Luca primo. Vi illucesceret his qui in tenebris & umbra mortis sedent. Matthæi 4. ex Esaiæ capite nono, eadem allegantur: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Adfert præterea ac imperat Euangelium plurima ingentia bona. quæ ordine enumerabimus.

Remissionem peccatorum: Matthæi nono. Conside fili, remittuntur tibi peccata tua. Iohan. uigesimo. Quorum remisseris peccata, remissa erunt. Luca primo. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum. Exponit hic simul, quid uocabulo Salutis sibi uelit.

Gratiam Dei: Iohannis primo. Gratia & ueritas per IESUM Christum facta est. item: Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Lex non affert gratiam, sed iram Dei: quia non inueniunt homines sibi conformes in omnibus, ut sæpe dicendum est.

Iusticiam in iudicio Dei consistentem: Luca decimo-octauo. Amen dico uobis, descendit hic (publicanus, Euangelij uocē de gratuita misericordia per Messiam promissam amplectēs, nam de ea re, eo in loco agit, ac pingit quasi exēplum iusticiæ Euangelicæ, ac damnat hypocrisim) iustificatus in domum suam præ illo.

Filiationem Dei, siue uocet tæp: Iohannis primo. De-

dit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius.

Spiritum sanctum: Iohannis decimosexto. Expediit ut ego uadam. Si enim nō abiero, paracletus nō ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos: Fructum suae passionis indicat. At Euangelium est concio de passione Christi, annuncians & applicans bona per sanguinem Christi parata. Luc. 11. Dabit spiritū sanctum petentibus se. & ista uox est Euangelij: nempe, credentibus in Christum, & eius nomine à Deo patre petentibus, donatum iri spiritum sanctū. Verba mea spiritus sunt, inquit: hoc est, per meam doctrinā datur spiritus sanctus. Item Ioh. 14. Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Gaudium solidum ac firmum pro afflictis & perturbatis conscientijs, sentientibus aliquo modo peccatorum molem, iram Dei, damnationem suam. Luca 2. Euangeliso uobis gaudium magnum, quia natus est uobis hodie Saluator. Iohan. 16. Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

Consolationē & refectiōnē certam, quando uermis conscientia mordet & affligit. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.

Pacem, iubet Christus certa salutationis formula ministros suos uti, nempe Pax huic domui: ut uidelicet effectus Euangelij in primis statim uerbis significarentur. Angeli quoq; de Euangelij fructu prophetantes dicunt, nunc in terris homines pacem habituros esse. Luc. 24. Christus se patefaciens, pacem discipulis praecatur. Ioh. 14. inquit: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus

deus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum, neq̄ formidet. Ioh. 16. Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. Luc. 1. Ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.

Affert certum præsidium contra omnis generis tentationes: Matt. 7. Omnis qui audit ex me sermones hos, & facit eos, assimilabo eum uiro prudenti, qui ædificauit domum super petram, & descendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra petram.

Fidem excitat & confirmat: Matt. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Liberationem ex inimicis nostris Lucæ 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Prophetat enim Zacharias, de Euangelij fructibus.

Vitam æternam. Ioh. 3. 5. Qui credit in me, habet uitam æternam. Item: Vt non ueniamus in iudicium. Ioh. 3. 5, Itē Ioh. 11. Omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Spem certam beatæ & lætæ resurrectionis. Ioh. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium, et credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Possessionem regni æterni, Matth. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Huc pertinet & illud Luc. 10. Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cælis. Item Luc. 22. Et ego dispono uobis regnum, &c.

Euangelium etiam hunc fructum adfert, ut obedientia noua in nobis inchoari possit. Lu. 1. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

Fiduciam in inuocatione auget. Iohan. 14. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Deniq, angelica concio, effectus Euangelij omnes quasi compendio complectitur. Gloria, inquirunt, in altissimis Deo, in terris pax hominibus, bona uoluntas. Tria summa bona celebrant angeli, quæ ex Euangelio de Christo emanare debeant: ut sunt gloria Dei, pax in cordibus hominum, bona uoluntas, seu re generata & Spiritu sancto accensa.

Postremò de appellationibus huius doctrinæ quædam adijcienda uidentur. De simplici uoce Euangelij supra dictum est: iam quæ uoces ei soleant adiungi, & quas peribrases recipiat, addendum est. Nam in ijs quoq, res Euangelio comprehensæ declarantur.

Euangelium regni uocatur, Matth. 4. 9. 24. Marci 1. Vocat enim ad societatem regni, quod habet Christus in terris: exhibet bona eius regni, nempe remissionem peccatorum, imò transfert nos in æternum regnum, per passionem Christi nobis paratum. Luca 22.

Cornu salutis. Luca 1. Et crexit cornu salutis in domo David pueri sui: hoc est, regnum in quo uoce ministerij salus per Christum parta annunciat, & applicatur.

Aqua uiua, item fons aquæ salientis in uitã æternam: Iob. 4. id est, doctrina adferens ueram ac salutarẽ consolationem sitiienti cordi: hoc est, cõsternato agnitione peccatorũ.

Verba gratiæ: Luca 4. Explicabat enim Christus prophetiam Esaiæ de Euangelio. Vocantur igitur gratiæ uerba, à forma & effectū. Nam gratuitam remissionem peccatorum euangelisabat Christus: ac gratiam seu fauorem Dei uox Euangelij cuilibet agenti pœnitentiam, & credenti in Christum applicat.

Verba

Verba uitæ æterna: Iohannis 6. Verba uitæ æterna habes. Nam per Euangelij concionem, uita quam Christus suo sanguine meruit, donatur credentibus.

Scientia salutis. Lucæ 1. Est enim doctrina de salute per Christum acquisita, nobisq̄ eam exhibens.

Veritas: Iohan. 1. Plenum grãtia & ueritate. Item: Grãtia & ueritas per IESVM Christum facta est. Iohan. 17. Vocatur autem hoc loco Euangelium, ueritas, hoc est, uera ac certa doctrina de uoluntate Dei erga nos, ostendens nos merito Christi saluari, & accipi in gratiam. Lux: Matth. 4. Sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Mysteria regni cælorum: Matthæi decimotertio. Etsi autem in genere de omnibus mysterijs ea sententia accipi potest: tamen præcipuè Euangelij doctrina sic appellatur, eo quòd sit doctrina rationi humana sine patefactione diuina prorsus incognita.

DE DISCRIMINE LEGIS

& Euangelij.

Legis & Euangelij discrimen Christus accuratè docuit, ueluti præmonēs Ecclesiam suam, ne eas doctrinas temerè & imprudenter confundat. Differentias autem hæc commemorat.

Primum assenerat, Euangelij doctrinam esse reuelatam diuinitus, aliàs ignoram sapientibus & prudentibus. Matthæi 11. Lucæ 10. Confiteor, inquit, tibi pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et Ioh. 1. scriptum est: Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Matth. 13. Vobis datum est, inquit, nosse mysteria regni cælorum. Discernit igitur Euangelium à lege, quod non sit hominibus no-

zum naturaliter. Lex autem aliquo modo est nota rationi. Et si enim in Synai promulgata est ab ipsa maiestate diuina, tamen antea quoque cognita fuit: & quidem iuxta primam conditionem hominis, cordibus humanis insculpta: sicut ea antiithesis in Apostolorum scriptis clarius cernetur. Et Christus communem legis normam cordibus hominum insculptam repetit Matt. septimo. Omnia quaecumque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hac enim est lex et propheta.

Secundo discernitur Lex & Euangelium hac insigni sententia Iohannis i. Lex per Moysen data est, gratia autem & ueritas per IESUM Christum facta est. Emphasis obseruanda est in uerbis Dare & facere. Legem igitur dedit Moyses: hoc est, Moyses in lege iudicat ac monstrat hominibus ceu digito & in speculo quodam, qualem iusticiam Deus ab hominibus suo iure postulet: nempe legis praescriptae impletionem perfectissimam seu obedientiam integram, & omnibus numeris absolutam. Sed non monstrat aut exhibet factorem legis: non enim inuenit talem in deprauato genere humano. At Euangelium ostendit & exhibet factorem legis: nempe Christum, qui faciendo legem, nobis omnibus gratiam apud patrem caelestem meruit. Nam loco totius generis humani, legem praestitit perfectissime & absolutissime, sicut inquit Matthaei 5. Non ueni soluere legem, sed adimplere. Non igitur haec e caelo attulit, sed fecit in toto sua humiliationis opere. Ceterum quod gratiam hic, non legis impletionem ponit, effectum maluit exprimere, ex qua facile causa praecedens animaduerti posset. Nam impletionis legis fructus ac finis est, gratia apud Deum. Summa igitur est. Lex indicat iusticiam solummodo, quam Deus ab hominibus fla-

bus flagitat: eum uerò qui impleveret, inter homines non inuenit, nec alium nominat: Euangelium autem factorem monstrat, nempe IESVM Christum.

Tertiò, legis promissiones sunt conditionales & particulares: ijs duntaxat uitam pollicentes, qui ei iuxta uoluntatem Dei perfectissimè satisfaciant: sicut illa dicta sonant, Matthæi 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Lucæ decimo. Hoc fac, & uiues. Habèt igitur promissiones legis, conditionem impletæ legis. Sed Euangelium gratuitas & uniuersales habet promissiones, nempe quòd propter Christum gratis Deus uelit omnibus credentibus remittere peccata. Luc. 19. Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Matthæi 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Ioh. 1. Ecce agnus, & c. Ioh. 3. Sic Deus dilexit, & c. Ioh. 1. Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiã pro gratia. Aut breuius. Lex habet promissionē, cū cōditiōne faciēdi & implēdi eã. Euangeliū uerò habet gratuitam promissionē, cum conditione credēdi seu accipiēdi fide.

Quartò effectu distinguuntur. Lex non affert aut adnunciat hominibus gratiam, sed agnitionem peccatorum, operatur terrores, iram Dei, damnationem: sed Euangelium gratiam per Christum annunciat & imperit, hoc est, beneficium per Christum partum, iusticiam coram Deo ualentem, fauorem Dei, uitam æternam, consolationem suauissimam ac firmissimam. Continet & hanc differentiam Iohannis sententia: Lex per Moysen data est, gratia autem & ueritas per IESVM Christum facta est. Matth. 18. in imagine Christus nobis tam legis quàm Euāgelij effectus depingit.

Ceterum non aboleri legem Dei Euangelio, satis apertè Christus testatur Matth. 5. dicens, se eam ipsam ob causam uenisse

uenisse, ut legem impleret. Non igitur reijcit Euangelium penitus legem: ordine enim ac fine suo lex Euangelio seruit. Sancit enim eum ordinem Christus, ut doceatur & penitentia & remissio peccatorum. Penitentia quidem, ut misterio ac uoce legis prius peccator agnoscat, illud suum imensum debitum quod Deo debet, exhorrescat & humilietur, cum nequaquam sit soluendo. Postea, ut Euangelium anxius & perturbatis conscientijs dulcem ac firmam consolationem suggerat: Marci primo. Luca 24. Sed hæc in articulo iustificationis prolixius tractabuntur.

Porro legem & Euangelium non esse confundenda, sed distinctè tradenda, Christus sedulo monuit: idq; cum suo exemplo, quod penitentiam & remissionem peccatorum propria uoce concionatus est, Marci primo. tum quod instituit, penitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo perpetuo annunciari. & quod Marc. 2 monet, ne uinum nouum in utres ueteres mittatur, ne uinum effundatur, & utres pereant: & ne ueteri uestimento nouus assuatur pannus, fieri enim scissuram rei. Nam si lex & Euangelium miscentur in articulo iustificationis, & bona opera etiam necessaria ad salutem docentur, tum fit scissura euidentissima. Euangelij enim doctrina uitiatur & corrumpitur, quæ est eiusmodi, quod gratis homines sola fide iustificentur.

DE IUSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS
CORAM DEO.

INitiò ut lectores sciant, quomodo uocabula in hac doctrina proprie accipi debeant, significationes eorum paulo accuratius colligenda sunt. Non enim eodem modo ubiq; usurpantur istæ uoces, iustus, iusticia, iustificare. Sæpe etiã comper-

compertum est, ex promiscua eorum acceptione, inconcin-
 nas & erroneas sententias esse extractas.

Iustus alicubi accipitur particulariter, pro ciuilitate iu-
 sto aut honesto uiro, ut uulgo loquimur, ut Matth. 1. Ioseph
 uir eius erat iustus, & nolebat eam infamare. Eadem ferè
 ratione pro homine innocente sumitur, ut Luca uigesimo-
 tertio. Verè hic homo iustus erat: hoc est, innocens, non me-
 ritus tam crudele supplicium, Mar. 6. Herodes metuebat Io-
 hannem, sciens eum iustum & sanctum: hoc est, innocen-
 tem, honestè & inculpabiliter etiam coram hominibus ui-
 uentem. Quomodo uerò in loco de Iustificatione propriè ac-
 cipiat, paulo post dicitur.

Iusticia interdum significat particulariter, nempe ope-
 rum iusticiam, siue falsam siue ueram, Matt. 5. Nisi iusticia
 uestra abundauerit plus quàm scribarum & pharisæorū. Iu-
 sticiam pharisæorū uocat, externam legis obedientiã, que
 non est integra legis impletio, Luc. 1. Ut seruiamus ei in san-
 ctitate & iusticia corã ipso omnibus diebus nostris. Nouã
 obedientiam iustificatorū, seu fidei fructus Zacharias iusti-
 ciam hic appellat. Item significat, opera mandata in uoca-
 tione expedire, Matthæi 3. Sine modo. Sic enim decet nos
 implere omnem iusticiam: hoc est, suam quisq; quilibet no-
 strum faciat hoc, quod Deus ei præcepit: tu me baptises,
 ego baptismum à te accipiam, iuxta Dei uoluntatem, etiam
 si maior ac dignior te sim. Item iustã causam, uel etiam do-
 ctrinam de iusticia gratuita significat, Matth. 5. Beati qui
 persecutionem patiuntur propter iusticiam, Luca 1. Iustifi-
 cationes Domini, pro cultu mandato huic populo capitur:
 Incedentes, inquit, in omnibus mandatis & iustificationi-
 bus sine querela: hoc est, summa fidelitate cultum qui erat
 isti populo præceptus expediebant, Iustifi-

Iustificare, significat laudem veritatis tribuere, seu beneficia Dei celebrare & extollere, ut Lu. 7. populus & publicani iustificauerunt Deum: hoc est, pradicauerunt eius beneficia, iustum & ueracem pronunciarunt. Nam pharisaei & eius farinae homines calumniabantur, damnabant & execrabantur Christum, & salutare doctrinam de iusticia gratuita & imputatiua per fidem in Christum. Alibi per antiphrasin significat reprehendere, calumniari, damnare atq; exhibere, ut Matt. 11. Luc. 7. Iustificata est sapientia a filiis suis: id est, improbata & damnata. Alias etiam Ebraica phrasi forem sem habet significationem, pro absolueri, iusticiam tribuere, ut Matt. 12. Ex uerbis tuis iustificaberis: id est, absolueris, aut iustus pronunciaris. Luca 10. Volens seipsum iustificare: hoc est, a damnatione legis absolueri, arrogare sibi iusticiam, seu obedientiam totius legis. Luca 16. Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus: quod est, uos adscribitis uobismetipsis integram legis obedientiam, ac iustos pronunciatu, uerum falso. Luc. 18. Descendit hic iustificatus in domum suam praeter illo: hoc est, absolutus coram Deo ab accusatione & damnatione legis, & imputata legis obedientia iustus pronunciatu ac reputatu. In hac igitur proxima significatione in presenti negotio, ubi de acceptione hominis coram Deo agitur, hac uox proprie ac uere accipitur: nempe quod iustificare in doctrina de remissione peccatorum coram Deo, Ebraica phrasi significet absolui ab accusatione legis, attribui seu imputari legis obedientiam seu iusticiam per Christum partem, gratis, omnibus credentibus, & sic iustum in iudicio Dei reputari ac pronunciarum, ac consistere. Eodem modo iusticia & iustus accipiuntur, Matt. 6. Querite primum regnum Dei, & iusticiam eius. Hoc la

eo iusticia Dei non significat essentialem Dei iusticiã, quã ab æterno tanquam uerus Deus habet, & quã cõmunicari creaturis non potest: sed iusticiam quã hominibus imperit, qua homines iustos pronunciat, absoluit à reatu gratis, imputat legis obedientiam per Christum præstitam, gratis, omnibus credentibus. Itaq; passiuè intelligi debet, Matt. 5. N. si iusticia uestra abundauerit. Paulò enim antè Christus de legis impletione differit, eamq; se præstiturum affirmat. Matthæi 21. Venit ad uos Iohannes in uia iusticia: id est, ueram iusticiam tradens. De tali igitur iusticia docet, quã sit totius legis perfectio, à Christo quidem præstita, sed credentibus gratis imputata & applicata.

Iustus, quando absolutũ, & cui tribuitur legis obedientia, significat, aliàs actiuè, aliàs passiuè accipitur. Actiuè, ut Matt. 9. Non ueni uocare iustos: hoc est, sibi ipsis tribuentes consummatam legis obedientiam. Luc. 18. Qui in se confidebant tanquam iusti: id est, tanquam legi satisfecissent per omnia. Lucæ 20. Miserunt insidiatores, qui se iustos simularent. Passiuè autem sumitur in sequentibus dictis, nempe pro eo cui legis impletio per Christum facta imputatur, qui absolutus est coram Deo gratis, & acceptus in gratiam. Lucæ 1. Erant ambo iusti ante Deum: hoc est, ab accusatione legis pronunciatu liberi, imputata iusticia propter Messiam, habebant propitium Deum. Deinde & effectum exprimit, quòd Deo in cultibus ordinatis obsequiũ præstiterint. Eadem ratione & sequentia accipienda sunt passiuè. Matthæi decimo, Qui recipit iustum in nomine iusti. Matthæi decimotertio, Fulgebunt iusti sicut sol. Matt. 22. Ornatis monumenta iustorum. Matt. 25. Iusti ibunt in uitam æternam. Luc. 2. Et homo iste iustus. Ceterum pro equi-

& qui pollutibus in hoc loco usurpatur, iustificare, remittere
 peccata, saluare, accipere gratiã, uitã habere. item iusticia,
 remissio peccatorum, salus, gratia, beatitudo, Matth. 5. Ioh.
 uigesimo. Matth. 9. Luc. 5. Remittuntur tibi peccata: hoc
 est, gratis à maledictione legis ac ira Dei absolueris, impu-
 tatur tibi obedientia, ac iusticia gratis propter me, quam
 tu fide tibi applicas. Ideo additur, Confide fili. item: Ha-
 bet filius hominis potestatem dimittendi peccata in terra.
 Ioh. 20. Quorum remisistis peccata. Quid hoc aliud est
 quàm peccatores agentes poenitentiam, gratis propter meri-
 tum Christi iustos pronuciari: hoc est, liberos ab execrati-
 one legis & tribuere obedientiã legis, quam Christus con-
 summauit? Matt. 26. Hic est sanguis meus noui Testamen-
 ti, qui pro multis effunditur in remissionẽ peccatorum. Ex
 his uerbis perspicuũ est, quid significet remissio peccatorũ,
 nempe absolutio in iudicio Dei à reatu, propter sanguinem
 Christi, et imputatio sanguinis seu obedientiã Christi, que
 est legis integra satisfactio. Lucæ 3. Prædicans baptismum
 poenitentia in remissionem peccatorum. Hic describitur,
 quid sit remissio peccatorũ: nempe absolutio à peccatis gra-
 tuita. Luc. 24. Prædicat in nomine meo remissionem pec-
 catorum: hoc est, absolutionem gratuitam à peccatis, & im-
 putationem meriti Christi, seu satisfactiois legis.

Gratia similiter, quoties de præcipuo Christi beneficio
 sermo est, significat passiue: hoc est, gratuitam beneuolen-
 tiam, & fauorẽ Dei erga peccatores ad Christum fide con-
 fugientes, acceptionem gratuitam, absolutionem à maledi-
 cto legis propter Christum: & totius obedientiã impletio-
 nis legis, meriti, iusticiã per sanguinem partã, ipsius uide-
 licet Christi gratuitam imputationem ut Iohannis primo.

Plenum

Plenum gratia & veritate. item, Gratia & veritas per IESVM Christum facta est. item, Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Quid evidentius dici posset? Et hinc definitio gratiæ peti debet, nepe quod sit gratuita acceptio propter meritum Christi, eiusq; integræ ac plênæ imputatio. Idem & in hoc dicto ualet, Luc. i. *Auè gratia plena.* Interdū pro donis Dei uidetur accipi, ut Lucæ 2. *Gratia Dei erat in illo: id est, Deus eum amabat, ac donis ornabat.* item, *IESVS proficiebat sapientia & etate et gratia apud Deū & homines: hōc est, erat gratosus & acceptus.* Luc. 4. *mirabātur in uerbis gratiæ: hoc est, gratosè prolatis, aut potius gratuitam remissionem peccatorum denuntiātibus, qua nihil dulcius afflictis & terrefactis conscientijs esse potest.* Talia enim ex phariseis, ignaris Euan-gelij & hostibus Christi, non proferebantur: sed uoce legis, & sacrificiorum superstitione, tantum miseris conscientias excarnificabant.

Saluare etiam ac saluum facere, quoties de his summis rebus Christus concionatur, accipitur eodem modo pro liberare à peccato, eiusq; effectibus, absoluerè à diris imprecationibus legis, beneficium ac meritum Christi imputare. ut Matt. i. *Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim (σωσει)* saluum faciet populum suum à peccatis suis. id quod nihil aliud est, quam merito suo liberabit eos à peccatis, imputabit eis suam passionem, atque integram legis satisfactiōnem, absoluet gratis à peccatis. Etsi enim aliàs saluare tantum liberare, eripere, uindicare significat: tamē hic de Christi meritis usurpatum, maiora quædā includit, & idipsū quod iustificare, aut in gratiam accipere exprimit. Matthæi 18. 19. *Venit filius hominis saluare quod perierat.* Lit

ca nono: Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare. Iohannis tertio. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. In his dictis meritum Christi explicatur, & significatio huius uocabuli declaratur, quod sit applicatio seu imputatio meriti Christi, seu liberatio à peccato, diabolo & morte. Marci 10. Lucae 7. 18. Fides tua te saluam fecit. Inde etiam saluator Christus dicitur, Lucae 2. Iohan. 3. Et IESUS Matth. 1. Lucae 1. 2. Mar. 16: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit, ac opponitur ibi condemnationi. Idem saluus significat Lucae 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Et paulo post clarius exponitur, quid uoce salutis zacharias intelligat: Ad dandam, inquit, scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Idcirco salus nihil aliud est, quam remissio peccatorum. Iohannis quarto. Salus ex Iudæis est. hic totam redemptionem ac meritum Christi, quod credentibus applicatur, una uoce effertur. Alias etiam significat glorificationem, qua credentes in altera uita potentiuntur. ut Matthæi 10. 24. Marci decimotertio. An pauci sunt qui saluantur? Qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit. Lucae 13. Alias simpliciter liberare ac sanare significat, ut Matt. 8. Salua naves, perimus. Matth. 27. Salua te ipsum. Item: alios saluos fecit: se ipsum non potest saluum facere. Marci quinto. Si uel uestimentum eius tetigero, salua ero. Marci 6. Quotquot eum tangebant, salui fiebant.

Habet & hoc in more Christus, ut dicat: Qui credit in me, habet uitam æternam, in qua oratione præcipuo effectus iustificationis per synecdochem, totam acceptionem comprehendit: hoc est, credens mihi, habet remissionem peccatorum, gra-

nam gratuitam imputationem iusticia seu obedientia Christi, quam sequitur sine dubio uita aeterna. Voluit enim Christus legis praemium inculcare, ut consideret pii, se per fidem in Christum gratis, non per sua propria opera, brauium in lege propositum consequi. Nunc explicatis uocabulis, propius ad res ipsas accedemus.

Est autem iusticia peccatoris coram Deo, gratuita imputatio meriti, obedientia, impletionis legis, seu iusticia sanguine acquisita, ipsius Christi: seu remissio peccatorum gratuita, seu acceptatio gratuita, quae offertur per uerbum & sacramenta, applicatur uero fide omnibus in Christum mediatorem credentibus: & adfert pacem coram Deo, & in conscientijs nostris, confugientibus ad adoptionem, & uocatur, Spiritum sanctum, & uitam aeternam.

In comparanda hac iusticia, remissione peccatorum, gratia, salute, uita aeterna, totam Trinitatem laborasse, obseruata tamen cuiusq; personae proprietate & peculiari officio, Christus & eius historia docent. Pater enim misit filium, ordinat hanc uicissitudinem, & accipit loco totius generis humani, iunat incarnationem: praebet ei testimonium in Iordane, & in monte sancto, solatur eum in horto, exuscitat e se pulchro, collocat ad dextram suam: sicut ex historia Euangelica manifestum est. Filius Dei uero omnium maxime in redemptione generis humani, & paranda hac iusticia a Deo requisita, occupatus est. Ipse enim fit homo: ipse solus uocatur & est agnus Dei, tollens peccata mundi: hoc est, ipse non pater, non Spiritus sanctus soluit *noy* seu precium redemptionis. Subit peccata generis humani, maledictum legis, iram Dei, patitur, fundit sanguinem, moritur, cubat in sepulchro, resurgit incorruptus uita rursus accepta,

ac deinde glorioso triumpho ad dextram Dei ascendit. Parat igitur hanc iusticiam seu remissionem peccatorum non alia ratione, quam passione & tota sua obedientia. Matthæi 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis suis, Matthæi 18. Luca 19. Venit filius hominis, quarere & saluare quod perierat, Matthæi quinto. Ego ueni legem adimplere. Iohannis 1. Gratia & ueritas per IESUM Christum facta est. Item, Ecce agnus Dei. Ioh. 3. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam eternam. Item, Misit Deus filium suum in mundum, ut saluetur mundus per ipsum. Itè Ioh. 12. Vbi ego exaltatus fuero, omnes ad me traham. Ioh. 10. Animam meam pro ouibus do. Ioh. 16. Si ego abiero, mittam paracletum ad uos, Iohannis 17. Pro eis ego sacrifico me ipsum, ut sint & ipsi sacrificati in ueritate. Hanc ob causam etiam asseuerat, se iuxta prophetias passioni destinatum. Spiritus sanctus denique etiam suo modo opus redemptionis iuuat, quod approbat eam uictimam: in conceptione superuenit in Mariam: & quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, inungit Christum in Iordane, est ei semper prestò. Proquinquissima itaque efficiens causa salutis humana, est filius Dei factus homo: aliquanto uerò remotior, pater, ac spiritus sanctus.

Conferunt autem, distribuunt, communicant & applicant hanc iusticiam, sanguine Christi parta, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hac sententia uera est, licet à Pharisæis alio sine prolata, Marci 2. Luca 5. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Extant & de qualibet persona certa testimonia. Matt. 6. Pater noster qui es in cælis, dimitte nobis debita nostra. Item, Dimittet & nobis pater uester cælestis

cœlestis delicta uestra. *Lucæ 23.* Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciant. De Christo hæc dicta loquuntur *Matthæi nono.* Remittuntur tibi peccata tua. item, Filius hominis potestatem habet dimittendi peccata in terra. Huc pertinet sententia, qua sæpe usus est: Fides tua te saluum fecit. Etsi enim tum beneficia corporalia simul conferebantur, tamen potissimum hæc spiritualia & omnium summa bona includebantur. *Iohannis primo.* De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. *Iohannis 10.* Ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. *Lucæ 23.* latronem in cruce suspensum hac uoce absoluit à peccatis Christus hodie mecum eris in paradiso. Christus etiam ministerium ordinauit, in quo remissio peccatorum in suo nomine sonare, ac prædicari debeat. De spiritu sancto in illustri historia *Iohannis 20* dicitur, Insufflauit eis, dicens, Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Itaque spiritus sanctus in ministerio remissionem peccatorum sanguine Christi acquisitam, applicat ac distribuit: unde & spiritus sanctus Paracletus dicitur.

Causam in nobis, sine ea impulsua sine sophistica intellecta, aut quouis alio nomine nuncupetur, Deum mouentem, ut tali ratione nos iustificaret, fuisse, peccatorum molem, hærentem in toto genere humano: captiuitatem sub crudelissimis, et atrocissimis hostibus, diabolo, morte, inferno: æternam & iustissimam abiectiõnem à Deo, ac condemnationem, Christus & alij eius præcoues luculenter docent. *Matt. 5* inquit: Veni legem implere. Ex qua quidem oratione constat, nullum prorsus in genere humano post lapsum factum, hoc posse præstare, & omnes sub legis maledictione incere oppressos. *Matthæi nono.* Veni uocare peccatores.

Matthæi decimoquinto. Sum missus ad oves perditas domus Israel. Seseq; depingit quasi pastore, ovem perditam ac palantem anxie quarentem: ac eripientem e faucibus luporum. suaq; tranquillitati & loco restituentem: Luca 15. Sic Iohan. 10 copiose & suavissime in ea pictura commemoratur, & clarè assenerat. se animam suam pro ovibus ponere: alludens nimirum ad præclaram illam prophetiam, que in Esaiâ recitatur capite 53. Docet igitur, oves, hoc est universum genus humanum à vero pastore aberrasse, atq; luporum immansissimorum prædam esse factam: hoc est, in potestatem mortis, diaboli & inferni ob peccatum incidisse, & propterea aliena ope indignisse. Sanas enim & obedientes ouiculas non querere, nec tanto præcio redimere necesse fuisset. Luca 19 inquit: Venit filius hominis querere & salvare quod perierat. Iohan. 3. Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan. 8. Si non credideritis, moriemini in peccatis uestris. Iubet mulieres, propter acerbitatē sui supplicij stentes, deplorare semetipsas, & suos liberas. Mat. 1 inquit angelus: Saluum faciet populum suum à peccatis suis. Baptista alta voce clamat: Hic est agnus, portās mundi peccata. Hæc recitantur, ut calamitates istæ summa totius generis humani intelligantur, & perpendantur: nempe quod in peccato, morte, ira Dei, damnatione ac regno diaboli quasi captivi detinebamur omnes, nec poteramus nosmetipsos ulla ratione liberare, & amissa bona recuperare. Id vero in super potentissime & manifestissime conuincit, ingens et stupēda missio ac humiliatio filij Dei. Declarant hæc nostras miserias typi in debitore, ad perpetuum

uum carcerem iurè damnato, in oue perditâ, in fauciatâ uitate, in latrone, & alijs. Quopropter cum homines sese liberare atq; saluare non possent, Deus aliam inuenit uiam ne æternis pœnis torquerentur.

In Deo causam impulsuam fuisse, ingentem & inenarrabilem & merè gratuitam dilectionem, seu paternam *agapè*, erga damnatum genus humanum, quod nolebat omnino perire, Christus clarè assenerat Ioh. 3. SIC DEVS DILEXIT Mundum, ut FILIUM SUVM VNIGENITVM daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Emphatica sunt singula uerba, si quis paulò attentius considerauerit & expendit. Potuisset sane iure suo optimo Deus in æternum omnes homines, qui phrasè scripturæ Mundus uocatur, propter peccatum abijcere, non enim dilectionem, sed iram ac damnationem erant meriti. Verùm ex dilectione immerita & immensa: Deus modum redemptionis & acceptationis humanæ inuenit, quæ etiam ipse, ut qui omnibus creaturis aliàs ignotus erat, reuelauit. Zacharias uocat MISERICORDIAM, in suo Cantico: Per uiscera, inquit misericordie Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto. Est igitur misericordia, hoc est, non meritum nostrum, sed gratuitum beneficium, ex misericordissimo pectore promanans, uel (sicut Hebraico more Zacharias inquit) ipsissima uiscera misericordie. Eandem misericordiam et Maria uirgo in sua gratiarum actiõne dignis uehit laudibus. De sua etiam dilectione Christus inquit Ioban. 15. Maiorem hac dilectione nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.

Quæ res sit iusticia hominibus applicabilis, & quam Deus ab eis iam requirit, seu quæ sit causa materialis, ut in

scholis loquitur, ex doctrina Christi satis est manifestum: nempe quod non sint qualitates aut virtutes humane, neque ipsa Dei essentia, seu aeterna, diuina atque substanti-
 alis iusticia: sed ipsum opus, passio ac meritum Christi, seu (ut clarissimè dicamus) legis impletio, quam Christus pro toto genere humano præstitit: quæ quidem integra & abundans satisfactio, gratis omnibus credentibus applicatur. Matthæi quinto. Non ueni soluere legem, sed adimplere, idcirco legis impletio est, iusticia illa per Christum parata. Iohan. 1. Gratia & ueritas per IESUM Christum facta est. Vocat gratiam factã, hoc est, meritis Christi comparatam. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Ergo iustificatio nostra est gratia ex plenitudine Christi hausta. Clara sunt & hæc uerba Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Docent enim Christum fore uictimam, ac passione peccata expiaturum. Proinde Christi passio, est nostra coram Deo iusticia. Nam peccata auferre, ac delere penitus, quid aliud quam iusticia est? Siquidem inter peccatum et iusticiam non est medium: altero absente, succedit alterum. Iohan. tertio. Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitam aeternam. Est igitur exaltatio Christi, hoc est, passio eius, hoc ingens bonum, cuius effectus est uita aeterna. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret, Hæc donatio filij, hoc est missio ac passio, est illa ipsa materia, ex qua & in qua iusticia nostra, quam fide apprehendimus, constat & consistit, & ex qua uita aeterna ad nos redit. Iohan. decimosexto. De iusticia, quia uado ad patrem. Itaque iusticiam desinit suum trãsitum: hoc est totam humiliationem, in qua excellit passio, mors, resurre-
 ctio.

Etio. Sed hoc totum meritum, seu pascha suum, Matth. quinto uocat impletionem legis integram. Alludit autem pulchre Christus ad historiam ueteris Testamenti de paschate, suum meritum nominans transitum: Matthæi uigesimo sexto. Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Iohannis octauo. Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Iohannis decimo. Animam meam do pro ouibus. Manifestum igitur est ex his testimonijs, Christi passionem, quæ nihil aliud quàm legis impletio est, esse ipsissimam iusticiam, qua nos ornari ac apparere coram Deo necesse est, quæ que nos æterna uitæ hæredes efficit.

Formalem causam iustificationis esse ipsam applicationem gratuitam iusticiæ per sanguinem Christi partæ, seu remissionis peccatorum, ex istis sententijs notum est, Iohannis primo. Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia, Matth. xi. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam uos. Hæc refectio est periphraasis iusticiæ Christi, per sanguinem comparatæ, quæ quidem nihil aliud quàm præsens antidotum est contra peccatum, et dulcis atque uiuifica refectio consternati ac flaccidi cordis. Iohannis tertio. Qui credit in me, habet uitam æternam. Vita æterna nõ datur nisi ijs qui iusticia ornati sunt. ideo docet, credentibus iusticiam missi filij applicari. Lucæ septimo. Remittuntur tibi peccata: hoc est, dono & applico tibi meam iusticiam, teq; à maledicto legis liberum pronuncio. Nam in hoc Dei iudicio remissio peccatorum est, simul iusticiæ imputatio ac donatio. Aliter se res habet in iudicio humano. Verùm hanc partem luculentiùs explicant Apostoli, sicut ex secundo libro patepit.

Causas acceptionis apud Deum duas esse, nempe gratiam misericordiam, & IESV Christi, propter humanum genus confectum, certo ac evidenti uerbo Christus confirmat Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. In hac illustri sententia duæ illæ causæ disertè nominantur, quare Deus miseros peccatores acceptet, & uita æterna donet: nempe dilectio, quæ aliâ misericordia uocatur, ut suprà dictum est: & filij donatio in carnem, hoc est eius meritum. Nam Christus ad eam rem à patre est destinatus, ut pro transgressione legis patiendo ac merendo satisfaceret: utq; ea ratione etiam iusticia diuina, exigenti pro delictis poenas, satisfaceret. Iohannis decimo, Dilectionem nemo maiorem habet, quàm qui ponit animâ pro amicis suis. Iohan. 16. Ipse pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quòd à Deo exiui. Iohan. 17. Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis.

Gratis iustificari homines, hoc est accipi in gratiam, imputari eis iusticiam, & donari remissionem peccatorum, concionibus & exemplis Christus declarat. Eist autem ipso uocabulo Gratis nõ utatur Christus, tamen alijs uerbis idem exprimit. Gratis quidem, quo ad nos: non gratis uerò, quo ad Christum, quem necesse fuit sanguine effuso, ac contumeliosissima ac acerbissima morte mereri, quod nostris uiribus parari non poterat. Oportebat enim eum agnum fieri, hoc est, mactari, sicuti uictima iugulabantur: & portare peccata, hoc est patiendo & moriendo peccata expiare. Monent autem ea dicta, quæ hactenus aliquoties repetita sunt, euidenter, gratis nobis exhiberi beneficium Christi.

Sed in re tam ardua non erit fastidiosum, cum sit ualde fructuosum, eadem Christi uerba audire: & non modò bis, sed aliquoties, non cramben, iuxta prouerbium ethnicum, sed salutaria Dei uerba proponere. Matthæi nono. Veni uocare peccatores, Peccatores autem non habent meritum iusticiæ, seu redemptionis. Itaque uocare & saluare peccatores, est gratis indignis donare res amplissimas, nempe gratiam & iusticiam, per transitum seu passionem Christi paratam. Matthæi undecimo, Venite ad me qui laboratis & onerati estis. Hæc etiam uerba periphrafin uocabuli Gratis continent. Nam laborantes & onustos appellat, grauisimis peccatis oppressos, ijsq; gratis refectioem pollicetur. Matt. 18. Luca 19. Veni filius hominis, querere & saluare quod perierat. Perditi igitur saluantur: quibus non ex merito, sed gratis salus confertur. Luca uigesimoquarto, iubet remissionem peccatorum annunciari in suo nomine: hoc est, gratis, tantum propter suum meritum. Matth. 11. Pauperibus euangelisatur. Gratis autem pauperibus dona exhibentur. Exempla iustificatorum idem probant. Centurio, Cananæa mulier, Magdalena, publicani, Petrus, latro, & similes gratis accipiuntur, & ornantur merito Christi: hoc est, iusticiam, quam moriendo peperit, & habent peccatorum remissionem. Matth. 18. Misertus Dominus serui illius, absoluit eum, et æs alienum remisit ei. Item, filius prodigus gratis accipitur. Item, Operarijs in uinea, Matth. 20. non secundum laborem, sed gratiam, merces æqualis datur.

Ad acceptionem porro hanc coram Deo, seu remissionem peccatorum, non accedere qualitates humanas, seu opera, quæ forent aliqua iustificationis quæ coram Deo fit, partialis causa, ex his testimonijs certum est. Iohan. 1. Qui

non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Omnis hic gloriatio adimitur cunctis hominibus, quantalibet dignitate aut prerogatiua excellentibus: & indicatur, omnes gratis duntaxat a Deo accipere gratiam, & in filios eius adoptari. Lucae 18. Phariseus cum sua dignitate damnatur: ac retunduntur plures pharisæi, operum iusticiam ac dignitatem sibi uendicantes. Luc. 17. Non ueniet regnum Dei cum obseruatione. Matth. 18. Luc. 10. Et rectè Iohan. 8. Christus in eos sententiam fert, Sermo meus non capit uos. & Matth. 5. Nisi iusticia uestra abundauerit plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Item Lucae 17. Si omnia feceritis, dicite, Serui inuiles sumus. & in oratione Dominica iubemur dicere, Remitte nobis debita nostra, nec ullum extat exemplum in historia Euangelica, ubi quis propter sua etiã opera siue antecedentia, siue coincidentia, siue consequentia, iustificatus diceretur. Econtrariò uerò exempla multa occurrunt, ubi ij qui suis operibus iusticiam adscribere conati sunt, damnati pronunciantur. ut Luc. 18. Phariseus: & Matth. 5. Iusticia pharisæica: & Mar. 2. ij qui opera sua insuunt iusticiæ eorum Deo, scissuram peiorem facere, & uinum nouum perdere dicuntur. Et sicut in externis non possumus duobus dominis seruire, Matth. 6. ita fides & corda nostra non possunt fiducia operum nostrorum & Christi simul niti.

Vniuersalem quoq; inculcat Christus, nempe quòd meritum Christi ad omnes pertineat, omnibusq; ex immensa Dei misericordia offeratur, quòd omnes fide & obuijs pectoribus hoc amplissimum beneficium amplecti, eoq; frui debeant. Matt. 11. Venite ad me OMNES. Ioh. 1. Quotquot
recepte

tunc eum. Item, De plenitudine eius omnes accepimus. Itē,
Tollit peccata mundi. Ioh. 3. *Ut omnis qui credit in eum, nō
pereat. Item: Sic Deus dilexit MUNDUM. item, Ut sal-
uetur MUNDVS per ipsum. Ioh. 6. Ut omnis qui uidet fi-
lium, & credit in eum, habeat uitam aeternam. Iohan. 17. Ut
omnes unum sint. Marci 16. Ite in mundum uniuersum, &
predicate Euangelium omni creaturæ. Itaq; hoc ipsum mi-
nisterium & sparsio Euangelij inter omnes gentes, testimo-
nium est, omnibus credentibus offerri Christi meritum seu
iusticiam preciosissimo sanguine comparatam.*

Quomodo autem applicetur ea iusticia, seu meritū Chri-
sti, remissio peccatorum ac gratia ex concionibus Christi
ac re ipsa constat. Causa instrumentalis seu medium, quo
Deus erga nos in dispensandis istis bonis uiuitur, est uerbu,
hoc est promissiones Euangelicæ: & Sacramenta, quæ nis-
hil aliud sunt quàm promissiones, certa atque præscripta
actione uestita. Matth. 11. Pauperibus euangelisatur. Hoc
dicto monet Christus, conscientijs suam inopiam ac nudita-
tem, quod ad legis diuinæ satisfactionem attinet, conspi-
cientibus ac deplorantibus, Euangelij uocem adferre diuini-
tias abundantes IESU Christi, & ex pauperibus opulen-
tissimos, ex peccatoribus iustos coram Deo, ex mancipijs dia-
boli & inferni filios Dei ac hæredes uitæ aeternæ efficere.
Iohan. 7. Amen amen dico uobis, qui uerba mea audis, &
credit ei qui me misit, habet uitam aeternam. Ioh. 8. Si uos
manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & co-
gnoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Item: Si quis
sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeter-
num. Veritatem ac liberationem à morte uerbo donari af-
firmat. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum serua-
bit, &

bit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansione apud eum faciemus. Luc. 24. Prædicate in nomine meo penitentiam & remissionem peccatorum. De uerbo & Sacramentis cõiunctim dicitur Mar. 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Item: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: Hic est sanguis meus noui Testamēti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Luca 22. Matth 26. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Iohannis sexto. Est igitur ueluti manus Dei, qua nobis beneficia per Christum parta, seu iusticiam legis sanguine Christi acquisitam porrigit, dispensat & applicat, promissiones Euangelicæ & Sacramenta ab ipso Mediatore ordinata.

Instrumentalis causa, qua nos homines eam Christi iusticiam, gratuitam remissionem peccatorum & gratiam apprehendimus, nobisq; applicamus, est fides, sicut aperte Christus dacet Matthæi nono. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Etsi enim corporalia beneficia accipit interdum fides, tamen potissimum includitur fiducia de remissione gratuita peccatorum per Christum. Iohannis 1. Recipere & credere pro eodem sumuntur. Quotquot, inquit, receperunt eum. & post pauca uerba se declarat, His qui credunt in nomen eius. Iohannis secundo. Crediderunt in eum discipuli. Ioh. 3. Vt omnis qui credit in eum, habeat uitam æternam. Item: Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ioh. 6. Vt credatis in eum quem misit ille. Iohannis 11. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, uiuet. Iohannis 12. Dum lucem habetis, credite in lucem. Iohan. 17. Rogo pro eis qui

eis qui credituri sunt per uerbum eorum. Ioh. 20. Credentes uitam habent in nomine eius. plura testimonia in loco de fide recitanda sunt. Est autem fides, ut infra dicitur, fiducia applicans sibi meritum Christi, seu gratuitam remissionem peccatorum, & certò acquiescens in uerbo gratiæ & sacramentis.

Hinc etiã perspicuum est, quibus Christus doceat suum meritum, iusticiam partim legis impletione, seu remissionem peccatorũ exhiberi & applicari: nempe peccatoribus agentibus pœnitentiam, non contumacibus, non hypocritis sibi arrogãtibus operum iusticiam, ac legis satisfactionem. Matthæi nono. Non ueni iustos uocare, sed peccatores ad pœnitentiam. Lucæ decimoquinto. Gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Eòdem tendit quod Matthæi nono inquit: Non est opus medico ualentibus, sed malè habentibus. Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Mat. 11. Pauperibus euangelisatur.

Laborantibus & oneratis: hoc est, triste pondus & iugum peccatorum sentientibus, Matthæi undecimo. Quibus in errorem actis: Lucæ decimoquinto. Eis qui perierant: Lucæ 19. Venit filius hominis, querere & saluare quod perierat. Publicanis & meretricibus, pœnitentiam agentibus: Mat. 12. Publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. nam credebant ei. Pueris, hoc est, immeritis: non superbiētibus coram Deo fiducia suorum operum, sed se humiliantibus. Matthæi decimo octauo. Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumq; ergo se humiliauerit sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.

Esuriens

Esfurientibus: Luca 1. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Matt. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniã ipsi saturabuntur. Debitoribus, implorantibus misericordiam: Matth. 18. Sauciatis à lege, & desertis: Luca 10. Acolastis reuertentibus, & ueniam deprecantibus: Luca 15. Latronibus ad Christum confugientibus: Luca 23. Lapsis in peccata & abnegatoribus Christi, agnoscentibus tamen sua peccata, & amare flentibus, & si de ad Christum mediatorem recurrentibus: qualis Petrus fuit, Luc. 22. Qui autem uel hypocritæ sunt, uel in delictis sine pœnitentia perseuerant, & qui desperant, in eis non habet locum Euangelium. Matt. 6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Mat. 7. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Mat. 23. Ve uobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ. Mat. 25. Ibunt in ignem æternum. Mat. 27. Iudas ex desperatione se laqueo suspendit.

De ordine quem Deus in iustificatione hominis obseruat, sic docet Christus: quòd primùm uerbo suo, hoc est ministerio legis, in cordibus hominum excitet ueram pœnitentiam, seu agnitionem peccatorum, & seriam, nõ hypocriticam humiliationem, ut ueri dolores existant in nobis propter peccata, ut omnis fiducia dignitatis propriæ nobis adimatur, & sentiamus nos nihil quàm iustam dominationem esse meritos: nos nihil in nobis habere quod Deo iudicanti possimus opponere: neque esse quicquam quod æquè Deus oderit & abominetur, quàm securitatem aut superbiam seu operum confidentiam. Deinde uerò, quòd uoce Euangelij summa philanthropia proponat gratiam, remissionem peccatorum gratuitam iusticiam, uitam per & propter Christum omnibus

omnibus mortalib. ac uelis, imò precipiat, ut oēs hac se uo-
 ce erigant, cōsolentur, amplectantur Dei beneficia, certo in
 filium credant, statuunt se esse in gratia, habere Deum pro-
 pitium, peccata sua esse remissa, se esse heredes uitæ æternæ,
 se esse imputatione meriti Christi iustos coram Deo. Et ut
 compedio res tantas comprehendamus, uult Deus agnosca
 peccata humiliatione cordis coram ipso: deinde credi in
 Christum, quod eius merito, gratis, credentibus applicetur
 iusticia seu remissio peccatorum. Hic ordo proponitur a
 Christo. Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Euange-
 lio. Luc. 24. Prædicate pœnitentiam & remissionem pec-
 catorum, in meo nomine. Qualis est ministerij ratio, talis est
 & iustificationis. Nam uerbo Deus in nobis est efficax.
 Idem uolunt hac dicta, Matt. 11. Venite ad me omnes qui la-
 boratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Matth. 18. Qui-
 tuncq; se humiliauerit sicut paruulus iste, hic maior est in re-
 gno cœlorū. Luc. 18. Qui se humiliat, exaltabitur. Lu. 1. Hū-
 miles exaltauit. Mat. 9. Veni uocare peccatores. Mat. 18. Ve-
 nit filius hominis saluare quod perierat. Matt. 5. Beati patris
 peres spiritū: talium est enim regnum cœlorū. Item: Beati
 qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabun-
 tur. Primus, ut sic dicamus, gradus est, ut saluandi sint labo-
 rantes ac onerati, hoc est cruciatūs peccatorū sentientes,
 humiles peccatores, perditī, pauperes spiritū, esurientes ac
 sitientes. Alter gradus est, ut detur eis refectio ac leuatio
 ab oneribus exaltatio, salus, regnum cœlorum, saturatio.
 Sunt autem hac uocabula periphraſes uera agnitionis pec-
 catorum & fidei in I E S U M Christum. Idem Iohannes tra-
 dit Matt. 3. Pœnitentiam agite uitæ prioris. In propinquū
 enim est regnū cœlorū. De fructibus iustificationis sequen-
 tibus suo loco dicitur:

Cum hoc ordine & exempla congruunt. Matt. 18. Primum seruus deducitur ad tabulas debiti, ex quibus cognoscit se incredibilem & immensam summam suo Domino debere, nempe decem milia talentorum: agnoscit etiam se non esse soluendo: audit sententiã, quod omnia debeat uen-
dere, perpetuoq; carceri includi. Hæc eum, qui antea securus fuerat, debito uelut dormiente, ita consternatum reddunt, ut statim in genua pronoluitus, & anxius animi coram Rege domino suo, misericordiam imploraret. Postea uerò sic humiliatus, & cum desperatione luctans, gratis ex misericordia audit dulcem uocem, quam nullo modo erat meritus: dimitti ei debitum hoc immensum in uniuersum, & dimitti quoq; pœnam omnem. Hac uoce erectus, consolationem summam in corde accipit, ac reuiuiscit seruus, gratis consecutus quod antea non habuerat. Luce 15. Perditus filius, qui bona paterna abligurierat, & fœdis scortationibus se polluerat, primum suis calamitatibus tanquam legis uoce humiliatur, ut agnitis suis sceleribus ex animo doleat, reuer-
sus ad patrem agnoscat peccata, ac deploret. Postea uerò audit blanda uerba à patre, & accipitur in gratiam. Eumq; ordinem sic explicat pater: Hic mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuenius est. Luc. 18. Publicanus initio fate-
tur se peccatorem, angitur, corde mala conscientia territus, oculos in cœlum tollere non audet, tundit pectus, implorat opem. Deinde uerò erigitur fide in Christum: & fertur sententia, eum iustificatũ descendiſſe in suam domum. Luc. 7. mulier lachrymis primum rigat pedes: hoc est, agnitione peccatorũ suorũ angitur. deinde audit, Remittuntur tibi peccata tua. Luc. 23. latro agnoscit se iuste puniri in cruce, po-
tita uerò se erigit fide in Christum, eiusq; passionem: &

audit

audit absolutionem iucundissimam, Hodie mecum eris in paradiso. Idem in cæteris uidere est. Præfractis, autem, impœnitentibus, securis, hypocritis & superbis, non contingit iustificatio coram Deo, qui etiam hunc ordinem propositum à Deo, & quem perpetuò in suo uerbo exigit, fastidiunt. Ideo inquit Christus Luca 18. Qui se exaltat, humiliabitur. Et Maria Luca 1. idem fert iudicium: Deposuit potentes de sede. Item, Diuites dimisit inanes. Matt. 5 negat Christus, iusticiam scribarum & pharisæorū coram Deo accipi. Marcii. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Luca 18. fastuosus pharisæus suam operiū iusticiam confidenter iactans, nec dolens de suis peccatis, nec misericordiā per Christum implorans, damnatur. Idem probant cætera quoq; conciones de pharisæis.

Omnibus temporibus unam & eandem perpetuò fuisse esse, & mensuram esse rationem iustificationis, ex concionibus Christi manifestum est. Ioh. 8 inquit: Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum: & uidit, & gaudius est. Ex professo hæc doctrina in ea Christi concione tractatur. Nam Iudæi criminabantur, doctrinam Christi esse nouam, priscis seculis incognitam. Sed contra grauissimè contendit Christus, se nihil noui docere: Abraham patrem omnium credentium, eodem modo nempe fide in se ipsum, læticiam seu iusticiam aut remissionem peccatorum consecutum esse. Nam uidere diem Christi, nihil aliud hic dicit esse, quàm fide Christum benedictum semen amplecti. Alludit autem ad dictum Christus, quod Gen. 15 extat: Credidit Abraham Deo, & imputatū est ei ad iusticiam. Porro consentiunt inter se hæc duo dicta: Abraham uidit diem meum, & lætatus est: & Iohan. 6. Hæc est uoluntas eius

qui misit me, ut omnis qui VIDET filium, & CREDIT in eum, habeat uitam eternam. Luca 24. Necessè est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi et Prophetis & Psalmis de me. Item: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius pœnitentiâ & remissionem peccatorum, in omnes gentes. Testatur igitur, hanc iustificationis uiam, quæ scaturit ex passione Christi, in Scripturis clarè esse patefactâ, nec diuersam ab ea unquam in uera Dei Ecclesia sonuisse. Ioh. 5. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam eternam habere, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Item: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Et huc quadrant typi Ionæ serpentis, agni qui ad Christum expressè referuntur. Itè parabola: quales sunt de operarijs in uinea, Matth. 20. De apparatu nuptiarum, & uocatione tum Iudæorum tum gentium, Luca 14. Matthæi 22. Ordinatio quoque ministerij, unam ac perpetuam formam iustificationis præscribit, ut ex citatis testimonijs luce meridiana clarius est.

Iustificationis fines atq; effectus plurimi recensentur, congruentes cum ijs qui supra in loco de Euangelio sunt annotati. Neminem tamen pigeat, aut pœniteat, hic quoq; eisdem ac plures considerare. nõ enim possunt res tam eximia satis excuti aut celebrari. Iustificationem igitur hæc bona adferre, Christus & eius collegæ assueuerant: nempe,

Imputationem iusticiæ Christi, per suum transitum acquisitæ: seu impletionis legis, quam præstitit. Luca 18. Descendit iustificatus in domum, Iohan. 16. Matt. 5.

Remissionem peccatorum. Matthæi nono: Confide fili, remit-

remittuntur tibi peccata tua. *Luca 7. 24. Iohan. 1. Ecce agnus Dei tollens peccata mundi. Iohannis 8. Si uos filius liberauerit, uerè liberi estis. Nam peccata sunt quasi compedes, omnes homines captiuos detinentes. At Christus remissionem ac liberationem adfert. Non iustificati autè per fidem in Christum, manent in istis uinculis & carceribus. Iohan. 8. Si non credideritis quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris.*

Gratiam, hoc est, gratuitam acceptationem corà Deo, liberationem ab ira Dei: Ioh. 1. Ex plenitudine eius accepimus gratiam pro gratia.

Amorem Dei erga nos. Ioh. 16. Ipse pater amat nos, quia uos me amastis, & credidistis.

Liberationem ab omnibus inimicis nostris. Nam ob peccatum, sub potestate diaboli, mortis, inferni omnes iacent. At iustificati per Christum, in libertatem afferuntur. Luca 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Prædicat enim Zacharias toto pectore beneficium præsentis Messia. Iohannis decimosexto, Princeps huius mundi iudicatus est: ideo non est metuendus amplius. Iohannis 16. Confidite, ego uici mundum. Vocat autem Iohannes mundum, quicquid est contra Deum, & Ecclesiam ueram Dei.

Gratuitam relaxationem aut condonationè debiti sen culpæ & pænæ aeternæ: Matt. 18. Misertus Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. ἵνα ἴσται, seu filios Dei acceptos fieri: Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quot quot credunt in nomen eius.

Gaudium conscientia: Ioh. 15. Hæc locutus sum uobis, ut gaudium meum in uobis maneat, & gaudium uestrum

impleatur. Iohannis decimosexto. Tristitia uestra uertetur in gaudium. Item: Gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum, nemo tollet à uobis. Concionatur enim Christus, de beneficijs suae passionis.

Pacem in conscientijs coram Deo: Iohan. 16. Haec locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. Iohannis 14. Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum, neque formidet.

Beatitude: Matthaei quinto. Beati esurientes & sitientes iusticiam, quia saturabuntur. Iohannis 20. Beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Uitam aeternam: Iohannis 3. 5. 6. 17. Qui credit, habet uitam aeternam. Et ea quidem inchoatur in hac uita, postea in resurrectione erit gloriosior.

In iudicium non uenire: Ioh. 3. Qui credit in eum, non iudicatur. Ioh. 5. Amen amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui me misit, habet uitam aeternam: & in iudicium non uenit, sed transijt à morte in uitam.

Mortem non uidere: Iohannis 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum. Iohannis 11. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in aeternum.

Inhabitationem Dei in nobis: Iohannis sexto: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Iohannis decimoquarto: Si quis diligit me, sermones meos seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum uenimus, & mansiones apud eum faciemus. Iohannis 17. Ut & ipsi in nobis unum sint.

Donationem Spiritus sancti: Iohan. 14. Si diligitis me, manda-

nem peccatorum & consternationem in cordibus excitat, ut extra nos auxilium necesse habeamus querere. Intelligi & hoc potest, hunc seruum fide oblatam misericordiam sibi cupidissimè & certissimè ac singulari gaudio applicasse, neque de efficacia istius absolutionis dubitasse quicquam. Intelligitur & effectus huius iustificationis, nempe quòd omni pauore liberatus, ingeniq; lætitiâ perfusus, ante Dominum surrexerit, nihil aliud quàm propitiū regem ac libertatem iucundissimam in corde cogitans, seq̃ ob eam terq; quaterq; beatum æstimans. Cæterum & hic ipse typus docet, excuti peccatis contra conscientiam, quæ pertinaciter defendimus, iustificationem hanc totam, & sequi aternas pœnas, nisi rursus fide à Christo misericordiam flagitemus. Seruus enim iste accepta remissione peccatorum integra, absque operibus, iam progressus foras, debebat dilectionem erga conseruum exhibere, sine qua tamen antea erat iustus in iudicio Dei pronuntiatus. Verùm oblitus misericordiæ, inclementer torquet ob paruū debitum conseruum suum, nihil Deum hominesq; metuens. Non delectatur autem his peccatis rex, id est Deus: nempe obliuione acceptorum beneficiorum, securitate, inclementia erga proximum, contemptu aliorum: sed retractum seruum tortoribus tradit, hoc est, in aeternum damnat. Recitamus autem ista aliquanto prolixius, ut paulò altius expendantur, & pectoribus imis reponantur.

Eiusmodi exemplum & in publicano exhibetur. agit enim in conscientia corā Deo: ac iustificatū eum uerè esse, ipse Christus clarè profitetur. Causa igitur efficiēs iustificationis in hoc publicano erat, nulla creatura, sed Deus. Eum

enim

Contraria huic iustificationi docet esse Christus iustitiam scribarum & phariseorum, quae erat tantum externa externorum operum observatio qualiscunq; & confidentia in opera.

Item sibi ipsi adscribere iusticiam, qualem Deus exigit. Damnat autem eam expresse, quod ad iustificationem coram Deo attinet, tanquam insufficientem, Matth. quinto. Matthaei decimo octavo, Lucae decimo octavo, Matthaei vigesimo tertio, & alias saepe.

Murmurare aduersus Deum, quod gratis peccatores recipiat: ut faciunt operarii in uinea, Matthaei vigesimo. & frater acolasti, Lucae 17.

Esse securum in poenitentem, contumacem & desperandum. Lucae decimo quarto: Dico uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt (hoc est, qui perinaciter aspernati sunt uerbum) gustabit caenam meam. Lucae sexto: Qui audiuit, & non fecit, similis est homini qui aedificauit domum suam super terram, absque fundamento, in quam illisus est fluius, & continuè cecidit, & facta est ruina eius magna.

Posse hanc acceptam iusticiam excuti peccatis contra conscientiam, docet typus seu historia serui, qui debito remisso, nullam erga conseruum misericordiam exhibuit: & ita effusa gratia Domini, in damnationem perpetuam precipitatus est. Idem concio Christi docet Matthaei 12 de reuersione diaboli. Eòdem spectant exempla Iudae & aliorum innumerabilium, qui in populo Iudaico à Christo defecerunt. Rursus autem lapsos agentes poenitentiam recipi à Deo, fide in Christum, Christus docet Matthaei 18. ubi querenti Petro, quoties debeat dimittere? respondet: Non dico tibi usque septies, sed septuagies septies. Semper enim ualeat haec

mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paraclctum dabit uobis, ut maneat uobiscum in aeternum, Spiritum ueritatis.

Fructum nouæ obedientiæ: Luca primo: *Vi sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ei: In sanctitate & iusticia coram ipso omnibus diebus nostris. Io han. 15. Ego elegi uos, & posui ut eatis, & fructum afferatis. Item: Sine me nihil potestis facere.*

Luce: Iohannis duodecimo. *Qui credit in me, in tenebris non manet.*

Inuocatinem: Iohannis dicimo quinto. *Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcumq; uolueritis petetis, & fiet uobis. Iohannis decimo quarto, decimo sexto: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Itaq; oportet ueros adoratores prius per Christum iustificatos esse, quam in nomine eius possint ardenti corde ad Deum preces instituere ac fundere.*

Gaudium in cælis: Luc. 15. *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nona ginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

Resurrectionem lætam ac fœlicem, certamq; eius spem: Ioh. 6. *Qui credit in eum, habet uitam aeternam. & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Aditum in paradysum: Luc. uigesimo tertio, *Hodie mecum eris in paradiso.*

Possessionem regni: Mat. 25. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.*

Restitutionem totius hominis, que hic inchoatur, at in uita aeterna implebitur. Sicut in typo sauciati, quæ Samaritanus curandum suscipit ex mera misericordia, describitur.

Hoc est legis iudicium, & horrendum fulmen, sicut Deus. 27. scriptum est: *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis.* Sed seruus non est soluendo, consternatus procumbit in genua, & anxius animatum ob debitum, tum ob pœnã, in quam miser incidit, solutionem promittit: quam nunquam prestare poterat. Hic est legis effectus. *Quid sit? Rex misericordia erga hunc suum seruum debitorem, soluere non ualentem, damnatum, in somnis mœroribus constitutum, motus, cum à pœna, & à debito seu reatu liberum omnino pronunciat.* O inenarrabilem Dei erga nos miseros, perditos & damnatos homines misericordiam, quod indignos peccatores seu impios, coram se uoce legis humiliatos, absque nostro merito, sola sua inexplicabili misericordia à peccatis omnibus & damnatione legis aeterna in uniuersum liberos pronunciat, idque facit Euangelij uoce. *Habes igitur hic efficientem causam iustificationis, ipsum Deum.* Seruus enim hic se non poterat tueri suis meritis, ac ne minimum quidem ex dignitate propria consequi, licet ex consternatione animi temerè garriret, omnia se redditurum esse. qua quidem in re cordis humani prodit inanem præsumptionem, & spem uanam. Semper enim sperat, se aliquando Deo satisfacturum, per sua opera. *Habes causam formalem iusticiae, nempe gratuitam remissionem debiti, & pœnarum aeternarum.* Gratis quoque omnia exhibentur hic beneficia. *Habes modum applicationis, nempe per uerbum Dei.* *Habes quibus donetur hæc iusticia: nempe indignis, immeritis, humiliatis.* *Habes ordinem, quem Deus in iustificatione obseruat: nempe quod primum lege agnitionem pee*

let hac uox. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis,
 & Luca 15. Gaudium erit coram angelis in cælo super uno
 peccatore pœnitentiam agente. Idem declarant exēpla Apo-
 stolorum, qui post passionem ad Christum, à se desertum, re-
 dunt: præcipue uero Petri.

Postremo, in exemplis seu typis à Christo propositis, ple-
 reque partes modò recitata, ad uiuum expressè conspiciuntur:
 ut non sit in frugiferum futurum, paucis ea considerare.
 Matthæi decimo octauo ualde illustris typus iustificationis
 omnium hominum coram Deo in conspectum proponitur.
 Ideo enim unus sumitur, ut æqualitas totius generis huma-
 ni notetur. Seruus esse dicitur, quia omnes homines Deo,
 ipsa creatione & beneficijs innumeris sunt obligati, & ad
 seruitutem quandam ei præstandam obstricti. Rex est, qui
 iure ac cum potentia quadam & autoritate non plebeia,
 cum seruo agere potest. Rex igitur accersito seruo, & posita
 ratione, aperit seruo debitum immensum, nempe decem mi-
 lium talentorum, id uero iusticiam Dei pingit, qui seruo obe-
 dientiam integram iuxta patefactam uoluntatem, nempe le-
 gem suam postulat: & quòd obedientibus præmia certò lar-
 giatur, inobedientes seueriter puniat. Est enim iusticia pro-
 prium, flagitare aut obedientiam, aut pœnam. Seruus debi-
 tum hoc infinitum prius à se non consideratum, ex ratione
 proposita à rege agnoscit. Res enim certa & clara erat. Sic
 homines, quòd ad suas uires attinet, non possunt peccato-
 rum suorum molem cernere, nisi Deus uoce legis eis aperiat,
 & quasi ad speculum deducat, in quo deformitatem suam
 horrendam contemplari queant. Promulgatur autem sen-
 tentia in seruum iure optimo, ut coniuge, liberis & omni-
 bus diuenditis, soluat, ac perpetuò in captiuitate habeat.

M 5 Hoc est

enim implorat, & Christus testatur, eum accepisse, quod per se non habeat. *Causa formalis* erat propitiatio Dei, & gratuita iustificatio: hoc est, peccatorum condonatio, & imputatio iusticia. Veniebat enim ad Deum non tanquam iustus, sed tanquam peccator indignus. Fides eius periphrasi inuocationis suae describitur. Habet enim cor ad Dei misericordiam directum: ac statuit se, licet indignum, tamen ex mera Dei misericordia remissionem peccatorum impetraturum. Lucet igitur in ipsius corde uera fides. Et cum sit impossibile misericordia Dei firmiter niti sine cognitione Messiae, constat eum habuisse non uulgarem Messiae noticiam: idque etiam inuocationis uerba testantur, in quibus ad promissiones de semine benedicto respicit. Ordo iustificationis hic illustris est. Primum se coram Deo uera cordis consternatione & omnibus gestibus humiliat, ac dolet se in peccatorum sordes & iram Dei iram & condemnationem incidisse. Deinde non desperat, non fluctuat suis cogitationibus ignarus ubi consistat: sed implorat Dei misericordiam propter Messiam, in qua hac petra firmiter consistit, credens iuxta promissiones reuelatas, se ob peccata patrata non damnatum iri, sed ex ingenti Dei misericordia consecuturum gratiam, ac benignam remissionem. *Causae* igitur acceptionis sunt, non ipsa publicari opera (nulla enim nec poterat, nec ualebat, iudicio Dei opponere) sed misericordia Dei gratuita, cui meritum Messiae includitur. Sequitur etiam effectus continuus: nempe conscientiae tranquillitas, ac sensus beneuolentiae Dei in corde, repressis atque exceptis doloribus, prius animum excruciantibus. Et Christus assueerat, eum iustificatum fuisse: hoc est, coram Dei iudicio gratis ex immensa Dei misericordia, ab omnibus peccatis absolutum, & imputatum esse pec-

esse peccatori indigno iusticiam, coram Deo ualentem.

In filio perduto eadem conspiciuntur. Recipiens eum, pater est, omnem ei inobedientiam condonans. Ipsa receptio, est inobedientiæ totius & omnium delictorū gratuita condonatio. Causa acceptationis huius sunt, non qualitates aut opera in hoc Acolasto, quæ suo ipsius iudicio nulla habebat (imò inobedientiam adferebat, iustamq; patris sui iram atq; æternam abiectiōē commertus erat) sed gratuita, paterna & immensa misericordia patris, qua non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Ordo est, quòd non securus, non contumax aut impœnitens, nec proprijs operibus turgens ac superbiens, ut frater eius, de magna paupertate tolerata ingentia iactans, ad patrem accedit: sed humilis & corde & gestibus, ore & corde testificans se esse indignum peccatorem, meritum æternam patris iram & damnationem. Deinde uero non ait, se compensaturum peccata operibus satisfactorijs, sed implorat misericordiam gratuitam, ne omnino repudietur. Flagrat autem iam ipsius corde hæc fides, patrem ex gratuita & immensa misericordia se recepturum esse. Non enim sua dignitate, sed paterno pectore nitebatur. Bona huius conuersionis sunt: nempe gratuita receptio, exhibitio paternæ & immeritæ beneuolentiæ, ornatus splendidus, gaudium patris, & totius domus: hoc est, Ecclesia.

Idem representatur in muliere peccatrice, Luc. 7. Quis enim ei remittit peccata, Christus est. Eius acceptio seu iustificatio, nihil aliud quàm gratuita remissio peccatorum est. Causæ igitur remissionis peccatorum tantum sunt, misericordiæ immerita, & manifestè prædicatur gratuitum beneficium. Vocatur enim peccatrix, ipsamet deplorat sua peccata;

cata: Christus testatur debitori remitti peccata, non ei quæ sanctitate propria fuisset aliquid merita. Apprehendit autem, remissionem peccatorum, seu imputationem iusticie, quæ ei per Christum annuntiatur fide. id quod cordium ille inspector IESVS Christus ipse assenerat: Fides tua, inquit, te saluam fecit. Ordo est, procidens ad pedes IESV, lachrymis rigat eius pedes: ac testatur singulis suis ac reliqua humiliatione, se esse peccatricem, commertam æternam damnationem, se sentire iram Dei ac mortis dolores. Deinde uerò non desperat, neq; de proprijs meritis agit: sed fide misericordiam Dei, & hunc ipsum Christum, quem pro Messia agnoscit, sibi applicat: & non dubitat, ipsius merito suo peccata deleri. Ideo unguento, tanquam mortuam uictimam inungit. Bona huius acceptationis sunt, salus, remissio peccatorum, pax conscientie, dilectio Christi, seu noua obedientia.

Illustre exemplum & in latrone proponitur, cum Christo simul in ipsa cruce suspensio. Nec est dubitandum, quin singulari Dei consilio, in hac ipsa passione Christi, tale exemplum ac forma iustificationis, in quo nimirum fructus meriti Christi illustrantur, toti mundo sit propositum. Alio enim modo, quam iste latro, nemo iustificabitur. Qui eum accipit ac iustificat, Christus est, stillans ex suo affixo & perforato corpore sanguinem. Causa formalis eius iustificationis, est donatio paradisi: hoc est, absolutio à peccatis omnibus, & liberatio ab æternis pœnis coram Deo: donatio & imputatio meriti Christi, quæ ad paradisum hominibus inde erectis rursus aditus patèret. Causæ eius acceptationis erant, misericordia & meritum Christi. Nam agnoscit latro, Christum innocenter pati, atque eam passionem ad se quoque pertinere. Fide autem Christum sibi applicat:

plicat: id quod sua petitione non obscure significat. Credit enim eum, qui modò à Iudæis interficiebatur, regnum habiturum esse perpetuum. quæ res sanè excellentis fidei argumentum erat. Ordo est, quod perspicuè fatetur se peccatorem, ac iustè iam supplicio affici. Deinde ad Christum confugit, & ab eo æterna bona expetit gratis. Statim autè Christus ei, quod optabat, offert, inquit: Hodie mecum eris in paradiso. Effectus eius iustificationis sunt, conscientie tranquillitas, certa spes futura glorificationis in æterna vita. Conferantur iam & reliqua exempla omnia, in quibus eadem perpetua Iustificationis forma conspicietur, quæque ob breuitatem hoc loco prolixius excutere non licet.

DE FIDE.

ET si in loco de pœnitentia rursus de fide dicendum erit, tamen hic integram eius explicationem completi necesse est. Organon enim est, quo imputationem iusticie, seu remissionem peccatorum gratuitam apprehendimus. Deinde huius doctrinæ intellectus etiam ad locum de bonis operibus adferendus est.

Significat autè fides, seu credere, interdù tribuere ueritatè, & dictis assentiri: ut Luca 1. Quia non credidisti uerbis meis, eris mutus. Opponebat enim angelo Zacharias, suam philosophiam seu cogitationes, ex ipsa ratione seu natura sumptas: iuxta quas metiebatur uerba Dei, quæ nulla physica se patiuntur constringi. Item: Beata, quæ credidisti: perficientur enim in te, quæcumq; sunt tibi à Domino prædicta. Matthæi uigesimoquarto: Ecce in penetralibus, nolite credere: hoc est, nolite pro ueritate eam doctrinam pseudoprophetarum amplecti. Iohannis quarto: Credidit homo

homo sermone, quem dixit *IESVS*: hoc est. statuit eum esse uerum. Iohannis quinto. Si crederetis *Mosi*: hoc est. eius doctrinam pro uera haberetis. Alias simpliciter se alicui committere significat, eius ueritatem ac probitatem tribuere. ut Iohannis secundo: *IESVS* non credebat semetipsum eis, quia ipse norat omnes: hoc est, non committebat, indicabat eos non candidè agere, nec esse constantes. Matth. 23. fides pro secunda tabulæ opere uidetur accipi, nempe pro ueritatis studio, & constantia rectè dictis & factis, quantum & de fide in Christum intelligere liceat: relinquitis, inquit, que grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, fidem. Postea uerò passim in Christi & Apostolorum concionibus, fides significat instrumentum, hoc est, cordis assensum & fiduciam, qua apprehendimus Christum cum suis beneficijs, certò ac gratis nobis promissis, iuxta uerbum gratia reuelatum. Huc pertinet infinitus testimoniorum numerus, nos pauca recensebimus: nam reliqua in sequentibus occurrunt. Matth. 9. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Marci decimosexto. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Iohannis primo. Ut omnes crederent per illum Iohannis 3. Ut omnis qui credit in eum, habeat uitam æternam. Item: Qui credit in eum, non iudicabitur. Iohannis 9. Credis in filium Dei? Iohannis 14. Creditis in Deum? & in me credite. Iohan. 20. Credentes uitam habent in nomine eius. Item hac locutio aliquoties occurrit, Fides tua te saluum fecit. &c.

Huiusmodi igitur definitio fidei, ex testimonijs perspicuis componi potest: Fides est noticia certa uerbi Dei, & articuloꝝ fidei, eorumq; assensus. Præcipuè uerò est noticia Christi, & promissionis gratiæ, & applicatio ad se in specie

specie remissionis peccatorum & iusticia, per sanguinem Christi partæ, & fiducia certa acquiescens in misericordia Dei ac merito Christi, & ex ijs iuxta evidentes promissiones & Sacramenta statuens, se Deo reconciliatum, iustum ac heredem esse uitæ æternæ. Sen breuius sic: Fides est fiducia innitens promissionibus gratiæ propter Christum. Vel, Fides est fiducia misericordiam propter Christum promissa. Hæc eodẽ tendunt, & in sequentibus explicabuntur.

Vnde fit hæc fides, ex Christi concionibus constat. De efficiente enim causa sic docet, quod eam Deus in cordibus hominum exuscitet & accendat. Iohannis 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Etsi enim indicat præcipuum hoc opus à Deo exigì, ut fide Christum complectamur: tamen & sequentia declarant simul hanc sententiam includi, fidem à Deo esse, neque naturaliter in nostris cordibus nasci. Nam paulo post inquit: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. & rursum: Propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Loquitur autem Christus de fide, quæ in se agnoscitur, & cum suo beneficio applicatur. Luca 17. Domine, adauge nobis fidem, quibus uerbis petitur incrementum fidei à Christo, qui & initium dederat. Sic Marci nono quidam dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Luca 22 inquit Christus: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Docet igitur, fidem esse donum Dei, non uirtutem quam homines propria industria consequi possent. Mar. 11. Habete fidẽ Dei, id uerò exponi potest, sicut dilectio Dei, passiue: hoc est, quam Deus in nobis operatur. Recte tamen nihilominus intelligitur actiue, fides Dei: id est, in Deum. & Matthæi 16. Beatus es Simon Iona: quia caro & san-

quis tibi non reuelauit, sed pater meus qui est in cœlis. Matthæi 11. Gratias ago tibi pater, quod hæc abscondisti à sapientibus, & reuelasti paruulis. Iohannis 1. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. & Iohannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.

Accendit autem hanc præclaram lucem fidei in cordibus hominum Deus per media, ipsum nimirum uerbum & sacramenta. Iohannis 1. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Ait, ideo Baptistam de Christo concionatum esse, ut hac uoce fides in præsentem Messiam excitaretur, Iohannis 2. Crediderunt discipuli Scripturæ & sermoni quem dixit IESVS. Itaq; per ministerium uerbi & conceperunt fidem discipuli in Christum, & in ea corroborati sunt. Iohannis quarto. Ex ciuitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris. Item: Multo plures crediderunt in eum, propter sermonem eius. & mulieri dicebant: Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuiimus & scimus, quod hic uerè sit saluator mundi. In hac narratione, medium aliquoties iteratur, per quod fides in corda hominum instillatur. Iohannis quinto. Qui audit uerba, & credit ei qui misit me. Crebrò autem auditus uerbi & fides coniunguntur. Vnde perspicuum fit, uerbum ordine præcedere fidem: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Clare affirmat, ex uerbo fide proficisci, & quidè ex uerbo de Christo. Ioh. 6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me, Ioh. 7. Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo est, uerba

Dei audit: propterea nos non auditis, quia ex Deo non estis.

Duo his uerbis docet Christus. Primum, ex auditu uerbi concipi fidem in se. Alterum, ut uerbum apud nos locum inueniat, & cor firmiter assentiatur, esse Dei in nobis opus. Iohan. 17. Sanctifica eos per ueritatem tuam, sermo tuus est ueritas. Iohan. 17. Non pro eis rogo tantum, sed & pro ijs qui credituri sunt per uerbum eorum in me. Idem parabola de semine, Matthæi 13 admonet. Pertinet ad uerbum etiã miracula, quibus aliqui, ut crederent, moti sunt. Non igitur alia ratione fides accenditur, quam ministerio uerbi, in quo Deus efficax est. Id in exemplis quoq; uidere est. ut Iohan. 4. de Samaritana. Ioh. 9. Christus ad cæcum ait: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei IESVS: Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine, & prociens adorauit eum. Egregia historia, in qua uis quasi coloribus depingitur, qua ratione fides in Christum excitetur, quam homines non habent naturaliter: nempe, uerbo de eo sonante, in quo ipse filius Dei est efficax. Congruunt & reliqua exempla, quæ hoc loco non putamus esse prolixè commemoranda. Hanc deniq; ob causam Baptista præcurfor Domini est, ut sua concione, & ostensione, quod hic Christus esset agnus Dei, fidem exuscitaret. Ideo pater sonat de cælo, Hunc audite. Ideo ministerium uerbi institutum est, ut omnibus gentibus annunciaretur Christus. Per Sacramenta autem Deum fidem operari, ex ipsa institutione patet: habent enim promissiones luculentissimas adiunctas.

Esse fidem in mente & corde motus quosdam, hoc est, noticiam uerbi Dei & Messia, ac ni corde assensum atq;

N 2 fiducia

fiduciam in Christum, liquet ex distis Euangelicis, quamuis non ita pueriliter, ut nos, locuti sint Euangelista. Iohannis 9. cæcus sanatus, prius ad notitiam Christi uerbo deducitur: postea etiam corde eum amplectitur, & sequitur adoratio. Iohan. 6. Nos credimus, & cognouimus, quod tu sis filius Dei. Vtraque hac breui sententia comprehenduntur: nempe notitia uera Christi, quod sit filius Dei, & Messias: deinde assensus & cordis fiducia. Iohannis 17. Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè quod à te exiui: & crediderunt, quod tu me misisti. Matthæi 13. Cum quis audit sermonem regni, & non intelligit, uenit ille malus, & rapit id quod seminatum est, ex corde illius. & Marci 5. Luca 24. Tardi ad credendum corde, omnibus quæ locuti sunt propheta. Aperit autem primum scripturas Christus, de passione sua luculenter prophetantes: deinde simul per uerbum in eorum cordibus assensum & fiduciam accendit, id quod ipsimet postea fateantur, cum inquit: Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis Scripturam? Audis noticiam prius dari, deinde simul excitari cordis ardorem, seu assensum ac fiduciam: ac medium quo fides instillatur, Scripturam esse. Atq; hæc quidem de causa materiali, *IN QVA* fidei, ut in scholis loquuntur, dicta sint.

Obiecta fidei sunt, Verbum, & gratuita misericordia, ac meritum Christi. Primum fides statuit, uerbum Dei reuelatum esse uerum & indubitatum. Iohannis 3. Qui acceperit eius testimonium, significauit quod Deus uerax sit. Deinde nititur misericordia, & Christi merito. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Audis

Audis dilectionem seu misericordiam Dei: audis filij missionē seu meritum, & quod hæc fide accipiantur. Iohannis 5. 6. & alij in locis, Christus grauissimè contendit ac docet, se à patre missum, eiusq; uoluntatem docendo ac pariendo expedire, ac requiri fidem. Vult igitur, mentes hominum defixas esse in misericordiam Dei immensam, quòd misso filio genus humanū ab hostibus suis perpetuis uindicare uoluerit, & in hoc ipsum opus seu meritum Christi.

Versatur autem interdum fides circa res spirituales, interdum circa corporales. Ad spirituales hæc sententiæ pertinent. Matt. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Marci 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Iohannis tertio. Qui credit in me, habet uitam eternā, non uenit in iudicium: quòd figuratè Iohannis sexto effertur: Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Iohan. septimo. Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aque uiuæ. Iohannis 12. Qui credit in me, in tenebris non manet: & similes. Ad corporales, Marci 9. Si potes credere, omnia possibilis credenti. agebatur enim tum de eiectione dæmonij. Luca 8. Crede tantum & salua erit. Vult enim laicum credere filiulam suam uita defunctam, à mortuis resuscitatum iri. Matth. 6. Obiurgat suos auditores de modica fide in rebus corporalibus. Si fœnum, inquit, agri, quòd hodie est, & cras in clibanum proicitur, Deus sic uestit: quāto magis uos modicæ fidei? Multis præterea ibi argumentis & præclaris sententijs fidem in rebus corporalibus erigit ac confirmat. Ioannis quarto. Regulus credit sermone, quem audit à IESU: nempe, filium suum restitutum esse sanitati. Et Matt. octauo reprehendit Christus trepidationem Apostolorum in mari periclitantium:

Spiruales

fides circa
res
uicissimè

CORPORALES

Quid timidi estis, inquit, exigua præditi fiducia? Frequenter autem uno dicto utraque obiecta coniunguntur. ac docet hoc pacto Christus, etiam in corporalibus rebus oportere fidem rerum spiritualium præluce. Eius generis dicta sunt plurima, ut Matt. 8. Non inueni tantam fidem in Israel. Agnoscebat autem Centurio Christum pro Messia, ad se pertinentem, & tribuebat ei firmo corde uoluntatem ac potentiam optulandi suo paralytico, pro quo intercedebat. Matth. nono. Confide filia, fides tua te saluam fecit. Primum fides in spiritualibus hæbat, nempe quòd IESVS esset Messias, ac remissionem peccatorum ab eo esset impetratura. deinde hac fiducia etiam statuit, se ab eo liberatum iri à sanguinis fluxu, què nemo alius sistere poterat. Item: Creditis quòd hoc facere possim? Hic prius fiducia in Christum requiritur, quæ tribuit ei omnipotentiam, misericordiam ac clemenciam erga cæcos: deinde etiam corporale exitum, nempe restitutionem uisus. Marci 10. Luc. septimo. Fides tua te saluum fecit. Marci 11. Omnia quecunque petieritis, credite quòd accipietis, & eueniet uobis. De spiritualibus & corporalibus hac dicuntur, & ita quidem ut res spirituales primo loco ponantur, fides uerò utriusque præluceat.

Proprietates fidei, quæ exponunt qualis res sit fides, ex dictis Euangelicis colligi debent. Sunt autem hæc: noticia uerbi & ipsius Christi, applicatio specialis, fiducia certa et indubitata, assensus ante experientiam.

Prima fidei proprietas est, noticia uerbi Dei, atq; adeò ipsius Christi & historia eius, & firmus assensus, uerbum Dei & historiam de Christo indubitanter pro ipsissima ueritate amplectens. Testimonia superius, ubi de medijs & obiectis

obiectis fidei diximus, collecta sunt. *Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi, hunc audite. In hac sententia à Deo præcipitur, ut omnes noticiam uoluntatis suæ ac filij missi habeant. Iohannis 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem missi esse Christum. Hoc modo & ministerium sancitur: Ite in mundum uniuersum prædicantes Euangelium omni creaturæ. Nemo ambigit, quin notitia ac assensus historię sint necessaria. Sed oportet etiam accedere sequentes proprietates.*

*Secunda fidei proprietas est, applicatio specialis, ut quilibet sibi uerbum Dei & in primis gratuitã misericordiam Dei, ac meritum filij applicet: nec tantum in genere historiam pro uera habeat, credatq; alijs passionem Christi utilem esse, sed SIBI quoque. Huc pertinent illa ipsa, que modo allegata sunt. Requirit enim talem auditum filij patris cœlestis, quo quilibet eum sibi applicet. Eadem ratione de cognitione patris ac filij loquitur Christus, que nimirum sibi propitiam patris uoluntatem ac filij meritum applicet, eoq; se sustentet. *Matth. nono. Confide fili, remittuntur TIBI peccata tua. Quibus uerbis non tantum præcipit, ut in genere sciat IESVM esse Messiam, habere potestatem dimittendi peccata: sed sibi quoque esse Messiam, sibi ab ipso liberationem à peccatis, & imputationem iusticiæ contingere. Lucae septimo: Remittuntur tibi peccata tua. Clarè uult, peccatricem sibi metipsi remissionem, quam audit à Christo pronuciari, applicare in specie. *Matth. 15. O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Audis, T u a et T i b i: quibus dictionibus significat, eã sibi Christum in specie, cum suis beneficijs quasi propriũ fecisse. Idẽ formula, que***

*Sæpius occurrit, explicat: Fides tua te saluum fecit. Iohan-
 nis primo: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem
 filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Audis, re-
 cipere & credere, quæ æquipollent: nihil quod aliud uolunt,
 quam applicationem Christi, quam sibi quilibet facere de-
 bet. Mandatum quoque de applicatione Ioh. 6 traditur, Hæc
 est, inquit, uoluntas, hoc est seruum mandatum, eius qui
 misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat
 uitam æternã. Angeli canunt: Vobis hodie natus est salua-
 tor. Imò ideo hæc phrasæ subinde occurrunt, Credere in eum,
 credere in nomen eius, ut declaretur accommodatio, quam
 quisque debet ad sese facere. Huc pertinent & illæ locutio-
 nes: Venite ad me, Mat. 11. Ego sum ostium, per me si quis in-
 troierit, saluabitur: Oues meæ meã uocem audiunt, & ego
 cognosco eas, & sequuntur me. Ioh. 10. Ego sum resurrectio
 et uita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet. Ioh.
 11. Ego sum uia, ueritas & uita: nemo uenit ad patrem, nisi
 per me. Iohan. 4. Ut ipsi in nobis unum sint, ut credat mun-
 dus, quod tu me misisti. Arctissimam sanè coniunctionem
 his uerbis denotat, quam significat nihil aliud esse quam
 credere in Christum. Nam qui solam noticiam historie ha-
 bent, non sunt unum in patre ac filio. Idem exempla pro-
 bant. Omnes enim quicumque remissionem peccatorum acce-
 perunt, necesse fuit sibi Christum, eiusque beneficia iuxta uer-
 bum applicare. Certè latro auariens dulcissimam absolutio-
 nem à peccatis suis & æternis pœnis, non in genere tan-
 tum credit Deum esse misericordem, Christum habere re-
 gnum, & autorẽ, ac largitorẽ uitæ esse: sed sibi accommodat,
 statuens sibi hanc uocẽ sonuisse, sibi sacrificium Christi pro-
 dæsse, se in regno æterno unã cum glorioso Christo fore: Con-
 firmari:*

firmant deniq, eam specialem applicationē ipsa sigilla gratiæ, nempe Sacramenta. Marci 16. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Sicut igitur cuiuslibet lauacrū illud salutare necesse est adhiberi: nec satis est alios baptisari, nisi tu quoq, mandato Christi abluaris: ita & fide promissionem illi lotioni annexam, quemlibet necesse est sibi, ut sic dicamus, appropriare, ac statuere sibi salutem ac remissionem peccatorum per Christum iuxta ipsius euidentiã uerba contingere. Sic in cœna Domini, cuiuslibet datur corpus & sanguis Domini: ut quilibet sciat, sibi meritum Christi totum in specie iuxta uerba Christi donari, ne putet meritum huius Mesiæ ad alios tantum pertinere. Sic iubet Christus, remissionem peccatorum annunciari cuiuslibet. Io. ban. uigesimo. *Quorum, inquit, remisistis peccata, remissa erunt.* Porro illustrant ac certiozem reddunt eam applicationem hæc duo capita doctrinæ de Iustificatiõne, quod gratis, & quod toti mundo sit parta salus. Indignitatis enim cogitatio, uehementer animos excruciat, ac retrahit ab applicatione meriti Christi. Sed ex gratuita misericordia Christus uenit, gratis etiam & indignis suum meritum confert: repudiatis dignis, hoc est suis operibus confidentibus. Matth. nono. *Veni uocare peccatores: scilicet agentes penitentiam.* Matthæi decimo octauo: *Venit filius hominis saluare quod perierat.* Matthæi undecimo: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Iohannis undecimo: *Ex plenitudine eius omnes accipimus, gratiam pro gratia.* Deinde omnium peccata Christus tulit. Ergo & omnes uult accipere, omnibus defert liberalissimè sua merita, neminem ad se uenientem fastidit. Iohannis sexto. *Venientem ad me, nen eijcio foras,* Iohannis primo. *Ecce**

agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Mundi, audis: ergo etiã
tua peccata expiauit. Ioh. tertio. Sic Deus dilexit mundum
(ergo & tu in hac dilectione comprehenderis) ut omnes
qui credunt in eum, non pereant, sed habeant uitam aeter-
nam. Marci decimosexto. Prædicate Euangelium omni
creaturæ. Imò uisitat Deus uoce Euangelij omnes gentes.
Quapropter summum & atrociſſimum peccatum eſt, ſe exi-
mere è mundo, quaſi Chriſtus non ſatis feciſſet pro tuis pec-
catis: ſe excludere ab hac uniuersali, Venite omnes, ut om-
nes habeant uitam, quaſi falſa protuliſſet filius Dei. Coher-
cendas igitur peſtilentiſſimas de particularitate cogitati-
ones, hiſce ſententijs Chriſtus monet.

Tertia proprietas eſt, quòd non leuis ſit applicatio, ſed
fiducia certa, fixa in miſericordia Dei inex hauſta, & meri-
to Chriſti, iuxta uerbum ueritatis & Sacramenta adiuncta.
Id uerò Chriſtus paſſim inculcat. Matthæi 9 inquit. θάρρα
τέρου, ἀφ' ὧν τὰς σοι αἰ ἀμαρτιῶν σου: Confide fili, ſeu
confidenter, audacter, ſine ulla dubitatione hoc teneto, re-
mittuntur tibi peccata tua. Item, θάρρα θυγατρὲς, ἡπί-
ςις σου σ' ἐσώκε σε: Cõfide filia, ſis bono animo, certa ac per-
ſuaſa, fides tua te ſaluam fecit. Ac confidere & credere pul-
chrè coniunguntur. Matthæi 15, ob certitudinem fides mu-
lieris prædicatur. Magna, inquit, eſt fides tua, fiat tibi ſicut
uis. Agnoſcit Chriſtum pro filio Dauid, ſeu Meſſia: miſeri-
cordiæ ipſius innititur, eumq; ſibi applicat, ac firmiter ſta-
tuit, contra omnia impedimenta, quæ ei obijciuntur, ſe ac-
cepturam & impetraturam etiam corporale beneficium.
Eadem certa fiducia cordis Centurio Matthæi 8, & hamor-
rhoiſſa Matthæi 9, ad Chriſtum accedunt. Iohannis 3, Qui
credit in eum, non iudicatur. Ambigens non poteſt certo
ſtatuerè,

statuere, iram Dei à se esse ademptam, & se in iudicium nõ
uenturum esse. Iohan. 4. Samaritani profitentur se credere
in Christum, & dicunt: Scimus, quòd hic est uerè salua-
tor mundi. Iohannis sexto. Nos credimus & cognouimus,
quòd tu sis filius Dei. Affirmant sese persuasissimum ha-
bere, quòd sit filius Dei, ac sibi opem fit laturus. Ioannis de
cimoquarto inquit: Creditis in Deum, & in me credite.
Iohannis uigesimo. Quia uidisti me Thomã, credidisti: bea-
ti qui non uiderunt, & crediderunt. Increpat Thomã ob
dubitationes, & uult tam ipsum quàm alios homines fir-
missimo corde se ac sua merita amplecti. Aliàs quoq; saepe
imbecillem fidem reprehendit, ac certitudinem maiorem
flagitat, quam quidem suis concionibus et miraculis magis
erigit & auget. Matth. 8. Quid timidi estis, modicæ fidei?
Matt. 9 ad cæcos inquit, prius certitudinem fidei extor-
quens: Creditis me hoc facere posse? & subiicit: Secundã
fidem uestram fiat uobis. Matth. 14 inquit ad Petrum: Mo-
dica fidei, quid dubitasti? Matth. 16. Quid cogitatis in-
ter uos modicæ fidei, quòd panes non habetis? Marci quin-
to: Noli timere, tantum crede. Nonnihil concutiebatur &
trepidabat fides archisynagogi, accepto nuncio, filiã suam
exinflatam esse: sed iubet Christus eum certò credere, quòd
eam possit ac uelit resuscitare. Marci 9 ad parentem affe-
rentem filium demonio obsessum, inquit: Si potes credere,
Omnia possibilia credenti. Priusquam igitur beneficium
conferat, fiduciam ei præcipit: ac petit homo, ut ipse Chri-
stus exiguam fidem stabiliat, & solidiorem efficiat: Credo,
inquit, Domine: adiuua incredulitatẽ meam. Luc. 1. puni-
tur Zacharias priuatione sermonis ad tẽpus, eo quòd nõ fir-
miter credidit uerbo Dei, sibi ab angelo denunciato. Lu. uĩ
gesimo-

gesimoquarto grauiter & acerbè obiurgantur Apostoli, fluctuantes fide in Christum: O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt propheta. Explicat autem mox, in qua re illa fidei certitudo consistere debeat: nempe Christum, iuxta scripturam, pro ipsis & toto mundo passum, atque ipsos eo sacrificio habere remissionem peccatorum. Iohan. xi. Si credideris, uidebis gloriam Dei. Matthæi 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis: sed si monti huic dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, fiet. & mox attextitur: Et omnia quæcunque petieritis credentes accipietis: Eandem certitudinem in oratione præcipit, quæ nihil hæsitat. Marci undecimo additur: Qui non hæsitauerit in corde suo. Copulantur etiam propter eam causam Sacramenta seu externe actiones, cum promissionibus Euangelij, ut hoc certitudo in animis hominum & melius excitetur, & certius quasi sigillo confirmetur.

Quarta fidei proprietas est, assentiri etiã ante experientiam. Sic Matth. 8. Centurio. Matthæi nono, hæmorrhøissa: certò statuunt, se beneficia, alijs creaturis impossibilia, à Christo impetraturos, priusquã ea sensibus deprehendat. Hac enim luce præfulgente, Christum compellant. Idem sibi persuaserat Cananæa, infracta fiducia instans de auxilio, quod etiam cum singulari encomio fidei suæ promptissimè à Christo accipit. Matthæi 9. Marci 9. priusquam ipsa experientia testificetur Christus, se & uelle & posse operæ ferre, requirit ab ipsis fidem, quæ assentiatur. Ioh. 4. Regulus tactum audita uoce Cærisi, Filius tuus uiuit, credidit sermōni, ac latus descendit. Postridie uerò rem ex seruis cognoscit, & domi aspicit sanatum filium. Ioh. undecimo. Si credid-

credideris, uidebis gloriā Dei: requirit assensum, se uelle
 & posse in uitam reuocare mortuos, priusquam oculi eorū
 contueantur. Dulcissimam sanē hęc res consolationē præ-
 ebet, quod nimirum uerbo, licet sensibus nondum cōprehen-
 damus, certō debeamus assentiri ac credere, nihil dubitan-
 tes, quin effectus etiam sit consecuturus. Christus reprehendit
 Thomam, quod assentiri noluerit, antequam uideret &
 attingeret Christum: Thoma, inquit, quia uidisti, credis:
 Beati qui nō uident, & tamen credunt. Reprehendit etiam
 Pharisæos, signum querentes potius, quā uerbo Dei cre-
 dentes. Matthæi duodecimo: Generatio praua & adulte-
 ra signum querit: & signum non dabitur illi, nisi signum
 Ionæ prophete.

Fidem oportere crescere, ex prædictis patet. Obiurgat
 enim Christus discipulos ob exiguam fidem, Marci 9. O ge-
 neratio incredula, quā diu apud uos ero? quā diu uos
 patiar? Ac subinde præcipit, ut fides solidior fiat. Marci
 nono: Si potes credere, inquit. Et rectē ille subiicit: Credo
 Domine, adiuua incredulitatem meam. Apparet insuper
 in Cananæa, quomodo erudiat & exerceat fidem Christus,
 ut crescat: & quasi in ipsis tentationibus consolidatur ac
 stabilietur. Ioh. 4. fidem Reguli à miraculis ad uerbum &
 sese refert, satis duriter eum reprehendens: Nisi signa &
 prodigia uideritis, inquit, nō creditis. Quasi diceret, neces-
 se est te fiduciam in mea uerba collocare, etiamsi miracula
 non coram contempleris: ac proficit Regulus tam feliciter,
 ut postea solo uerbo Christi contentus sit, nec dubiet ipso
 momento filium suum adiutum esse: neque uerō hęc eum fi-
 des fallit, ut dictum est. Referantur huc & alia, quæ supra
 commemorata sunt.

Est autem & hæc consolatio tenenda, quod exiguam fidem non aspernetur Christus, modo paulatim crescat, & media quibus incrementa dantur, non repudiet. Tolerat enim etiam eos qui modica fide erant præditi: ipsumque adeo Apostolorum exemplum consolationem hanc suppeditat, quorum imbecillitas in fide, singulari diligentia sapius describitur. Egregia sententia extat Matt. 17. ornans etiam paruum fidem insigni encomio, & magnam ei potestiam adscribens: Amen, inquit, dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis moti huic, Transi hinc, et transibit, & nihil erit impossibile uobis. Quid magnificentius de puilla fide, crescente tamen in suis exercitijs, dici potest? Et hæc ipsa Christus dicit, cum Apostoli peterent, Adauge nobis fidem: suamque imbecillitatem agnoscerent, ut scribit Lucas cap. decimosextimo. Vult igitur Christus, tantum se audiri & inuocari: & non dubitari, quin etiam exiguam fidem sit accepturus.

Excuti fidem semel conceptam, & amitti rursus posse, ex multis exemplis & dictis Christi planum est. Matthæi decimosexto Petrus dissuadens Christo passionem, & audiens, Vade post me satana, scandalum es mihi, non sapias ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum: certè fidem, quam confessione illustri de Christo paulo antè declararat, amisit. Verùm ex concionibus Christi eam recuperauit. non enim in sua sententia pertinaciter perseuerauit. Iudas initio præclara fide in Christum præditus fuit, comitans eum longo tempore: uerùm postea excæcatus ambitione & auaritia, coniungens sese hostibus Christi, eumque promissa pecunia corruptus sceleratè tradens, omnem fidem perdidit, ac denique in desperatione summa mortem sibi ipsi conscivit. Sic nouem leprosi,

leprosi, acceptis beneficijs, deficientes à Christo ad pontifices & phariseos, fidem omnem abiecerunt. Multi ex ijs qui Christo ingrediente Hierosolyma clamabant Hosanna, rursus clamant, Tolle tolle, crucifige, retracti & fascinati à phariseis. Horrenda concio est, de reditu spiritus immundi in uacuum ac scopis probè purgatam domum: qua significat Christus, securitate & alijs peccatis amitti fidem. Nec immeritò Christus dixit: Qui perseverauerit usq; ad finem saluus erit.

De fide aliena docet Christus, & exempla idem explicant, quòd nimirum alijs impetret dona corporalia & spiritualia ea ratione, ut alijs conuertantur, ac propriam & peculiarem fidem accipiant, qua salui fiant. Huc spectat orationis forma, quam Christus ipse dictat. tali enim ratione est prescripta, ut non tantum pro nobis, sed pro alijs quoq; simul preces faciamus. ut, Pater noster qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum: hoc est, conuerte & sanctifica non tantum me, sed etiam alios homines. Adueniat regnum tuum: illustra & rege spiritu tuo sancto, non tantum me, sed etiam alios. Fiat uoluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra: nò tantum in me, in mea domo, ciuitate, regione, sed in terra tota. Panem nostrum da nobis hodie: hoc est, Omnes pasce pro tua benignitate. Dimitte nobis debita nostra: conuerte me, & omnes alios: excita in me & alijs ardentem fidem, remitte mihi & alijs peccata. Et sic de cæteris. Matth. 9. aliquot uiri fide paralyticum Domino offerunt, quam & respicit: uerum ea ratione, ut propriam fidem in paralytico accendat, qua ipse pro se peculiari fide, non tantum fide, accipit remissionem peccatorum. Ita enim uerba sonant: Con fide filii, remittuntur tibi peccata tua. Matt. 8. Centurio sua

puero fide sua impetrat liberationē à morbo, *Matth. 9. Mar. 5. Iairus filij resuscitationem. Matth. 15. Cananea expulsio- nem dæmonij suæ filia. Iohannis quarto: Regulus filio san- tatem. Et Christus ad se afferri iubet infantes, & asserit ta- lium esse regnum cælorum.*

*Effectus fidei planè cum fructibus iustificationis con- ueniunt. Non igitur necesse est denuò adscribere. Vnum ta- men aut alterum ex uerbis Christi paucis adsignabimus. Ostendit Christus, se tantopere fide delectari, ut nihil ue- lit aut possit ei denegare, se seq. promptissimū omnibus cre- dentibus assidue futurum esse. Quid enim potest dici sua- uius, quàm quod ad Centurionem inquit *Matth. 8. Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Item leprosus adorat eum prestan- ti fide: Domine, si uis, potes me mundare. Quo audito, pro- tinus tangit eum Christus, & inquit: Volo, mundus esto. Matth. 9. Secundum fidem uestram fiat uobis. Matth. 15. si- militer inquit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Marci 9 ait: Omnia possibilia credenti.**

Fide miracula perficiuntur: Matthæi 17. 21. Marci 11. Amen dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapi, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit: item, lacta te in mare, & fiet: & nihil erit impossibile uobis. Iohan. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Econ- trā uerò, incredulitas impedit miraculorum editionē. Mar- ci 6. Non poterat ibi uirtutem ullam edere, nisi quòd pau- cos infirmos impositis manibus sanauit. & Matthæi deci- motertio, Non edidit illic uirtutes multas, propter incre- dulitatem eorum.

Fide gloria Dei conspicitur & consideratur. Iohannis undecimo, Si credideris, uidebis gloriam Dei: hoc est, ipsius

ipſius glorioſa opera, quale erat, Lazari in uitã reuocatio.

Est & fructus fidei, remiſſio peccatorum, uita æterna, iobediãtiã ſiue adoptio, uera inuocatio, bona opera Deo placenta: de quibus, ut dictum, ſuprà eſt facta enumeratio.

Contraria fidei ſunt, incredulitas, ſaſtidire Chriſtum, eſt Euangelium calumniari ac perſequi. Ioh. 3. Qui nõ credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Item: Qui incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Iohan. 8. dicunt Iudei eum Samaritanum eſſe, & demonium habere. Matthæi 12. criminantur eum per Beelzebub demonia eijcere. Ioh. 9. conſpirarunt Iudei, ut ſi quis conſiteretur eum eſſe Chriſtam, extra Synagogam eijceretur. Tandem eum comprehenſum, Pilato crucifigendum tradunt: & monumentum cuſtodiuẽ, ne reſurgat.

Conſidere in ſeipſum: hoc eſt, ſibi uendicare legis implementationem. Ioh. 5. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non queritis? Matth. 5. & 23. Luc. 10. & 18. damnatur phariſæorum perſuaſio de propria iuſticia.

Fiduciam ſuam ponere in diuitijs & uoluptatibus huius mundi, ut eſt in parabola de ſemine. & Marci 10. Filij, quàm difficile eſt eis qui fiduciam habent in pecunijs, ingredi regnum Dei. Item Matt. 6. Non poteſtis mammonæ & Deo ſimul ſeruire.

Gloriam hominum uenari, & laudem iuſticiæ: ut faciunt Hypocritæ. Iohannis quinto. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non queritis? Marci undecimõ:

Q

Hæſitã

Hesitare, Marci 11. Et non hesitauerit in corde suo. Item: Modicæ fidei, quid dubitasti? inquit Christus ad Petrum.

Simulatio etiam cum fide pugnat, & neutralitas: Qui non est mecum, contra me est.

Deficere: Luc. 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Securitate & peccatis locum præbere Diabolis. Matthæi duodecimo.

Desperare: ut in exemplo Iudæ conspicitur.

Non confiteri Christum coram hominibus. Matth. 10. Non tollere crucem suam, & sequi Christum.

Postremò fidei phrasès & æquipollentes formulæ colligendæ sunt: profunt enim ad explicationem fidei. Interdum fides & credere simpliciter ponuntur: ut, Fides tua te saluum fecit: Credis me hoc facere posse? sed interdum quedam adiunguntur: ut, credere in Christum. Matthæi 18. Qui scandalizauerit unum de pusillis istis, qui IN ME credunt. Iohannis 2 cap. Crediderunt in eum discipuli eius. Iohannis 3. Vt omnis qui credit in eum, non peccat. Item: Qui credit in eum, non iudicatur. Et statim additur: Qui autem nõ credit, iam iudicatus est. Sic hæc phrasès, credere in Christum, extat Iohannis 6. 7. 9. 10. 11. 12. 14. 16. 17. Pro eodem igitur sola uox credere, & credere in Christum, accipiuntur. Non tamen frustra hæc adijciuntur: uerum obiectum seu fundamentum monstrant, in quo fides debeat acquiescere, ne quis in seipsum confidat, sed extra se obiectum fidei querat, neque alibi quàm in Christo.

Et in datiuo, sine præpositione, credere Christo: Iohannis 5. Si Moysi crederetis, & mihi forsân crederetis. Item: Quem

Quem misit ille, huic uos non creditis. Iohannis decimo: Sed mihi non uultis credere, operibus credite. Iohannis 3. Incrudulus est filio.

Crede per Christum, Iohannis primo. Ut omnes crederent per eum.

Crede in filium Dei, Iohannis 3. Qui credit in filium Dei. Iohan. 9: Credis in filium Dei?

Crede in nomen eius: Iohannis 1. His qui credunt in NOMINE eius. Iohannis 2. Multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa quæ faciebat. Iohan. 3. Non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

Crede uerbo: Luca 1. Non credidisti uerbis meis.

Crede scriptura: Iohannis secundo, Et crediderunt scriptura.

Sermoni: Iohannis 2. & 4. Credidit homo sermoni quem dixit ei IESVS.

Crede Euangelio: Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Deducit & hæc phrasia ad patefactum uerbum, ne quis ex suo ingenio aliquid cõminiscatur.

Crede in lucem: Iohan. 12. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Crede in Deum, qui misit filium: Iohannis 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Ioh. 14. Creditis in Deum? & in me credite. Marci 11 est, Habete fidem Dei: id est, in Deum.

Aequipollentes sunt cum fide, aut credere, sequi Christum: Iohan. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Licet phrasia integrum doctrinæ corpus à Christo propositum complectatur. Iohan. 16. Ones mee sequuntur me.

Sermonem Christi seruare, Iohannis 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum. Iohannis decimoquarto, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: id est, credet.

Audire uerbum Dei. Luc. 8. Mater mea & fratres mei hi sunt, qui uerbum Dei audiunt, & faciunt.

Custodire uerbum: Lucæ 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

Comedere: Iob. 6. Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendendi: Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in aeternum.

Sitire: Iohannis 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aqua uiua.

Venire ad nuptias, habere uestem nuptialem, gustare caenam: ut patet ex parabola Lucæ decimoquarto. Matthæi uigesimo secundo.

DE BONIS OPERIBVS, SEU
de noua obedientia iustifi-
catorum.

Quod bona opera seu obedientia noua post reconciliationem seu iustificationem debeat sequi, pluribus Christus docet. Ostendit enim non esse adia phoron, sed mandatum Dei, Matthæi 5. Estote perfecti, sicut & pater uester caelestis perfectus est. Matth. 22. Luc. 10. Diligas Dominum Deum tuum. & Matth. 20. in parabola de uineis indicatur, Deū uelle, ut nemo in sua uinea sit ociosus. Idem in altera de talento monet, Matthæi 25. Lucæ 6. Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderunt. Item, Estote misericordes. Iohan. 15. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis uos inuicem.

Deinde

Deinde ipsam regenerationem id flagitare Matthæi 3. Luca 1. Facite fructus penitentia dignos. Matthæi 7. Omnis arbor bona fructus bonos profert. Matth. 12. Bonus homo de bono thesauro profert bona. Iohan. 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Iohan. 8. Vade, & iam noli amplius peccare. Iohannis 15. Ego elegi uos, & posui uos ut fructum feratis. Luca sexto. Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Luca 1. Vi sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus ei. Iohan. 13. Si ego laui pedes uestros, Dominus & magister uester, & uos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis.

Tertiò uult Deus conspici ac lucere renatorum opera, ut & Deum glorificent, & proximo usui sint. Matthæi 5. Marci 4. Luca 11. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Matth. 12. Ex fructu arbor cognoscitur. Iohannis 13. In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ioh. 15. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferitis, & efficiamini mei discipuli.

Quartò testatur Christus, malis operibus effundi gratiã: accersi & cumulari graues & aternas pœnas, nisi agatur pœnitentia. Matt. 5. Quod si sal stupidus fuerit, quo salietur? Ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Matthæi septimo. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Matthæi 12. Dico uobis, quoniam omne uerbum ociosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicij. Matthæi 25. in parabola de talento comminatur, se ignauiam puniaturum esse. Idem Lucae decimotertio. proponit in sterili ficu succidenda. Ioh. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet. Idem parabolâ de seruo debitore, hoc epiphonemate concludit Matth. 18. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remisieritis suo quisque fratri de cordibus uestris, delicta eorum. Matt. 25 minatur se publico iudicio damnaturum, eos qui neglexerunt famelicos, sitibundos, peregrinos, nudos, infirmos. Baptista quoque grauem sententiam proponit Matthæi 3. Lucae tertio. Iam securis, inquit, ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

De præmijs & dignitate bonorum operum, suo loco dicetur. Manifestissimum igitur est, opera bona esse necessaria, ac sequi debere reconciliationem.

Definitio bonorum operum ex hac doctrina talis confici potest. Bona opera, sunt opera, mandata certo & expresso uerbo Dei: quæ fiunt in fide, & diriguntur ad eum finem, ut glorificent Deum, & proximo inseruiant. Explicationem sequentia suppediabunt.

Quæ enim opera sint præstanda, nempe ea duntaxat quæ certo Dei uerbo præcepta sunt, Christus Matthæi 15 docet: Vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram, & allegat Esaie testimonium: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mādāta hominum. Et quidem ad ipsa Decalogi opera nos deducit Christus: ut Matthæi decimoquinto, Deus dixit, Honora patrem & matrem.

trem. Matthæi 19 recitat mandata Dei: Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem tuam, & Diliges proximum tuum sicut teipsum. Summa autem totius Decalogi succincta recitatur Matthæi 22. Luca decimo. Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota mente tua, & tota anima tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. At Decalogi summam & hæc sententia potest referri, Matthæi 22. Date Cæsari que sunt Cæsaris, & Deo que sunt Dei. Baptista quoq; suos auditores, de operibus interrogantes, Luca 3. de Decalogi operibus admonet: nempe ut sint erga alios benefici, quisque sue uocationis opera expediat, nemini iniuria inferatur, quilibet suo stipendio sit contentus.

Interiora simul & exteriora opera à Deo exigi, sæpe testificatur Christus: ut Matthæi 5. beatos prædicat qui spiritu pauperes sunt: item mites, lugentes, esurientes & siti- entes iusticiam, misericordes, mundo corde præditos, confitentes, martyrium ob confessionem Christi sustinentes, fratribus suis remittentes. Exponit ibidem aliquot præcepta Decalogi, quòd non modò externa facta, sed etiam interiora motus, omnesq; gestus in toto corpore, præceptis Dei congruentes, requirantur: ac damnantur etiam interiora peccata committens, Matthæi sexto in oratione Dominica præscribuntur opera, quæ ut fiant in nobis, à Deo petenda sunt. & porrò de alijs operibus externis ac internis instruit: Matthæi 15. De corde exeunt cogitationes male. homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.

Recitantur ista etiam hoc fine, ut intelligant homines, interiore immundiciem taxari, & e contra puritatem à Deo serio postulari. *Matt. 22. Diligas Dominum Deum tuum, toto corde tuo. Non frustra dilectio, legis summa expositio constituitur, & quidem ex corde. Non igitur dubium est, perfectam cordis obedientiam à nobis flagitari. Matth. 23. Munda prius quod intus poculum & patinam est, ut fiat & id quod foris est mundum. Item decimatis mentam, anethum, cuminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.*

Sparsum autem Christus de plerisque operibus in decalogo præscriptis disserit: sed tamen, ut lectores quasi in speculo quodam uideant, quæ opera à Deo potissimum exigantur, non pigebit ea adscribere.

CATALOGVS BONORVM
operum.

AD primum præceptum pertinet, uera cognitio Dei. *Iohannis 14. Qui uidet me, uidet patrem. & uerba baptismi, postulant ueri Dei cognitionem.*

Timor Dei: Matthæi 10. Luca 12. Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.

Fides: Iohannis 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Sunt autem de fide satis multa testimonia superius recitata, ubi eius doctrina exposita est.

Dilectio Dei: Matth. 22. Luca 10. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Damnantur quoque peccata hisce operibus bonis contra: ut, non agnoscere uerum Deum per filium. Iohannis 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit eum, Iohan. 12. Sui eum non cognouerunt. Item, Mundus

eum non

eum non cognoscit. & Iohannis 3. Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Iohannis octauo. Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis Deum uestrum esse, & tamen non cognouistis eum. Item: Si Deus pater uester esset, diligeretis utique me.

Idololatria: execratur enim Christus diaboli impudentiam, qui se postulabat à Christo adorari: Matthæi 4.

Seruire Mammona: Matthæi 6.

Hesitare, dubitare: Matthæi 21. Marci 11. Si habueritis fidem, & non hesitaueritis.

Vacare timore Dei: Lucæ 18. Deum non timebat. Matthæi 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. Sed timete eum, qui potest corpus & animam conijcere in gehennam.

Securitas: Lucæ sexto. Væ uobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis.

Non credere: Ioh. 3. Qui incredulus est filio, non uidebit uitã, sed ira Dei manet super eum. Et obiurgantur grauius Iudæi, quod prorsus non credunt in Christum: Si non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis uestris: Iohannis 8.

Desperare exemplum Iudæ ostendit, desperatione nihil horribilius esse.

Odisse Deum: Execrari, persequi. Ioh. 14. Si mundus uos odit, scitote quod me priore uobis odio habuit. Item: Qui me odit, & patrem meum odit. Item: Odio me habuerunt gratis. Sed quas isti pœnas incurrant, alio loco explicandum erit.

SECUNDVM PRÆCEPTVM.

Ad secundum pertinet, Amare, discere, fouere, propagare nomē Domini: hoc est, uerbū patefactū. Mat. 17. Hunc audite. Ioh. 8. Si manseritis in sermone meo, ueri discipuli mei

estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Iohannis decimoquarto. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Marci decimo sexto. Ite prædicate Euangelium omni creatura.

Fugere pseudo Christos & pseudoprophetas, ac errores cum uerbo Dei pugnantes: Matt. 7. Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimētis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matt. 24. Surgent pseudo Christi & pseudopropheta. Item: Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Iohann. 10. Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Matth. 15. Frustra colum me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Inuocare in nomine Christi. Mat. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Iohann. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Formulam orationis Matth. sexto præscribit.

Gratiarum actio per Christum. Luca decimo septimo. Leprosus mundus redit, Christo agens gratias. Luc. 13. Confestim erecta est, & glorificabat Deum. Matth. 5. Ut glorificetur pater uester cælestis.

Confessio & constantia. Mat. 10. Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est. Item: Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit.

Iuramentis & nomine Dei reuerenter & piè uti. Matth. 5. Non peierabis. reddes autē Domino iuramēta tua.

Peccata contra hoc præceptum recēsentur hæc: Aspernari, fastidire, calumniari, impedire uerbum Dei: Iohannis 8. Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea uos non auditis

auditis, quia ex Deo non estis. *Matt. 13.* In crassatum est cor populi huius, & auribus grauerunt, et oculos suos clauserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Idipsum & in parabola de semine declaratur sic & in typo de nuptiali conuiuio, *Matt. 22.*, *Luc. 14.* Vbi inuitati repudiant partim contumaciter, partim fucio aliquo quaesito. Verum non est eis impune, ut suo loco copiosius dicitur. *Ioban. 9.* Decretum fecerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam eijceretur.

Errores fingere, spargere, accipere, augere, promouere. *Matthæi 23.* Vae uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.

Decum non inuocare, aut non eo modo sicut se patefecit: *Matthæi sexto.* Pharisæicè orare: *Iobannis decimosexto.* Vsq; modò non potestis quicquam in nomine meo. *Iob. 5.* Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Diabolum adorare propter regna mundi, *Matth. 4.*

Non gratias agere: *Lucæ 17.* Non ne decem munitati sunt? nouem autem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo.

Non confiteri: *Matthæi decimo.* Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est.

Temerè abuti iuramentis & nomine diuino. *Matth. 5.* Ego dico uobis, non iurate omnino (scilicet temerè, sine uocatione aut mandato magistratus in rebus licitis) neq; per cælum, quia thronus Dei est: neq; per terrã, quia scabel lum est pedu eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est
magnæ

magni regis: neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.

Item iuramenta contra pietatem & honestatem facta seruare: ut Herodes.

Blaſphemia: Mat. 12. Luc. 12. Spiritus blaſphemia non remittetur. Item: Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro.

Tertium præceptum.

Ad tertium pertinent, amare & ornare congressus publicos. Luca secundo. parentes Christi celebrantur, quod ad festum Paschæ quotannis unà cum puero IESU ascenderint. Etsi autem species nunc abrogata est, tamen genus in exemplo manet, ut omnes pij, eiusmodi congressus, qui uere pietatis nomine & absq; superstitione fiunt, amēt. Christus etiam saepe in Synagogas ingressus, concionatus in cœtu hominum est, et miracula edidit: Marci 1. 3. & 6. crederimè in templo Hierosolymitano docuit, Matthæi. 21.

In talibus congressibus ardentè orare, suosq; gemitus & uota ad aliorum piorum preces adiungere: Matthæi 18. Si duo ex uobis consenserint super terrã, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Commendantur in hac sententia congressus piorum, & proponitur suauissima promissio, quod efficaces sint preces futuræ, atque adeò Christum ipsum ei cœtui interfuturum.

Sacramentis à Christo institutis uti: Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.

Ministeriũ uerbi magnificere, et pios ministros alere: Lucæ 3. Qui uos audit, me audit, Matthæi 10. Qui uos recipit, m

p̄t, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.
Item: Quicumq; potum dederit uni ex minimis istis, calicem
aqua frigida, tantum in nomine discipuli, amen dico uo-
bis, non perdet mercedem suam.

Conferre aliquid de suo ad eleemosynas pauperum. Un-
de Christus uiduam commendat, qua duo era minuta mie-
rebat in gaz ophylacium: Luca uigesimo primo. & Mat-
thæi uigesimo quinto. celebraturum se ostendit in extremo
iudicio liberalitatem in pauperes.

Peccata sunt, superstitiosè seruare sabbatum, ceremo-
niji inherere, ac reliqua opera necessaria sabbathi negligere.
Matth. undecimo. Phariseos eam ob rem increpat Chri-
stus & in alijs locis, Matthæi 15. Frustra me colunt, docen-
tes doctrinas & mandata hominum.

Spernere et conculcare synceros uerbi ministros: Luca
10. Qui uos spernit, me spernit.

Persecutio potentiorum in mundo, qui debebant regem
Christum exosculari: Matthæi 10. Ad præsides & reges
ducemini, propter me.

Eleemosynas Pharisaico modo dare: Matthæi sexto. Ve-
runtamè quod superest, date eleemosynam, & omnia mun-
da sunt uobis: Luc. 11.

Non facere ea quæ doces alios: Matthæi 23. In cathe-
dra Moysi sedent scribæ & pharisei, omnia quacumq; iusse-
runt uobis seruare, seruate: secundum opera uerò eorum
nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

Quartum præceptum.

Ad quartū pertinent opera, honorare parentes, et qui-
busq; eorum loco sunt constituti, Matthæi 15.

Magistratibus dare suum, hoc est, honorè, obedientiam
in reb. ius

in rebus licitis, uestigial & alia. Matth. uigesimo secundo.
Date Cæsari quæ sunt Cæsaris.

Peccata sunt: in Sacrificia, hoc est ceremonias conferre pecunias, & interim non alere ac sustentare parentes. Matthæi 15. Vos dicitis, Quicumq; dixerit patri seu matri, munus quodcumq; est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram.

Maledicere patri aut matri: Matth. 15. Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

Non honore efficere magistratum, non pendere debita, moliri seditiones. Hoc enim notatur ac damnatur in Iudeis, Matthæi uigesimo secundo.

Magistratui obedire in eis quæ sunt contra Deum: Dare Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.

Tertium præceptum.

Ad quintum pertinet bona opera: Diligere se inuicem, et officia dilectionis præstare: Iohannis 10. Hæc mando uobis, ut diligatis uos inuicem.

Diligere inimicos: Matthæi quinto. Lucæ sexto. Diligite inimicos uestros.

Benefacere egenis, esurienti cibum, sitienti potum, peregrino hospiciū præbere, nudum uestire, infirmum uisitare, captiuum consolari ac liberare. Matthæi uigesimo quinto. Lucæ 6. Omni petenti te tribue.

Mansuetudo: Matthæi 5. Beati mites.

Pacis studium: Beati pacifici.

Misericordia: Beati misericordes.

Dimissio ac reconciliatio fraternæ: Si affers munus tuū ad aliatē, & c. uade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens

ueniens offeras munus tuum: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia.

Gladio punire homicidas: Matth. 26. Qui gladium ac cepit, gladio peribit.

Peccata sunt. Mat. 5. occidere, irasci fratri suo, dicere fratri Rachab, dicere Fatue, non reconciliari fratri suo, aut aduersario. & adijciuntur ibi ad unum quodlibet graues conminationes, de pœnis: ut infra recitabitur.

Si magistratus innocentes occidit: ut Herodes Iohannem, Pilatus Christum: Qui me tibi tradidit, magis peccat.

Item, prodere Christum & pios: O Iuda, osculo tradis filium hominis. Item, Se inuicem prodent.

Matt. 25. Esurientem non pascere, sitientem non potare, hospitem negligere, nudum non cooperire, infirmi et in carcerari afflictione non affici, & non consolari.

Prinuata uindicta.

Item, si Ecclesiasticae personæ sibi arrogat usurpationem gladij contra maleficos: Matthæi uigesimo sexto, Reconde gladium tuum in uaginam.

Sextum præceptum.

Ad sextum pertinent: Castè matrimonium colere. Matthæi 5. Beati mundo corde. Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Peccata contra hoc præceptum commemorantur, Matthæi quinto, mœchari: item, concupiscentiæ, seu impuri affectus. Ego, inquit, dico uobis, quòd omnis qui uidet mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.

Facere diuortia aliã ob causam, quàm ob fornicationẽ. Itẽ, legitimè repudiatã ducere: Ego, inquit, dico uobis:

Omnis

Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, & qui dimissam duxerit, adulterat.

Propter uxorem & rem familiarem, negligere regnum Dei, ut ille in parabola: Vxorem duxi, uenire non possum.

Crapula, ebrietas: Luca 21. Videte ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius uitae.

Luxus in uestitu: ut notatur in diuine epulone.

Septimum præceptum.

Ad septimum pertinent, tenere proprium: et comparare bona corporalia iuxta regulã, Quærite primùm regnum caelorum, & cætera omnia adijcientur uobis.

Conferre de suis bonis ad Reipublicæ conseruationem: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Et ad ministerij conseruationem: Operarius dignus est cibo suo: Matthæi 10.

E' suis bonis alios inuare: Luca 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Item, Non amplius quàm cõstitutũ est, ab alijs exigere.

Item, esse contentum suis stipendijs.

Non rapere: Luca 18.

Luca 6. Mutuum date, nihil inde sperantes.

Reddere ei qui est defraudatus: Luca 19.

Peccata sunt, deditum esse Mammonæ, auarum ac tenacem esse: Matthæi 6. Luca 16. Non potestis Deo seruire et Mammonæ. Luca 12. Cauete ab omni auaricia.

Esse infidelẽ dispensatorẽ bonorum suæ fidei cõmissorum Epulari securẽ de bonis suis neglectis pauperibus: ut diues epulo, & alter qui horreum ampliat: Luca 12.

Non esse liberalem in ministerium: Intraui in domum tuam, aquam non dedisti pedibus meis: Luca 7.

Rapere

Rapere bona Christi: ut faciunt milites, mittentes sortem super tunica eius.

Dilapidare bona sua, ut facit Acolastus.

O C T A V V M P R A E C E P T V M .

Ad octauum pertinent, ueritas: Matth. 5. Sit sermo uer, est est, non non. Quod his abundantius est, à malo est.

Humilitas: Matthæi 22. Qui se humiliat, exaltabitur.

Contraria sunt, mendacia: Iohannis 8.

Falsa testimonia dare: Marci 14.

Superbia, quæ continet falsum iudicium de se ipso: Lucae 14. Qui se exaltat, humiliabitur. Lucae 16. Quod hominibus altum est, id abominatio coram Deo est.

Iudicare aut damnare alios temerè: Matthæi septimo. Lucae sexto. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Non loquitur aures de ordinaria & legitima magistratus potestate, sed de priuata & inordinata.

Quærere uanam gloriam hominum. Pharisei & scribæ omnia opera sua faciunt in hoc, ut spectentur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant simbrias palliorum suorum, amantq; primos accubitus in cænis, & primo sedere loco in concilijs, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi: Matthæi 23.

N O N V M E T D E C I M V M

p r æ c e p t u m .

Ad nonum & decimū aliqua ratione etiam pertinent, quæ in quinto, sexto, septimo & octauo posita sunt. Porro huc etiam illa dicta pertinent, quibus cor mundum & ab omnibus prauis affectibus uacuum & immune requiritur: & quibus prohibentur prauis affectus & cupiditates, quibus pro-

bus prohibentur pravi affectus & cupiditates, quibus proximi bonis incommodari solet. Diligas proximum tuum, sicut teipsum: Matth. 23. *Vae vobis scribae & hypocrita, quia purgatis exteriorem poculi patinaeque partem, ceterum intus plena sunt rapina & intemperantia. Item, Foris apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate. Item, Vae vobis scribae & pharisaei, hypocrita, quia comeditis domos viduarum, idque praetextu proluxa orationis.*

Ordinem quendam esse bonorum operum, non tantum ex Decalogo, sed etiam ex pluribus Christi concionibus constat. Matthaei sexto inquit: *Querite primum regnum Dei, & iusticiam eius. Et in orationis forma seriem bonorum operum ostendit. iubet enim initio petere sanctificationem nominis diuini: hoc est, ut Deum uere agnoscamus, conuertamur ad penitentiam, & eius uerbum amplectamur, cofiteamur & celebremus, deinde de alijs commonescit: nempe ut Deum timentes, ab ipsius regimine pendeamus, Ecclesiam eius amemus, foueamus ac propagemus, & in sanctitate opera uocationis expediamus: ut auariciam uitentes, corporalia ab ipso expectemus: credamus remissionem peccatorum: Diaboli insidias effugiamus: ac spem certam liberationis aeternae teneamus. Matth. 22 inquit, maximum & primum mandatum in lege esse, diligere Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota mente: secundum autem simile huic, diligere proximum sicut seipsum. Item: Caesari sua, ac Deo sua reddenda esse docet: nec confundenda opera, nec tribuenda creaturis quae Deo conueniunt. Lu. 10. Vnum est ne cessarium: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. ubi studium audiendi ac discendi uerbum Dei reliquis operibus, corpori potissimum seruientibus, anteponi.*

Moralia quoq; ut uocantur, opera, sicuti supra commemorauimus, ceremonialibus anteferuntur. Matthæi 12. Misericordiam uolo, & non sacrificium. Matthæi 23. Decimatis mentam, anethum, cuminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiã et fidem. Hac oportet facere, & illa non intermittere.

Externa opera humana industria fieri posse, Christus concedit. Nam Matthæi quinto non inficiatur, Phariseos habere quandam iusticiam: uerum non perfectam. Luc. 18 quædam enumerantur, ut non rapere alijs, neminem manifesta iniuria afficere, non contaminare se adulterio, ieiunare bis in Sabbato, decimas de omnibus pendere: sed interiora negat humana diligentia fieri posse, eo quod natura humana sit deprauata. ac docet, patrem, se et spiritum sanctum esse eorum causam efficientem. Iohannis 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Affirmat igitur, fidem in Christum esse opus Dei patris in uobis, nec comparari humana solertia. Ioh. 17. Patry sancte, serua eos in nomine tuo. Item: Sanctifica eos in ueritate tua. Quare uera de Deo doctrinã assentiri, & sanctitatem percipere, non est nostrarum uirium opus, sed Dei: qui intercedente filio, pectora nostra uera doctrinã & sanctimonia illustrat. De Christi auxilio, Iohannis decimoquinto scriptum est: Sicut palmes non potest ferre fructum de semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Preclara hæc est sententia, qua docet Christus, quid humana uires in operibus interioribus ualeant per sese, absq; Christi adiumento: nempe nihil aliud, quam quod palmes à uite refectus. Ex uite igitur uigor ille efficax in palmitem ascendit, ut botros suos gratissimo succo distentos proferre queat. Repetit

autem aliquoties eodem in loco hanc suam sententiam, ne quis putet ei temerè quasdam uoces excidisse: Sine me, inquit, nihil potestis facere. Item: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcumq; uolueritis petetis, et fiet uobis. Coniungit ad inuocationis opus duo: nempe suum auxilium, & uerbum suum. Verbo enim uoluntatem patris reuelat, ac per id medium pectora hominum ad ueram inuocationem exuscitat, ne quis sibi entusiasmos & inspirationes Christi absq; uerbo fingat. Item: Ego elegi uos, & posui uos, ut eatis & fructum asseratis.

De spiritu sancto dicitur Iohannis 16. Spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Iohannis 14. Dabit uobis paraclitum. Matthæi decimo. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Quapropter cognitio ueræ doctrinæ, habere pacem in conscientia coram Deo, & in arduis tentationibus ac periculis consistere, ipsamq; uitam pro IESU Christo, eiusq; doctrina profunderè, ipsius spiritus sancti opus est, corda hominum gubernantis, & luce tam excellenti accendentis. Concurrunt igitur in hisce operibus omnium summis, Deus uerbum, uoluntas humana, tracta à Deo per uerbum.

Hinc iam intelligi potest, qui nam bona opera prestare possint, nempe existentes in Ecclesia Dei uerba, ubi per uerbum sincerum Deus pater, filius et spiritus sanctus est efficacax. Clarè enim affirmat Christus, extra se neminem posse fructus bonos facere, Iohannis 15.

Inde est quod docet Christus, tantum iustificatos bona opera, quæ uerè sic dici merentur, prestare posse: reliquos non item. Matthæi. 7. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit,

mala

mala autem arbor fructus malos facit. Non potest autem arbor mala bonos fructus facere, neq. arbor bona malos fructus facere. Bona indolis & frugiferas arbores per similitudinem appellat homines renatos seu iustificatos, hoc est, qui remissionem peccatorum per fidem in Christum iuxta certas & reuelatas promissiones acceperunt, ac spiritu sancto donati sunt. Contra, malæ ac steriles arbores uocantur, ignari uerbi diuini, nec regenerati, quantumuis rationis acumine & sua illa disciplina excellât, ac uel hespero (ut ille ait) formosiores coram mundo appareant. Docet igitur, primò necesse esse, ut indole bona arbores prædita sint, ex qua suauis & grati fructus gignuntur: qua si destituta fuerint, nihil nisi acidum & amarum quiddam proferent. Est autem homo non renatus, quauis inculta ac syluestri arbore agrestior et ferocior: nec potest eiusmodi opera præstare, qualia Deus exigit. Eadem figura utitur Christus Matthæi duodecimo. Luca sexto. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Item: Bonus homo de thesauro profert bona, & malus homo de thesauro malo profert mala. Perspicue docet Christus, oportere nos prius bonos fieri, hoc est regenerari, iustificari, spiritu sancto illustrari, quàm facultatem bene operandi nanciscamur. Iohan. decimoquinto. Ego sum uitis, uos palmices: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Prius igitur in Christo sit necesse est, qui bona opera uult facere. Item: Ego elegi uos, & posui, ut fructum asseratis. Matth. decimo octauo. Prius gratis absoluitur: seruus, deinde requiritur ab eo dilectionis opera er-

ga suum conseruum: quæ cum non exhibeat, seueriter puni-
tur. Luca. 1. *Ut sine timore de manu inimicorum liberati ser-
uiamus illi.* Duo hæc sententia proponuntur. Primum, ho-
mines sub crudelissimis inimicis uerè captiuos esse, nec pos-
se donec illis uinculis constricti sunt, Deo seruire: alterum
est, Christum nos in libertatem asserere: qua accepta, po-
stea opera Deo grata incipiamus facere. Matth. 3. Luca 3.
Facite fructus dignos penitentia. Proponitur hoc loco con-
uersio uera, deinde fructus subsequuntur. Soli igitur creden-
tes, seu iustificati, idonei sunt ad præstanda opera uerè bo-
na, Deoq; placentia.

Porro quomodo placeant credentium opera Deo, licet
mutila sint, & ex hac imbecilli natura, in qua adhuc lutum
peccati heret, plurimum sordium secum trahant, ex prædi-
ctis intelligi potest: nempe, fide in Christum. Oportet enim
nos statuere firmiter, Deum nobis reconciliatū esse, & im-
putare iusticiam gratis, absq; omni nostro merito, tantum
propter Christū: sicut inquit Christus, *Venite ad me omnes
qui laboratis.* Item, *Qui credit in eum, habet uitam æternā.*
Deinde & hæc persuasā nobis esse debent, inchoatam &
imbecillem hanc obedientiam, iuxta uerbū Dei præstitam
propter mediatorem IESUM Christum placere. Iohannis
decimoquinto, *Si manseritis in me, & uerba mea māserint
in uobis, quodcumq; uolueritis petetis, et fiet uobis.* Manere
in Christo quid aliud est, quàm credere in eum? Verba Chri-
sti in nobis manere, est promissionibus gratiæ potissimum
inniti. Iohan. 16. *Ipse pater amat uos, quia uos me amastis
& credidistis.* Totius igitur amoris Dei, quo nos, nostraq;
opera paternè & clementer accipit, causa est Christus, in
quem credimus. Preces etiam ad Deum patrem in nomine

suo iubet influere, hoc est, fide in ipsum: ut statuamus, ipse umbraculo & merito nos placere, & benignè audiri preces. Iam si inuocatio in nomine Christi placet, quod est opus longè excellentissimū: idem de reliquis rectè assēneri debet. Nec temerè factū est, quod in orationis formulam, & quidem in medium, ceu in ipsum inuocationis (ut sic dicamus) cor, sit inserta hæc petitio: Et dimitte nobis debita nostra. Nam ex ingenti misericordia propter Christum, quem fide apprehendimus, necesse est nos beneficia Dei omnia accipere: & hac ipsa misericordia, in qua, fide propter Christum nitimur, necesse est regi nostra opera, ac paterno affectu approbari. Ex eodem fundamēto etiam perspicuum est, fidem oportere omnibus operibus prælucere: Si quid petieritis, modò credatis, fiet nobis. Debet igitur & ad reliqua referri.

Non esse perfectā opera hominum, hoc est, non satisfacere legi Dei, quæ perfectissimam obedientiam ex totis uiribus iustè requirit, ex dictis Christi & historijs manifestum est. Primum externam Phariseorum iusticiam, quæ certè non erat uulgaris, non esse absolutā, Christus sæpè testatur. Matth. 5 inquit, credentiū iusticiā oportere esse præstantiorem & uberiorem quàm scribarum & Phariseorū. Matth. 23. quasi definit eam iusticiā externā, quod inquit: Decimatis mentam, anethum, cuminum: sed grauiora legis intermittitis. Significat igitur, ipsos tantum ceremonia lia & externa quædam præstare, quæ nequaquam sint integra legis impletio. Et clarius paulo post: Similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum, omniq̃ spurcitiis: sic & uos, foris quidem apparetis hominibus iusti, intus

autem pleni estis fictione & iniquitate. *Matthæi 9.* cui-
dam admodum præsumptuose dicenti, Omnia hæc custodi-
ui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Christus argu-
tè respondebat: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia
quæ habes, & da pauperibus. hæc ipsa re eum deducens ad
agnitionem suæ fœdæ auaritiæ, cui tam profundè immer-
sus erat, ut beneficentiæ erga proximum prorsus esset obli-
tus, ac potiores longè haberet suas diuitias, quàm agnitio-
nem & confessionē Christi. Eadem ratione superciliosum
Pharisaum retundit Christus, sicut *Luce 10* scriptū est, qui
se ipsum uolebat iustificare: cum tamē nondum didicisset,
quis esset suus proximus, multò uerò minus ei debita officia
præstauerat. & *Iohannis septimo*: Non' ne Moyses dedit uo-
bis legem? & tamen nemo ex uobis, factis præstat legem.

Neq, uerò credentium aut iustificatorum opera esse pla-
nè perfecta: neq, legem Dei, ipsorum inchoata obedientia
posse impleri, idem Christus docet. Nam in oratione Domi-
nica omnes, quantumlibet magnis uirtutibus fulgētes sem-
per, donec hac mortali uita funguntur, iubet petere, Dimi-
te nobis debita nostra, unde quid aliud cōycias, quàm etiā
iustificatos adhuc peccata habere, & sua obedientia lege
Dei satisfacere non posse? *Luce 17.* Si feceritis omnia quæ
præcepta sunt uobis, dicite, Seruī inutiles sumus: quod de-
buimus facere, fecimus. Negat discipulos sibi perfectam le-
gis obedientiā uendicare posse, licet plura quàm alij fece-
rint. Quare semper hæc sentētia uera est, *Iohannis 1.* Ex ple-
nitudine eius nos omnes accepimus, gratiā pro gratia. Non
igitur ex nobis, sed ex Christo habemus plenitudinem, seu le-
gis exuberantem satisfactionem. Consonāt etiam exempla,
Iohannes Baptista inquit, Iohan. 1. Cuius ego non sum di-
gnus

gnus ut solvam corrigiam calciamenti. Et in historia Euan-
gelica saepe imbecillitates & peccata Apostolorum annotan-
tur, ut nos moneant de eorum imperfectione in hac uita.

Nunc opera precium est, summa qua potest fieri diligen-
tia obseruare, quales fines Christus bonis operibus iustifica-
torum attribuat. Remissionem peccatorum, seu imputatio-
nem iusticiae ac salutem, nusquam operibus humanis siue ex
parte siue ex toto adscribit: sed tantum asserit, eam ex se,
suoque beneficio ac merito, gratis contingere credentibus. Lu-
ca 24. praecipit, ut tantum in suo nomine remissio peccato-
rum praedicetur. Ioannis 3. Sic Deus dilexit, &c. Et Bapti-
sta inquit: Ecce agnus Dei, tollens peccata mundi. quo ser-
mone testatur, tantum immolatione huius uictima, sine ad-
iumento operum humanorum, peccatorum remissionem pa-
rari ac donari. Item: Ex plenitudine eius (non inquit, ex
nostra, tanquam partiali) omnes (non, quidam tantum) ac-
cepimus, gratiam pro gratia.

Habent tamen & credentium opera amplissimos fines,
propter quos fieri debeant: ut, Propter mandatum Dei. Po-
stulat enim Deus obedientiam ab omnibus. Matthaei 3. Fa-
cite fructus dignos poenitentia. Ioannis 15. Hoc est praece-
ptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Item:
Posui uos ut fructum feratis. Ioannis 8. Vade, noli amplius
peccare. Nequaquam igitur ad iaphoron est, accepta gratis,
fide, remissione peccatorum, postea secundum praecepta Dei
uiuere, uel non.

Secundo, ut Deus operibus credentium glorificetur. Sic
luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra
bona, & glorificent patrem uestrum, qui in caelis est.

Tertio ut confessio extet, fides reluceat, et consistatur:

Breuit̄, ut sint indicia ac testimonia fidei, quæ etiam proximo fiant nota, eiꝝ causam ad celebrandum Deum præbeant. Matthæi 5. hæc omnia præcedenti fini copulantur: Vos estis, inquit, lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, supra montē posita: neq; accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Luceat igitur lux uestra, & c. Math. 7. Ex fructibus eorū cognoscetis eos. Additur & ratio: Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala aut arbor malos fructus facit. Matth. 12. Ex fructu arbor cognoscitur: Progenies uiperarū, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Quarto, propter præmia huius & æternæ uitæ, quibus simul dignitas bonorum operum comprehenditur. Etsi enim opera iustificatorum remissionem peccatorū, gratiã coram Deo, & salutem non merentur, tamen suauissimæ promissiones proponuntur, quæ etiam studium benè operandi excitare debent. Matthæi quinto: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malū aduersus uos, mentiētes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cælis. Mat. huius 6. Pater tuus qui uidet in abscon-

dito, reddet tibi in manifesto. Matthæi decimo: Omnis qui
 me confitebitur coram hominibus, confitebor et ego eum
 coram patre meo, qui in cœlis est. Item: Qui perdidit ani-
 mam suam propter me, inueniet eam. Item: Qui recipit uos,
 me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui
 recipit prophetã in nomine propheta, mercedẽ propheta
 accipiet. Et qui recipit iustũ, in nomine iusti mercedẽ iusti
 accipiet. Et quicumq; potũ dedcrit uni ex minimis istis, calã
 cem aqua frigida tantum in nomine discipuli, amẽ dico uo-
 bis, non perdet mercedẽ suam. Mat. 18. Mar. 9. Luc. 17. Qui
 susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me susci-
 pit. Item: Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut soro-
 res, aut patrem, aut matrem, aut uxorẽ, aut filios, aut agros
 propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æter-
 nam possidebit. Matth. 25. Euge serue bone & fidelis, qui
 super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, in ira
 in gaudiũ Domini tui. Item: Omni habẽti dabitur, et abun-
 dabit. Ibidẽ Christus inquit, se celebraturũ in nouissimo iu-
 dicio opera credentium, et in uita æterna compensaturum.
 Esuriui enim, dicit, & dedistis mihi cibum: sitiui, dedistis
 mihi potum: hospes eram, & collegistis me: nudus, operui-
 stis me: infirmus, uisitastis me: in carcere, uenistis ad me.
 Item: Amen dico uobis, quicquid fecistis uni de his fratri-
 bus meis minimis, mihi fecistis. Quã potest esse maior ope-
 rum dignitas? Matthæi 7. Luc. 6. Date, & dabitur uobis.
 Mensuram bonam & confertam, & coagmentatam, & su-
 perfluentem, dabunt in sinum uestrum. Lucã 14. Cũ fa-
 cis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos: &
 beatus eris, quòd non habent unde tribuant tibi. Retribue-
 tur enim tibi in resurrectione iustorum. Iohannis 13. Qui
 accipit

accipit, si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, eum qui me misit, accipit.

Quinto, ne incidamus in atroces pœnas. Excuitur enim malis operibus gratia, fides, Spiritus sanctus: nisi rursus ad Deum cōuertamur, ac per Christum ueniā precemur. Deinde aliàs quoq; impœnitentiā et iniquitates punit Deus. Matthæi tertio & septimo, Lucæ tertio & sexto: Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor que non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Item: Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matthæi quinto: Vos estis sal terræ. Quod si sal stupidus fuerit, quo salietur? ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Item: Qui occiderit, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Item: Esto consentiēs aduersario tuo cito, dum es in uia cum eo, ne forte tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerē mittaris. Amen dico tibi, non exibis, donec reddas nouissimum quadrantem. Item: Omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est in corde suo. Matthæi sexto: Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Matth. 7. Lucæ 6. Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Item: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matt. 10. Marci 4. Lucæ 9. & 12. Qui negauerit me coram hominibus, negabo et ego coram patre meo qui in cœlis est. Matt. 11. Dico uobis, quod de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Item ait, Diabolum ad do

mum uacuum reuerti, stipatum alijs septem se nequioribus, & efficere ut posteriora fiant multo peiora prioribus. Matthæi 22. Rex audiens suos seruos male accipi & tractari, misit exercitiibus suis, perdit homicidas illos, et ciuitatem illorum succendit. Item: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matthæi 18. Qui scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Item: Vt homini, per quem scandalum uenit. Item, seruus qui non erat misericors erga conseruum, amittit accepta bona, & aeternæ damnationi adiudicatur, addita conclusione: Sic & pater meus cælestis faciet uobis, si non remisistis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Matthæi 23. Qui se exultat, humiliabitur. Mat. 25. Seruum inutilem reijcite in tenebras exteriores. Item ait se puniturum peccata: Quicquid non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Lucæ decimo septimo. Non ne decem mundati sunt, nouem ubi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo. Ioh. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, collit. Item: Si quis in me non manserit, mittitur foras sicut palmes, et arefcit, et colligunt eum et in ignem mittunt, et ardet. Huc etiam pertinet exempla pœnarum, quibus impij affecti sunt propter contemptum uerbi, & alia scelera.

Contraria bonis operibus sunt peccata contra totum Decalogum, quæ proculdubio causa sunt ingentium pœnarum presentis & aeternæ uitæ: qua de re modo testimonia sunt collecta. Deinde pugnant traditiones, seu opera humana, si quis adstruitur opinio cultus, de quibus Matthæi decimo quinto

quinto dicitur. Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Præterea hypocrisis, quæ magnificat opera externa, & proprijs operibus perfectionē ac laudem iusticiae adscribit. Damnatur autem à Christo Matt. sexto. Cùm misericordiam facis, noli ante te tuba canere, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Item: Cùm oratis, non sitis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Matthæi decimoquinto: Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem uestram. hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matthæi 23. Væ super ipsos pronunciat, eo quod ceremonialia præferret moralibus, sibiq; falso iusticiae laudē tribuerent. Luc. 18 ait Christus, phariseū cum sua operū iusticia, cuius persuasione tumebat, damnatū in iudicio Dei esse. Nec tribuendam esse salutem operibus humanis, ex dictis de meritis Christi sole meridiana, quod dicitur, clarius est. Ipse enim tantum saluum fecit populum suum à peccatis suis: ipse uenit perditos saluare, legem implere, uitā parare & donare. Huc pertinet et illud, quod in nouissimo die quærent iusti: Domine, quando te uidimus esurientē, & pauius te? sitientem & potauimus? sicut indicat Christus ipse, iudex istius iudicij futurus. Salutem igitur suam iusti non collocarunt in opera: aliàs hoc ipsum in eo loco fassuri, neque eorum opere extenuaturi essent.

Postremò, compendij uice in hoc loco uisum est adijcere parabolam à Christo propositam, de patrefamilias ac denario, in qua pleræq; operum causæ pulchrè commemorantur, ac ueluti

ac ueluti in pictura demonstrantur: Matthæi 20. Primum, omnes sunt ociosi, dominum, uineam & opera ignorantes, ac premijs omnibus destituti per se: id quod totum genus humanum, quale quidem nunc est, depingit, nempe quod uera bona opera nemo ex suis naturalibus uiribus possit præstare. Venit autem paterfamilias, ipse nimirum Deus, uere paterfamilias in hac amplissima domo, quæ ipsemet extruxit, nempe mundo, ac uocat operarios. Ea igitur est causa efficiens honorum operum, nempe Deus, uocans uos suo uerbo, quod ipsemet protulit in mundum, & nunc ministerio conseruat ac tradit. Mittit autem in suam uineam, hoc est, in Ecclesiam. Nam extra Ecclesiam nulla bona opera fieri possunt. Et ad certos labores eos mittit, nempe ut uineam colant, non euellant, non destruant, non fodiant res alias. Talia enim opera præstanda sunt, quæ ipse Deus præcipit: nec debet aliquid suscipi proprio arbitrio.

Vocat autem diuersis temporibus, nec labores sunt pares: hoc est, uocatio Ecclesiæ fit omnibus temporibus. Deinde, sicut dona, ita & opera uariant: alijs alio plura & excellentiora habet.

Finalis causa præmia sunt, quibus labores compensantur: uerum in ijs gratiâ suam uult lucere Deus, eo quod pluribus ex gratuita beneuolentia, quàm ex merito, præmia largiatur. Succenset præterea paterfamilias, hoc est Deus, ijs qui suam liberalitatem ægre ferunt: maiusque meritum exigunt, quàm labor aut conuentio postulant: hoc est, qui dignitate suorum operum superbientes, gratiam fastidiunt. At insuper, suum hoc esse, quod donct, ac si iure uelit agere, ne nihilum quidem se nobis debere, qui nos totos sibi debemus. Depinguntur igitur hic quasi uiuis coloribus hypocritæ, ac desiniuntur, quid sint: nempe operarij tantum, pon-

duſ & aſtū diei ſuſtinentes, et præmia ambientes: & quidem maiora à Deo exigentes, quàm meruerunt: expoſtolantes cum Deo, quòd æqualia diſtribuat ijs qui non æqualiter laborauerint. Sed effundunt iſti ſuperbi obmurmuratores gratiã Dei ac cū ſuo denario iubētur abire. Non igitur in hac parabola agitur de ſalute, uel eius merito, non de uita æterna: ſed de denario, id eſt, corporalibus præmijs.

Haſtenus præcipue partes in doctrina de bonis operibus ſunt expoſita. nunc quia ſpecies quædam paulò latius patent, & uberius à Chriſto ſunt explicatæ, uisum eſt eas continuò hic attexere.

DE INVOCATIONE Dei.

Veram Dei inuocationem non eſſe cuius notam, nec tantum ex naturali noticia prouenire, neq; etiam ijs qui ſunt extra eccleſiam, cum uera Eccleſia Dei communem eſſe, hæc diſta teſtantur. Iohan. 4. Vos adoratis, quod neſcitis. Iohannis 16. Viſq; modò non poteſtis quicquam in nomine meo. Videtur enim taxare Chriſtus ipſorum imbecillitatem, quod hætenus nõdum uera fiducia in Chriſtum, ſeu in nomine ſuo potuerint inuocare. Lucæ 11. Domine doce nos orare. Eſi autem hæc uox de forma orationis, principaliter intelligi uideatur: tamen ſimul totam inſtitutionem de uera inuocatione comprehendit, cuius in Iudaismo diſcipuli Chriſti fuerant ignari. Præterea ſine uera Dei noticia, ſine Chriſto, ſine fide in ipſum nõ poteſt fieri uera inuocatio. Nemo nouit patrem, niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et Iohan. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Iohan. 16 præcipit, ut tantum in ſuo nomine oratio fiat. Sed iſta omnia nullus hominum nouit, niſi ſi ſit

si sit pars Ecclesie Christi, et ex uerbo patefacto didicerit. Proinde inuocatio Dei non est opus naturale, sed quodam Ecclesia Christi tantum ex certo uerbo Dei, illustrante Spiritu sancto, discitur.

Esse autem hanc Dei uoluntatem, quod uelit inuocari, Christus perspicue adseuerat. Iohan. 4. Pater, inquit, tales querit, qui adorent eum. Proponit & mandatum sapius: Matthæi 7. Petite, & accipietis. Coniungit promissione, etiam summis assueuationibus tanquam iuramentis confirmatas, Iohannis 16. Et Christus omnes se inuocantes exaudit, formulam insuper orandi tradit: quæ quidem omnia ex sequentibus dilucidiora fient.

Ex ipsa etiam patet, quid sit inuocatio: nempe uerum Deum serio cordis, motu, gemitibus, & ore cõpellare, in nomine & fiducia mediatoris IESU Christi: ac petere rem certam, siue spiritualem, siue corporalem, iuxta uoluntatem patefactam: certoq; siatuere, suas preces exaudiri, ac certum auxilium iuxta reuelatam uoluntatem impetrari: uel beneficia Dei in nos uel alios collata, cognoscere, magnificare, eiq; gratias agere. Attendant autem pijs lectores ad sequentes partes: tum facile intelligent, ex perspicuis testimonijs eiusmodi definitionem extrahi. Ideo autem probationes hic omittimus, ne eadem nimis crebro repetere cogamur.

Oportet autem uerum ac certum Deum inuocari, Christus hoc dicto indicat: Iohannis secundo. quarto. Nos adoramus quod scimus.

Quis sit inuocandus, et quò cor & querela nostra sint dirigenda, Christus & exèpla docent. Ad patrem autem ut plurimum oratio iubetur fieri: Matt. 6. Luc. 11. Orantes, inquit, dicite: Pater noster qui es in caelis, Non angelum, uel

Q patriar

patris archam, aut prophetam mortuum, sed patrem tantum iubet invocari, & quidem eum patrem qui sit in cælis, hoc est, præstò sit, possit ac velit promptissimè audire: Matth. 6. Nunquam enim non est in cælis: id quod phrasi Hebraica significat, eum, ubicunq; cæli sunt, hoc est omnibus in locis, præsentem esse. Item: Ora, inquit, patrem tuum. & Ioh. 4. Veri adoratores, adorabunt patrem. Iohannis decimoquinto & decimosexto. Qui quid petieritis patrem. Christus ipse aliquoties patrem compellat. Ioh. 12. Pater clarifica me hæc hora. Iohan. 17. Pater uenit hora. In passione, in horto ac cruce, patrem in sua ardentissima inuocatione exprimit. Quod etiam filius possit ac debeat invocari, exëpla docent. Matthæi 8. et quidem sæpe hæc forma describitur, Misere mei fili David: Matth. 15. & 20. Iohannis 20. Thomas ad Christum inquit, Dominus meus & Deus meus.

Spiritum sanctum quoq; posse ac debere invocari, uel ex Baptismi uerbis colligi potest. Scriptum est Matth. 4. Deuteronom. 6. Dominum Deum tuum adorabis, eiq; soli seruias. Sed spiritus sanctus etiam Deus est, unà cum patre & filio, sicut uerba baptismi habent: Ergo & spiritui sancto inuocatio tribuenda est.

Coniunctim quoq; Deus, hoc est, ille qui unus est in essentia & trinus in personis, inuocandus est: sicut testimonium modò recitatum testatur, Dominum Deum tuum adorabis. Lucæ 18. Deus propitius esto mihi peccatori. item: Deus faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se. Matth. 9. Rogate Dominum messis: & si de patre rãtum uideatur accipi, tamen in genere ad Deum referri potest. Sic Maria in suo Cantico, Zacharias Lucæ 1. & Simeon Lucæ 2. suas preces ad Deum referunt, & trinitatem simul

compre-

comprehendunt. Et huc pertinet integra de Deo doctrina,
quam supra commemorauimus.

Quomodo preces faciendæ sint, Christus nos instruit:
nempe fide. Matthæi 21. Omnia quæcunque petieritis in
oratione, credentes, accipietis. Eadem uerò Iob. 14. 15. & 16.
hac phrasi explicat, Quicquid petieritis patrem in nomine
meo. Hoc est, Orantem oportet statuere fide, se habere pro-
pitiū Deum, propter mediatorem Christum: & propter
eundem se exaudiri, & accipere res necessarias. Debet igitur
in precibus mentio fieri Christi, & in eum tota mentis fi-
ducia collocari. Nam fides, ut supra dictum est, respicit mi-
sericordiam & meritum Messæ. Sicut etiam hac orationis
forma restatur, Misere mei fili Dauid. Sic publicanus
orat: Deus propitijs esto mihi. Flagitat igitur Deus eius-
modi humiliationem, & implorationem misericordiæ per
Christum. Nam pharisæus sine pœnitentiâ ac fide orans,
apertè condemnatur à Christo. Et quidem certò statuendum
est, nos exaudiri, & consequi res nobis necessarias atq; uti-
les. ideoq; addit Marci undecimo: Credite quod accipietis.
Prohibet igitur dubitationem. Ibidem: Cum stabitis ad
orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, uel
pater uester qui est in cœlis, dimittat uobis peccata uestra.
Vult tales inuocare Deum, qui agunt pœnitentiâ, nec
perseuerant in peccatis contra conscientiam. Inde & Iohan-
nis nono dicitur à cæco, cui uisum Christus restituerat: Sci-
mus, quod peccatores Deus non exaudit: sed si quis Dei cul-
tor est, & uoluntatē eius facit, hunc exaudit: hoc est, agen-
tem pœnitentiâ. Eodem spectat & hoc Christi dictum
Iohannis 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis,
quodcumq; uolueritis petetis, & fiet uobis.

Tantum eos posse preces ad Deum facere ostendit, qui uerbum Dei sequuntur, nec manet in dilectis aut erroribus contumaciter. Iob. 4. inquit. Veri adoratores, adorabunt patrem in spiritu & ueritate: hoc est, spiritualibus motibus, & uera noticia Dei & uoluntatis ipsius. non renati, nec spiritum nec ueritatem habent: Ideo nec recte Deum inuocare norunt. De formulis autem inuocationis paulo post.

Aliquid certi à Deo esse petendum, & quidem omnis generis res nobis necessarias, modo non sint impie, esse petendas, his dictis Christus docet: Iohannis decimoquinto. Quodcumq; uolueritis, petetis. Matthæi 18. Si duo consenserint ex uobis super terram, de omni re quacumque petierint, & c. Matth. 21. Omnia quacumq; petieritis. In primis autem orationis formula, quam ipse Christus dictauit, non tantum simpliciter nos admonet, quod certe res à Deo sint rogandæ: sed ueluti in illustri tabula res ipsas optimo ordine distribuit, & comprehendit: nempe quod primo ordine res spirituales à patre sint expetendæ, quales sunt, nominis diuini sanctificatio, regni ac gubernationis ipsius in nobis aduentus, ut faciamus ea ad quæ conditi sumus, Deoq; grata sunt. Postea etiam res corporales à Deo petere debemus, quæ panis uocabulo omnes comprehenduntur: pertinent enim ad huius caduce uitæ conseruationem. Et hic inseruit Christus rursus petitionem rerum spiritualium, nempe remissionis peccatorum: idq; hoc consilio, ut sciamus, etiam in corporalibus oportere fidem, petentem ueniam peccatorum, & misericordia gratuita sese fulcientem, præluere. Deniq; rogamus, ut Deus nos ab insidijs diaboli, & alijs calamitatibus clementer custodiat: & ex hac ærurnarum uale liberatos, in æternam beatitudinem colloquet. Rerum igitur pe-

tur petendarum catalogus & series ex hac epitome rectè sumi potest. Separatim tamen etiam de quibusdam rebus extant sententiæ, ut de rebus spiritualibus hæc sententiæ loquuntur, Lucæ undecimo. Pater uester cælestis dabit spiritum sanctum petentibus se. Matthæi 9. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam: Domine adauge nobis fidem. Matthæi 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. De corporalibus rebus sunt pleraq; petitiones eorum, qui miraculosas liberationes à Christo acceperunt. Exposita clade, quæ manebat Hierosolymam, Christus subiungebat: Orate, ut non fiat fuga uestra in hyeme, uel sabbato. Matthæi uigesimo quarto. Subijcitur & concioni de nouissimis temporibus, ista cõmonestatio, res spirituales & corporales complectens. Lucæ uigesimo primo. Vigilate, inquit, omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Orandum porro esse non tantum pro se, uerum etiam pro alijs, ex oratione quam uocamus Dominicam liquet. Vult et pro inimicis nos orare Christus, Matthæi quinto. Lucæ sexto. Orate pro persequentibus & calumniantibus nos, ut sitis filij patris uestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

De corporalibus autem peculiariter nos exempla docent, quod cum conditione sint petendæ: ut nimirum uoluntati diuinæ ea permittamus, nosq; ad patientiam offeramus. Matthæi octauo leprosus ait: Domine, si uis, potes me mundare. Tribuit sanè Christo uoluntatem & facultatem, sed nihilominus, tanquam in re corporali, uera humilitate se ei

Subijcit, ut si iudicet sibi sanitatem non expedire, auxilium differat. In horto Christus ter iterat hanc orationis formam: Pater, si est possibile, transeat calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis.

De corporali sustentatione suauissimas consolationes, & quidem argumenta quibus fidem in rebus uictui necessarijs erigere uult, proponit Christus: Matt. 6. Dico uobis, inquit, ne solliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis: neq; corpori uestro, qd induamini. Nonne anima pluris est quàm esca, & corpus pluris est quàm uestimentū? Respiciite uoluntaria cæli, quomodo non ferunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cælestis pascit illa. Nonne uos multo pluris estis illis? Quis autem uestrum, cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant, neq; nent. Dico autem uobis: Quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unū ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit: quanto magis uos, modica fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnibus indigeatis. Querite ergo primum regnū Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies, sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malicia sua. Luca 12. que de uolucris dicuntur, sic effert: Considerate coruos non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum: & Deus pascit illos. Alludit autem Christus ad illud quod Psalm. 147 dicitur: Qui dat inuentis escam ipsorum,

rum, & pullis cornorum inuocantibus eum. *Matt. 4. inquit Christus, ex Deuter. 8. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei.*

Neminem mora auxiliij debere frangi, sed alacriter instare petendo, hac parabola Christus docet Luca 18. Erat, inquit, in ciuitate quadam iudex: is nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Vidua autem in eadem ciuitate erat, que ad ipsum accedens: Vindica, inquit, me de aduersario meo. Verum iudex per longum tempus nolbat. Postea uero dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reueror, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicare eam, ne deniq; ueniens sugillet me. Audite, inquit Christus, quid iudex iniquus dixerit. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico uobis, cito faciet uindictam illorum. Accommodat autem Lucas eam parabolam, & ait eam à Christo dictam, quòd oporteret semper orare, & non deficere. Christus etiam suam orationem in horto ter repetit.

Formulas orandi liberas esse, nec quenquam ad certa uerba esse adstrictum, uel hæc narratio ostendit, quòd Iohannes discipulos suos docuerit orare: Christus uero haud dubie nõ secutus Iohannis uerba, alium modum tradiderit, ad quem nec ipse quenquam alligauit. Placent Christo & paucula ac simplicia uerba, eorum qui auxilium eius implorant. Cum autem haud dubie nõ sit frustra à Christo hæc formula prescripta, & singulari diligentia ab Euangelistis commemorata, frequenter sanè nos ea uti decet. Nam citra uerborum ambages rotunda breuitate complectitur omnia, quibus indigemus siue ad hanc, siue ad sequentem uitam pertinentia.

Alia forma sunt tales, quales cuiusq; necessitas & fides genuit. Vt Matt. 8. Domine si uis, potes me mundare. Item: Domine dic uerbum solummodo, & sanabitur puer meus. Matth. 9. Domine, filia mea modò defuncta est, sed ueni, impone manum tuam super eam, & uiuet: Item: Misereere nostri fili Dauid. Matth. 14. Domine saluum me fac. Matthæi 15. Misereere mei Domine fili Dauid, filia mea à dæmonio uexatur. Item: Domine adiuua. Matth. 17. Domine misereere filio meo, quia lunaticus est. Formulæ Christi sunt Iohan. 12. Pater clarifica me ex hac hora, sed propterea ueni in hanc horam, pater clarifica nomen tuum. Iohan. 17. prolixissima oratio, qua applicat Christus suum beneficiû toti mundo, describitur. In horto inquit: Pater mi, si possibile est, transeat calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. In cruce, Lucæ 23. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: Pater, commendo spiritum meum in manus tuas. Hæc recensentur, ut uideant pij lectores, Deo placere ea uerba, quæ ipsa necessitas nobis suggerit.

Rationem, quare breuiter sit orandum, admodum elegantem, et solatio plenam Christus cõmemorat: Scit enim, inquit, pater uester, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo, & reprehenduntur proluxæ orationes Pharisæorum, Matthæi sexto.

Non esse orationem ad ullum locum alligatam, Iob. 4. Christus docet: Mulier, inquit, crede mihi, quia ueniet hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Matthæi sexto: Tu cùm oraueris, intra cubiculum tuum: & clauso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto.

Vult tamen interdum Deus, in cœtu piorum preces fieri: sicut, Matth. 18 inquit. Si duo conseruerint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis. Orat in loco deserto Christus, Marci 1. Lucæ quarto, Matthæi decimoquarto, Marci 6. dimissa turba, ascendit in montem solus, ad orandum. In monte pernoctat in oratione Dei, Lucæ 6. Solus orat Christus, Lucæ 9. Matt. 26.

Gestus describuntur, quòd Christus orās in cœlum aspexerit, Matthæi decimoquarto, Iohan. decimosextimo: Item positus genibus orat, Lucæ uigesimo secundo: Verùm quod ad gestus attinet, nullum est præceptum traditum: siquidem leprosi in itinere stantes Christum inclamant, & opitulationem petunt. Postea unus redijt, procidit in faciem ante pedes IESU.

Non tantum autem mente orandum, sed etiam uerba quædam proferenda esse, Christus monet, inquiens: Orantes dicite: hoc est, uult etiã aliquando uerba recitari, in quibus exposita nostra necessitate, imploremus opem Dei.

Traditæ autem sunt maximè insignes & amplissimæ promissiones à Christo, quæ in inuocatione memoria repeti & attentè considerari debent. Matthæi sexto: Scit pater uester cœlestis, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo. Item oratio Dominica, quam Christus uult nos recitare, simul luculentam continet promissionem. Iubet nos Christus ista petere: ergo certum est, quòd pater ea uelit largiri Matthæi 7. Lucæ 11. Petite, & dabitur uobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si pisces petierit,

nunquid serpentem porriget ei? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filiis uestris: quanto magis pater uester qui in caelis est, dabit bona petentibus se? Luca 1. Angelus Zachariae nuncium adfert, suas preces a Deo exauditas esse. Luca 18. Deus facit uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, ac patientiam habebit in illis. Ioban. 14. Quodcumq; petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Ioban. 15. Quodcumq; uolueritis, petetis, et fiet uobis. Quodcumq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Iob. 16. Amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Idem confirmant et exempla, quod Christus omnes, quotquot eius auxilium implorarunt, clementer adiuuit.

Effectus orationis sunt, consequi res desideratas, sicut oratio Dominica eas ordine exponit: quae sane maximi momenti sunt, & potest eas quilibet expendere. Oratione saluatares doctores impetrari, Christus docet Matthaei 9. Spiritum sanctum: Luca 11. Conseruationem fidei: Luca 22. Visitationem paenarum: Matthaei 24. Defensionem contra tentationes: Matthaei 26. Prostitutionem diaboli: Matthaei decimosextimo: Hoc genus demonij non eicitur, nisi oratione & ieiunio. Iohannis 16. Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Liberationem ex periculis, & a morbis, sicut exempla in historia Euangelica non pauca extant.

Causae orandi plures sunt, quae in concionibus Christi proponuntur: utpote mandatum Matthaei 7. Iob. 16. Petite, inquit, et accipietis. Non igitur relinquit cuiquam liberum

rum. & in horto serid iubet eos inuocare Deum. Secundo, promissiones suauissima cum summa asseueratione prolata, & quidem per ipsum filium Dei, quem iussit pater audiri. Tercio, habemus talem, in cuius nomine, hoc est merito ac fiducia, possimus inuocare, quiq; se mediatorẽ præstat. Esti igitur nos sumus indigni, tamen in nomine Christi Deum habemus beneuolum & largum opitulatorem. Quarto, necessitas nostra summa. Indigenus enim singulis momentis diuino auxilio. Quinto, pænæ ingentes nos commouere debebant, si non orauerimus. Nam sine oratione, res in oratione Dominica comprehensas habere non poterimus: quibus si destituamur, quod potest esse nobis arduosus? Pingit etiã calamitates istas typus de malis spiritibus in uocã atq; ociosam domũ agminatim incurfantibus. Item in horto Christus monet, non orantes expositos esse tentationibus.

Contraria uerã inuocationi Christus esse docet: Non adorare uerum Deum, Ioh. 4. Vos adoratis quod nescitis. Dicitur igitur Christus Samaritanorum inuocationem. De cæteris quoq; Iudæis inquit Ioh. 6. Non nouerunt patrẽ, neq; me. Idololatria, seu flexis genibus adorare Satanã, propter regna huius mundi: contra illud, Dominũ Deum tuũ adorabis, Mat. 4. Non in fide, non in nomine Christi adorare: cõtra dictũ Ioh. 16. Si quid petieritis patrẽ in nomine meo. In impænitiã inuocare, Ioh. 9. Peccatores Deus nõ exaudit: scilicet perseuerãtes in delictis cõtra conscientiã absq; pænitiã. Bathologia ethnica, Matt. 6. Orantes nolite multũ loqui, sicut ethnici faciũt: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiãtur. Hypocrisis, ad ostẽtationẽ orare: Mat. 6. Orãtes nõ sitis sicut hypocritæ, qui amãt in synago

gis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Contra uoluntatem Dei petere: sicut mater filiorum Zebedaei rogabat, ut uterq; filiorum Christo ad late- ra sederent. Ad locum post exhibitum Christum preces al- ligare. Iohan. 4. Veniet hora, quando neq; in monte hoc, ne- que Hierosolymis adorabunt patrem. Hisce uerbis discrimina locorum, quod ad preces faciendas, tollit.

Postremò pertinet et gratitudo ad hunc locum, quae est agnitio, & celebratio beneficiorum acceptorum à Deo, ac requirit eam Christus Lucae 17. ubi unus è leprosis purifica- tis reuertitur, Christo agens pro accepta sanatione gratias. Ea uerò res tãto opere placet Christo, ut plura ei dona impar- tiat. Exemplum gratiarum actionis Christus praebet Mat. 11. Confiteor, inquit, tibi pater Domine caeli & terra, quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Contraria est ingratitudo, quam Christus auer- satur, & damnat, Lucae decimosextimo. Non ne, inquit, decem mundati sunt, nouem autem ubi sunt? Non est in- uentus qui rediret, & daret Deo gloriam? Et fauore Chri- sti hi ingrati excidunt.

DE CONFESSIO NE.

Confessionem esse necessariam, ex grauius adhorta- tionibus Christi patet, Matthaei quinto: Vos estis sal terra. Item: Vos estis lux muodi. Non potest ciuitas ab- scondi supra montem posita: neq; accedunt lucernam, & po- nunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat om- nibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram homi- nibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in caelis est. Matth. 7. Omnis arbor bona, facit fructus bonos.

Neccesitas

Necessitas ac premia describuntur Matthæi decimo: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Non confiteri, & peccatum tetrum est, & punietur. Mat. 12. Luc. 11. Qui non colligit mecum, dispergit. Mat. 5. Mar. 9. Luc. 14. Quod si sal stupidus fuerit, quo salietur? Ad nihilum ualet uletra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Matth. 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

DE DILECTIONE PROXIMI,
& dimissione fraterna.

Proximum esse diligendum, ex sententia legis est manifestum, Matt. 22. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Inimicos autem ipse fauore esse prosequendos, diligenter inculcat Christus. Matthæi quinto: Ego dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos. Attexuntur autem rationes. Prima: *Ut sitis filij patris uestri, qui in caelis est.* Secunda: *Deus solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Tertia: *Si diligitis qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? non ne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? non ne & ethenici hoc faciunt? Loquitur & de dilectione Christus, Iohannis 13. Si ego laui pedes uestros, Dominus & magister uester, & uos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum dedi uobis, ut quæ admodum ego feci, et uos faciatis. Item: Mandatum noui do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. In hac cognoscet omnes quod discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ioh. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos.*

Recon-

Reconciliationem et condonationem flagitat Christus Matthæi quinto: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, et tunc ueniens offeras munus tuum. Matthæi sexto, in oratione nobis hanc partem posuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Item: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Matth. 18. Quoties peccabit in me frater meus, et dimittā ei? usq; septies? respondet IESVS: Non septies, sed septuagies septies. Luc. 16. Si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit, ad te dicens, Pœnit et me, remitte ei. Luc. sexto: Esto te misericors, sicut & pater uester misericors est. Item: Dimittite, & dimittetur uobis.

Pœnas quoq; atrocēs comminatur Christus, nisi id fiat, Matt. 5. Esto conseruens aduersario tuo citō, dum es in uia cum eo, ne forte tradat te aduersarius tuus iudici, & index tradat te ministro, & in carcerē mittaris. Amen dico tibi, non exibis, donec reddas nouissimum quadrantem. Mat. 6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Mat. 18. Serue nequā, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, non ne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet uniuersum debitum. Sic & pater mens cœlestis faciet uobis, si non remisieritis unusquisque fratri suo, de cordibus uestris.

Huc etiā pertinet, quod de non iudicando proximo Christus concionatur Matthæi septimo: Nolite, inquit, iudicare.

dicare. De priuato enim loquitur. Rationes sunt. Prima, Ne iudicemini. idq̄ declarat prouerbiali sententia: Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Secunda, quia fieri potest, ut tu magis iudicandus seu reprehendendus sis. Quid uides, inquit festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo? Postea & ordinē prescribit: Eijce primūm trabem de oculo tuo, & tum uidebis ut eijcias festucam ex oculo fratris tui. Traditur etiam utilis regula Iohannis sexto. quæ ad priuatum & ipsius magistratus iudicium pertinet: Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

DE IEIUNIO.

Quadruplex ieiunium meminit historia Christi. Vnum, miraculosum nempe quod Christus integros quadraginta dies in deserto ieiunus māsit, ac cum diabolo luctatus est. Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4. Neq̄ est tale ieiunium ceteris hominibus præceptum.

Alterum est hypocriticum, à Christo damnatum: Matthæi 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareāt hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

Tertium, licitum ieiunium, liberumq̄, ad quod nemo cogi debeat. Sic discipuli Iohannis ieiunabant frequenter, Christi uerò non: nec uult Christus eos propterea accusari, Matthæi 9, Marci 2.

Quartum est, quod ipsa necessitas adfert: nēpe, propter cōfessionē Euangelij inopiā patienter tolerare, de eo Christus loquitur Matt. 9. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu

quandiu cum illis est sponfus? Venit autem dies, cum aufertur ab eis sponfus, & tunc ieiunabunt.

Porro quomodo sit ieiunandum, Matth. sexto indicat: Tu, inquit, cum ieiunas, unge caput, & lava faciem tuam, ne videaris hominibus ieiunās, sed patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto.

De usu ieiunij, Matthæi decimosextimo Christus docet: Hoc genus, inquit, damonij non eicitur, nisi ieiunio & oratione.

DE ELEEMOSYNA SEU
Beneficentia.

Quod debeant pij alios de suis facultatibus inuare, præceptum Christi extat Luca 6. Omni petenti retribue rem: Date & dabitur uobis.

Quibus sit benefaciendum, Luca 14. Christus monet nempe non ijs qui aliās abundant, sed egenis. Cum facis, inquit, prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos & diuites, ne forte & ipsi te remunerent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quod non habent retribuere tibi.

Quomodo sit eleemosyna præstanda, Matthæi sexto scriptum est: Te, inquit Christus, facite misericordiã, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, ut sit misericordia tua in abscondito. Habet etiam beneficentia promissiones de præmijs, Matthæi 6: Pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto. Luca 6. Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagmentatã, & superfluentem dabunt in sinu uestrum. Luca 14. Retribuatur tibi

in resurrectione iustorum. Mar. 12. celebrat Christus paupertatem mulieris beneficentiam, quæ duo minuta in gazophylacium miserat. Crescit elemosyna in quinq; hominum millia collata. Distributis enim inter eos quinq; panibus, & duobus piscibus, duodecim fragmentorum cophini reliqui manent: Matth. 14. Marci 6. Luca 9. Iohannis 6. Item in quatuor millia panes septem et pisciculos paucos dispensat, supersunt autem septem sportæ fragmentorum.

De uera collocatione facultatum, Luca 16 docetur: Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

Contrarium beneficentiæ est, non affici paupertate aliorum, nec iuuare eos. sicut in epulone exemplum depingitur, qui abundans diuitijs & uoluptatibus omnis generis, Lazarum sinit perire fame. & postea audit in flammis inferni constitutus: Memento sili, quod recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolationes habet, tu uerò cruciaris. Luca 16. Auaricia: Luc. 12. Videte & caute ab omni auaricia. Additur autem ibi ratio, quia non in abundantia cuiusquam uita eius est, ex his quæ possidet. Homines cuiusdam diuitis fructus uberes ager attulit, et cogitabat intra se, dicens: Quid faciã, quod non habeo, quod congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, ampliabo horrea mea, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, bona mea: & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deo diues: Contra auaritiam & Matth. 6. Christus docet: Nolite the

R. saurizare

saurizare uobis thesauros in terra, ubi arugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizare autem uobis thesauros in celo, ubi nec arugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Item ait: Non potestis Deo seruire, & Mammona.

DE POENITENTIA SEU CON-
 uersione hominis ad
 Deum.

DE conuersione seu pœnitentiâ locus ex pluribus alijs compositus est, & quidem in primis ex doctrina de lege, de Euangelio ac iustificatione, & de bonis operibus. Iure igitur mox eis succedit. Sciant igitur lectores, superiores locos huc pertinere, & quasi in conuersione hominis coniungi, & ad actum perducî.

Habet autem pœnitentiâ uocabulum duas præcipuè significationes in historia Christi: una, quòd in genere totam conuersionem hominis ad Deum significat: ut Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Matth. 3. Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentiâ. Itē: Baptismo aqua, in pœnitentiam. Marc. 1. Prædicans baptismum pœnitentiâ. Monebat enim Iohannes de peccatorum cognitione, fide in Christum, & de noua obedientia: Matthæi 11. Lucæ 10. In cinere & cilicio pœnitentiam egerunt. Matthæi 12. Lucæ 11. Pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Matthæi nono: Lucæ 5. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. 15. Gaudium erit in celo super uno peccatore, pœnitentiam agente. Lucæ decimo-sexto: Si quis ex mortuis uerit ad eos, pœnitentiam agent.

Huc

Hac uidetur & illud pertinere Luc. 17. Si septies in die peccauerit in te, et septies conuersus fuerit ad te, dicēs, Pœnitet me, remitte illi. Nam pœnitentiæ exemplū statim subiicitur Matth. 18. ubi iisdem ferè uerbis utitur. Et ibi uocatur conuersio: Nisi, inquit, conuersi fueritis, & c. Lucae primo, Multos filiorum Israel' conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Lucae uigesimo secundo, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Altera significatio est aliquanto angustior, quòd pro una parte conuersionis, quæ nunc quidem usitate uocatur contritio, accipitur. ut, Marci primo, Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: hoc est, agnoscite & deplorate uestra peccata, & amplectimini fide Christum, quem Euangelium monstrat. Lucae uigesimo quarto: Prædicate in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Sancit enim ministerium hoc patet, ut lege homines ad agnitionem peccatorum deducatur, & ex uoce Euangelij propter Christum remissionem peccatorum gratis, fide accipiant. Matt. 21. Vos uidentes nec pœnitentiã habuistis, ut crederetis ei. Deniq; Matthæi uigesimo primo, ubi habetur, Pœnitentiã motus abijt: simpliciter de mutatione mentis uidetur intelligi oportere, aut referatur ad priorem classẽ.

Ex rebus ipsis & exemplis huius doctrinæ, definitio pœnitentiæ contexti potest, quæ sit eiusmodi: Pœnitentiã est, salutaris conuersio hominis ad Deum, complectens contritionem & fidem, quam sequitur noua obedientia. Probationes iam in ipsa tractatione sequuntur.

Partes pœnitentiæ seu conuersionis ad Deum, Marci primo exprimitur: Agite pœnitentiã, & credite Euangelio, nempe peccatorũ agnitio, quæ ibi pœnitentiæ nomen ha-

bet, & fides. Eòdem pertinet, quòd Christus in suo nomine mandat, pœnitentiam & remissionem peccatorum doceri: Luc. 24. Còtinentur hæ partes & in hac sententia Mat. 11. Venite ad me omnes. Iubet enim oneratos, hoc est sentientes in conscientijs peccatorum molem, ad se uenire: hoc est, credere & apprehendere oblatam ac gratuitam misericordiam per Christum. Postea addit, Tollite iugũ meum: hoc est, parati sitis ad tolerãtiam in cruce præstandam. Mat. 21. Vos uidentes, nec pœnitentiam habuistis, ut crederetis ei. Duas species pœnitentiæ esse, alteram salutarem, alteram hypocriticam & mortiferam, docet historia Petri, & Iudæ Iscarioth. ille enim agnito peccato fide apprehendit mediatorem Christum, eoq; se consolatur et sustentat: hic uerò agnito peccato desperat, & uitam laqueo finit.

Conuersionem salutarem non esse humanarum uirium, sed ipsius Dei opus, crebrò monet Christus. Luc. 19. Veni filius hominis quærere & saluare, quod perierat. Non dubiũ est, omnes hic actus (ut sic dicamus) conuersionis comprehendendi: quos nemo spontè suscipere potest, nisi à Christo quesitus, ad eos perducatur. Et suauissima pictura sese nobis commendat Christus, quòd inquit, se esse pastorem, errantes ac uagabundas, imò perditas oves quærentem, & ex perditione eripientem. Iohannis 6. Omne quod dat mihi pater, ad me uenit. Item: Omne quod dedit mihi, non perdam. Item: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui mihi me, traxerit eum. Item: Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Iohan. 1. Qui ex Deo nati sunt.

Quod autem per media, nempe uerbum suum, Deus hæc conuersionem operetur, disertè Christus cõmonest facit Matthæi 13. in parabola de semine: item de nuptijs, ad quas con-

uina per uocationem ministrorum ueniunt. Iohannis 6 inquit: Omnes erunt docti à Deo. Item: Omnis qui audierit à patre, & didicerit, ueniet ad me. Mar. 10. Ite, prædicate, inquit, Euangelium omni creaturæ. Luc. 24. Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Iohannis 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Marc. 1. Luca 3. Prædicans baptismum pœnitentiæ. De effectu pœnitentiæ multæ sententiæ loquuntur: ut Matth. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Matt. 7. Omnis arbor bona fructus bonos gignit. Iob. 8. Vade, noli amplius peccare.

DE CONTRITIONE.

Etsi uocabulum cōtritionis non extat in Euangelistis, tamen quia iam uulgò receptum est, nostræ ætatis uocabula applicare liceat. In Euangelistis, pœnitentiæ seu *μετάνοιας* uocabulum pro ea conuersionis parte usurpatur.

Est autem contritio pars conuersionis, qua spiritu sancto nos arguente uoce legis, agnoscimus, secundum Dei iudicium, nostra peccata, & pœnas quas cōmeriti sumus, nempe iram Dei, & condemnationem: ac uerè cohorrescimus & dolemus, tum propter offensum Deum de nobis bene meritum, tum ob pœnas quas trāsgressoribus minatus est: nec animo Epicureo contemnimus Dei uocem nos arguentem, nec pertinaciter excusamus & defendimus peccata per legem Dei nobis reuelata & monstrata, licet fortè rationi non uideantur peccata esse. Ista suppeditat typus Matthæi 18. Seruus non suo arbitrio & iudicio, sed secundum uocem domini debitum æstimantis, agnoscit illud: agnoscit et pœnas, quæ iuste ei debebant irrogari, nec Epicureo contēptu dominū irridet, nec debitū aut negat aut excusat: sed cohor-

rescit, dolet & gemit. Idem ex publicani historia liquet, Lucae 18. qui consternatus in sua conscientia, peccatorum conspectu, irae Dei & poenarum sensu, fatetur se peccatorem coram Deo: non audet suspicere in altum, tanquam sibi pessime conscius: ac iundit pectus, dolens sese tantis facinoribus horribiliter coram Deo conspurcatum esse. Lucae septimo mulier peccatrix lachrymis testatur suum dolorē, quem in corde agnitione peccatorum conceperat. Matthaei 26. Petrus agnoscit lapsum, & à conspectu hominum aufugiens, flet amarē. Simile exemplum contritionis est in Acolasto, & latrone, & Cananea muliere.

Eiusmodi autem agnitionem peccatorum & dolorem, ac seriam humiliationem coram Deo, non sponte nasci in cordibus hominum, sed à Deo excitari, & quidem uerbo ad eam partem destinato, nempe legis ministerio, Christus & uoce tradit, & in exemplis depingit. Lucae 24. inquit: Praedicate poenitentiam. & de Iohanne dicitur, quod praedicauit baptismum poenitentiae: Marci 1. Lucae 3. Iohannis 16. dicit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.

Habes hic contritionis efficientem causam, nempe Spiritum sanctum: & medium, scilicet uocem arguentem, hoc est, patefacientem & damnantem peccata. Lucae 22 scribitur: Et conuersus Dominus, respexit ad Petrum. Et recordatus est Petrus uerbi Domini, sicut dixerat: Priusquam galilus cantet, ter me negaueris. & egressus foras Petrus, fleuit amarē. Cubabat peccatum in Petro, & subinde cumulabatur: sed Christo eum aspiciente, peccatum in conscientia euigilat, & quidem per uerbū prius ab Christo ipsi Petro praedictum. Hinc iam exoriuntur ingentes cruciatus in animo, quae lachrymas ei excutunt nequaquam simulatas. Mat-

ihæi quinto etiam Christus legem exponit, ut discant pharisei sua peccata agnoscere.

Ad exciandam igitur contritionem necesse est, legis sententiam considerari, qua peccata reuelantur: & ea que ad declarandam iram Dei aduersus peccata, et executio legis, proponuntur. cuiusmodi sunt, tota uita et cruciatus omnes Christi, quos propter peccata generis humani sustinuit: sicut monet in itinere cruce suã baiulãs mulieres, ut deplorent seipsas & liberos suos. & præcipue sudor cruentus, in hortu manãs de eius corpore: tristes clamores in cruce: pœnã in Iuda, latrone, & alijs: & cõnationes de tẽporalib. & æternis pœnis. Apud Lucã, de ciuib. in Silo perditis Christus inquit: Nisi cõuersi fueritis, similiter peribitis omnes.

Effectus contritionis sunt, consternatio & anxietas animi: id quod in publicano, Petro, peccatrice, & alijs cernitur. Gestus lugubres, publicanus non audet faciem tollere, progredi in tẽplũ, pectus tũdit. Petrus, & peccatrix mulier lachrymas fundũt: & de Petro in primis literis est traditũ: eũ amare fleuisse. Humiliatio & cõfessio corã Deo: sicut ry pus debitoris demonstrat, & filij perditii. Reconciliari cum parte offensa: Matth. 5. Ablatum restituere. exemplum est in Zachæo & Iuda. Ieiunare: Marci tertio cùm sponus ab eis auferetur, tum ieiunabunt. Sentire ac fateri suam indignitatem: sicut publicanus ait, se esse peccatorem. item Matthæi 11. In cinere & sacco pœnitentiam egissent.

Fines contritionis non sunt, ut ea mereamur salutem tanquam opere: sed ut pareamus uoluntati Dei. Marci 1. Agere pœnitentiam. Vi intellecta nostra indignitate, corã Deo ex animo nos humiliemus, nec fidamus coram Deo nostris operibus: sicut in debitore expressum est, qui ideo

ad agnitionem debiti istius maximi deducitur, ut perspecto debito serio agnoscat & deploret suam miseriam, ac exutus omni dignitate, se coram Domino prosternat. *Ut Euangelij concio, seu beneficium Christi, locum habeat, & magis dulcescet. Matthæi 11. Pauperibus euangelizatur. Matth. 9. Non est opus ualentibus medico, sed malè habentibus. Itè: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. Qui enim propria iusticia cõfidit, iusticiã gratuite per Christũ parta non sunt capaces, sicut histõriã pharisæorũ testatur.*

DE FIDE.

IN conuersione salutari ad Deum oportere succedere conuersioni fidem, euidentia testimonia probant. *Marci 1. copulantur hæc duo: Agite pœnitentiã, & credite Euangelio. Sic Luca 24. Prædicate pœnitentiã in meo nomine, & remissionem peccatorum. Matthæi 11. Venite ad me, qui onerati estis. Rogavi pro te (Petre) ne deficiat fides tua. quo dicto ostendit Christus, fidem esse necessariã homini se ad Deum conuertenti. Consternatis talem impertit absolutionem Christus, Fides tua te saluum fecit. & exigiur fides in innumeris dictis, sicut supra cõmonescimus. Est autem fides, quod etiam supra diximus, fiducia remissionis gratuite propter Christum, iuxta promissiones.*

Fidem porro excitare debent, mandatum Dei: Iohan. 6. Hæc est uoluntas eius, &c. Meritum Christi: nempe quod totius mundi peccata tulerit & expiauerit: Iohannis primo. Quod acceptatio sit gratuita: Iohan. 1. 3. Quod omnibus hominibus ultrò à Deo per uerbum offeratur. Venite ad me omnes: Matthæi 11. Quod omnes uocentur ministerio uerbi, Prædicate Euangelium omni creaturæ: Mar. 16. Summa Christi beneuolentia, quod tanquam pastor benignus oues

puer palantes inuestiget & liberet: Lucae decimoquinto. Sacramenta, quibus & defertur & quasi obfignatur remiffio peccatorum gratuita, per Christum comparata. Reliqua non neceffe est hoc loco repetere, eo quod in loco de fide pleraq; sunt explicata.

DE NOVA OBEDIENTIA.

Is qui fide gratis remissionem peccatorum acceperunt, Christus etiam de uitæ nouitate concionatur, & pœnas comminatur rursus se peccatis sine pœnitentia polluentibus: sicut Matth. 18. in debitore exemplum proponitur. Iohannis 5 inquit: Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare. Cæterum de hoc loco plura, & quæ nos causæ ad bene operandum cohortari debeant, ex doctrina de bonis operibus sumi debent: ac superuacaneum est, hic eadem referre.

Contraria ueræ conuersioni sunt, esse inflatum persuasio ne propriæ iusticiæ: Matthæi 5. Lucae 18. ubi Phariscus ne quæ peccata sua agnoscit, neque in Messiam credit. Huiusmodi iusticiarij pœnitentia non indigere dicuntur, Lucae decimoquinto. Tantum de externa disciplina legem intelligere: Matth. 5. Contumaciter calumniari doctrinam Christi, sicut Iudæi dicunt eum diabolo agitari. Relabi in peccata, deficere à uerâ doctrina: Matth. 12. 18. Alios fascino re falsâ doctrina, uel etiam mimis deterre: Matth. 23. Væ uobis Scribæ & Pharisei, hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec intrare cupientes finitis intrare. Tantum agnoscere peccata, & desperationi se dedere: non credere in Christum, sed desperare, sicut Iudas, Est quæ iudas exemplum imperfectæ seu falsæ pœnitentiæ, eo quod non se erexit fide in Christum.

Causæ generales, quæ omnes mortales ad ueram pœni-

rentiam mouere debent, passim in Euangelica historia commemorantur: nempe mandatum Dei, Matthæi 3. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Ideo etiam præcipit, ut prædicetur suo nomine pœnitentia, & remissio peccatorum. Gaudium Dei & angelorum super conuersione peccatorum, Luc. 15. Dico uobis, gaudium erit in cœlis, item coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui pœnitentia non indigent. Clementia Dei erga peccatores, & promptitudo accipiendi: sicut in seruo, Matt. 18. in filio perduto, Lucæ 15. in latrone, Lucæ 23. & similibus exemplis declarauit. Omnium necessitas. Omnes enim sumus caro, Iohan. 3. & nisi renascamur, non poterimus regnum cœlorum consequi. Commoda maxima, quæ inde sequuntur: ut iustificatio, Lucæ 18. Possessio regni cœlorum, Matthæi 18. Iohan. tertio. Pœna, si non pœnitentiam agamus, Matth. 18. Ni conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Lucæ 13. Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerim, quia talia passi sunt? Non, dico uobis: sed nisi pœnitentiæ habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloah, & occidit eos. Putatis, quòd & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico uobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Matthæi 23. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus deserta. Luc. 10. Cœpit Iesus exprobrare ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ uir-

tutes eius, quia non egissent pœnitentiam. *Va tibi Coraz in, uae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone facta fuissent uirtutes, quae factae sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Caper naum, quae usque in cœlum exaltata es, usque in infernum descendes. Exempla pœnitentiæ supra in loco de iustificatiõ: enumerata sunt.*

DE BAPTISMO.

Quo efficaciores essent promissiones gratiæ, ceremonijs etiam quibusdam externis eas quasi uestiuit Christus, ut nimirum in omnium oculos incurrerent, et sensus etiam ipsos conuincerent: certoq; omnibus cõstaret, applicare fide utentibus ijs ceremonijs remissionem peccatorum gratuitam, per Christum. Pertinent igitur ista ceremoniæ diuinæ ad articulum iustificatiõis, quæ & illustrat & confirmant. Sed audiamus, quid de baptismo in Euan gelica historia sit traditum.

Vocabulum baptisimus, significat tinctionem, seu lotionem, à Græco uerbo βαπτίζω. Sic Mar. 7. capitur de Iudæa lotione: *Nisi baptisentur, non comedunt.* Interdum et Hebraica phrasi afflictiones, tribulationes ac passiones significat: Matthæi uigesimo. Marci decimo. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum: & baptisimate baptisari, quo ego baptisor? Respondent, Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, & baptisimate quo ego baptisor baptisamini. Hic, calix & baptisma pro cruce tum Christi, tum Apostolorum accipitur.* Item Lucæ duodecimo: *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coartor usque dum perfici-*

perficiatur? Aliàs uerò significat ceremoniam, qua aqua uerbo coniuncta est, et regeneratio efficitur: *Matth. ultimo, & alijs locis, quorum iam in hac doctrina mentio fiet.*

*Si tota de baptismo doctrina excutiat, & quasi in compendium redigatur, apparet, Baptismum esse externam actionem à Christo ipso in nouo Testamento institutam, ut uidelicet aqua tingantur seu lauentur omnes homines, in nomine patris, & filij, et Spiritus sancti: adiuncta promissione gratiæ, quod credentibus in baptismo salus gratuita seu remissio peccatorum, seu regeneratio applicetur, sicut ea quæ nunc subijciuntur latius demonstrabunt. Docet igitur Christus, unde sit baptismus: nempe è cælo, hoc est, immediate à Deo institutus. *Matthæi 21. Marci 11. Luc. 20.* Et Iohannes ipse inquit, se non temerè baptismum capisse, sed missum esse, ut baptisaret in aqua: *Ioh. 1.* Ibidem etiam describitur serua & magnifica pharisæorum legatio ad Iohannem baptisma administrantē ad Iordanē, ut sciscitarentur, quâ auctoritate eam ceremoniã inchoaret. Verùm ipse respondet, se diuinitus missum: & quidē esse uocē in deserto clamantē, de qua *Esaias capite 40* prædixerit. Postquam autē resurrexit Christus ex mortuis, iamq; cælum assensurus, ministerium docēdi & spargendi Euangelium ad omnes creaturas ordinaret, ipsemet suo ore etiam baptismum sancit: *Euntes, inquit, docete omnes gentes, & baptisate eos in nomine patris, et filij, et spiritus sancti.* Est igitur baptismus diuina ceremonia, à Christo immediate mandata, ut omnes gentes ea initiarentur. Adest autem omnibus aetatibus, ubicunq; hæc ceremonia iuxta uerbum Christi administratur, ipse pater, filius & spiritus sanctus, efficaciam illi lauacro salutari impartientes, ac regenerationem perficien-*

res. Quo quidem quasi consilio quid dignius aut augustius esse potast? Non enim tantum operatione, uerùm substantia etiã hæc personas adesse, suauissimum dictum, quod mox annectitur, à Christo testatur: Ecce, inquit, EGO uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consumationē seculi. Iohannis tertio, uocatur baptismus regeneratio ex spiritu. Vocatur etiam consilium Dei, Lucæ septimo. Pharisei inquit, & legisperiti consilium Dei spreuerūt contra semet ipsos, non baptisati ab eo.

Personæ quæ Christo exhibito hæc nouam ceremoniam administrarunt, sunt, Iohānes: ab hac ceremonia etiam nomen sortitus, ut Baptista uocaretur. Nam is paulò prius, quàm suum publicum docendi munus IESVS Christus asspicaretur, hanc ceremoniam mandato diuino extra Hierosolymã ad ripã Jordanis inchoabat, contra uoluntatem Pontificum Hierosolymitanorum, obstinatè Christum aspernantium, Matth. 3. Mar. 1. Iohannis primo. Scriptum est Ioh. 3. quòd & IESVS baptisari: uerùm capite 4. corrigi seu explanat Euangelista, quod ibi dixerat. Quamquam, inquit, IESVS non baptisaret, sed eius discipuli. Efficientē itaq; causam in eo notare uoluit, quod Christum baptisasse affirmat. Deniq; & ijs qui Euangelium in totum orbem terrarum efferre debebāt, baptismi administratio simul demandatur, ac perpetuo cum ministerio copulatur, quod (sicut suo loco dicitur) saluo ordine seu ὁρίσεια omnibus credentibus est commune.

Materia seu elementum expressè à Christo nominatur & designatur, nimirum aqua: Iohannis tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Et Baptista idem exprimit Matthæi 3. Marci 1. Lucæ tertio. Ego, inquit, baptiso aqua.
Iohan.

Iohan. primo. Misit me baptizare aqua. Actorum primo: Iohannes baptizavit aqua.

Formam etiã ipsam, qua uelit baptismum ubiq; tractari & accipi, disertè Christus explicat & præscribit *Mat. ult. Baptizate, inquit, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hic enim cum solus sit uerus Deus, in actione baptismi uult agnosci, & quidem nominari: qui regenerationem in homine, cui baptismus confertur, pro sua immensã misericordia & potentia efficiat. Et cum sit planè miraculosum ac diuinum opus, cumq; dona cœlestia et æterna distribuatur, cum feriat Deus pactũ æternũ hac ipsa cerimonia cũ hominibus, uult se inuocari nominatim, sicut se patefecit: uult se celebrari et prædicari, ne mutè aut clandestinè sint actiones: uult repeti et inculcari cunctis hominibus doctrinã de Deo: & hisce amplissimis beneficijs, quæ per baptismum præstat, uult omnes cum reuerentiã tractare, & suscipere baptismũ, eiq; adesse, ubi tam propè sit Deus, & miracula omnium summa iuxta uerbum suum operetur, nẽpe regeneratione hominis: ne quis eam actione tanquam uile aut inane contènat, sed singuli in tota uita plurimi suum baptismum, quòd uerbum cum baptismo pulchrè copulatur. Nam Christus inquit, *Matt. 28. Docete omnes gètes, baptizantes eos. Mar. 16. Prædicate Euangeliũ omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit. Et de Ioanne narratur. Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3. eũ prædicasse baptismũ pœnitentiæ. Hinc manifestum est, Ioannẽ non temerè baptismi ceremoniã contulisse: sed prius prolixè auditoribus exposuisse, qd sit baptismus, unde sit, cur expetendus omnibus, quomodo et quibus prosit. Ioh. 3. Christus baptismum appellat renascentiã ex aqua & spiritu Quibus uerbis copulat clemētum, et efficaciam spiritus sancti.**

Huc

Huc igitur et promissiones referende sunt, actioni isti annexæ. ut Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Iohannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Item, Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et de baptismo Iohannis dicitur, quod in remissionem peccatorum factus sit.

Non igitur tantum corpore obluionem, tanquam rem externam accipi necesse est, uerum etiam fide: quia promissiones gratiæ huic actioni externa adiunctæ sunt, totam actionem cum promissionibus apprehendi oportet, sicut Christus docet Marci decimosexto. Qui crediderit, & baptizatus fuerit.

Monet etiam Christus, qui sunt baptisandi: nempe omnes gentes, quæ quidem de Euangelio suo docentur: Matthæi uigesimooctauo. Marci 16. Ac necessitas, quæ omnibus hominibus incumbit, Iohannis 3 exponitur. Quod natum est, inquit Christus de carne, caro est. Item: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnū Dei. Caro phrasi scripturæ opponitur spiritui, ac significat substantiam hominis cum uiribus suis deprauatam, & sordidatam: quæ quidem talis est, ut non habeat locum in regno cælorum, nisi regeneretur. omnes igitur qui regni cælorum participes fieri debent, necesse habet baptisari. Matthæi 3 dicitur: Baptisabantur in Iordane, confluentes peccata sua. Item Marci 1. & Lucæ tertio quod Iohannes prædicauit baptismum penitentia. Itaq; baptisandi sunt agentes penitentiam, non obstinate perseverantes in contemptu uerbi & ipsius Dei, alijsq; tetris scelerib. Non quosuis igitur Iohānes temerè admisit, sed eos tantū qui testaretur manifestè, se agnoscere sua peccata, & fide Christum amplecti.

Hæc

Hæc exploratio ac testificatio, seu confessio in adultis, quales Iohannes tum baptisabat, etiamnum necessaria est.

At hic iam quæstio oritur, an sint infantes quoque baptisandi? Quod autem sint, ex uerbis Christi non obscure elici & intelligi potest. Dicit enim Matthæi 18. Non est uoluntas patris uestri qui in cælis est, ut pereat unius de pusillis istis. & ait, eos in se credere. Item Matthæi 19. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ut ad me ueniant: talium est enim regnum cælorum. Cùm igitur promissiones de possessione regni cælorum, tam benignè pueris tribuat Christus: non est dubium, quin etiam hæc ceremonia & tessera promissionis ad infantes pertineat. Idem ex concione Iohannis 3 extruitur: Nemo potest regnum Dei intrare, nisi per aquam & spiritum regeneratus: sed infantes, ait Christus, regnum cælorum intrare, Matthæi 18. Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Item Matthæi 19. Talium est regnum cælorum. Itaq; cùm de carne nati, & caro sint, ipsos quoq; baptismo renasci necesse est. Etsi autem Apostoli, priusquam rectius edocti essent, paruulos arcere à Christo conarētur: tamen reprehenduntur, & postea spiritu sancto autore & gubernatore haud dubiè & infantes baptisarūt: sicut Origenes, Cyprianus, & alij testantur, ab Apostolis eam consuetudinè baptisandi infantes ad posteritatem quoq; transmissam esse. Verùm hæc inferius suum habebūt locum.

Semel autem baptismum accepisse satis est: siquidem non mādatur repetitio, neque iterata legitur. Nam de exemplo quod in Actis occurrit, secundo libro dicitur.

Fines atq; effectus baptismi Christus docet præstantes, ac maximi momenti esse: nempe quod baptismo applicetur,
donec

doneatur & confirmetur regeneratio. Iohan. 3. Aqua & spiritu renasci oportet. Applicatur, donatur, & confirmatur hoc lauacro salus, Marci 16. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Adfert baptismus facultatem introeundi in regnum caelorum: Iohannis 3. Applicat, donat, & confirmat remissionem peccatorum: Marci 1. Lucae 3. Prædica bat baptismum penitentiae, in remissionem peccatorum.

Adfert novos motus, utque noua obedientia inchoetur. Io. 3. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Baptista inquit: Ut manifestaretur (Christus) in Israel, propterea ego ueni aqua baptisans. Testatur non tantum baptismi testimoniâ Christo exhibito ferri, sed etiam beneficia ipsius conferrâ & applicari.

Non posse autem res tantas ratione humana apprehendi, historia de Nicodemo, qua Iohan. 3. descripta est, docet. Audita enim ista propositione, oportere homines renasci, alioqui neminem consecuturum regnum caelorum: Nicodemus inquit, Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Verum Christus postea rem declarâs, inquit: Ne mireris, quod dixerim tibi, Oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Iterum inquit Nicodemus: Quomodo possunt hæc fieri? Respondet Iesus: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amè amen dico tibi, quod scimus loquimur, et quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis: quomodo si dixero uobis caelestia, credetis? Hæc uerbis Christus postulat, ne res istas diuinas ratione humana metiamur, sed fide comprehendamus: & posthabitis absurdis, quæ ratio humana hic parturit, tan-

um in uerbo diuino ipsius Christi firmiter consistamus. Nam si rationi hac antea nota fuissent, quid fuisset opus filium Dei ea proferre?

Dignitatem atq; efficaciam baptismi cōmendat etiam historia illustris, quod ipsemet Christus à Iohanne in Iordane baptisari uoluit. Etsi autem non opus habebat ad regene rationem baptismo Christus, ut in cuius natura labes nulla erat: tamen ob maximas causas proculdubio hoc lauacrum subiit, id quod hoc breui dicto significat Matth. 3. Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iusticiam. Apparet, à tota trinitate hoc fuisse prius decretum, quod in hac ceremonia Christus quasi initiandus esset, priusquam ad suum ministerium publicè accederet: ac simul notum fieret, ipsum hunc Christum huius admirandæ ablutionis causam & autorem existere: præterea, quod Deus in baptismose se uellet illustrius & blandius reuelare toti hominum generi, quàm unquam antea in mundo factum fuisset. Tres enim distinctæ personæ hic se se patefaciunt. Pater è sublimi cælo clara uoce hanc sententiam profert: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est. Spiritus sanctus sicut columba è cælo descendit, atque in Christum residet. Ipse filius Dei unda Iordanis tingitur, manu Iohannis Baptistæ. Tantus honor nulli unquam ceremoniæ accidit. Sunt quidè sacrificia accensa, flamma è cælo erupente: templum Hierosolymitanum caligine impletum est: uerùm hic Maiestas diuina distinctè se cognoscendâ præbet. Estq; testimoniū, has tres personas semper adfuturas baptismose, iuxta institutionem usurpato.

Colliguntur etiam ex actione baptismi quædam significationes. Vt lotio externa significat peccatorum sordes co-

ram Deo ablui: uerum non tantum significat, sed eam und operatur, ut dictum est. Mersio in aquam significat tribulationes, quas credentes ex Satanæ regno erepti subeunt. Significat & lotio uitæ nouitatem, & monet ne peccatorum sordibus pij sese inquinent.

Manere peccati radicem seu morbum in natura hominis, etiamsi baptismo reatus, (ut iam loquimur uulgo) sit sublatus, uel orationis formula Christus satis docet, in qua iubet nos orare quotidie omnes, Dimitte nobis debita nostra: id quod non foret necesse, si penitus ex natura peccata per baptismum extirparentur.

Quod ad baptismum Iohannis Baptista & Apostolorum attinet, ministerio et efficacia prorsus cõueniunt. Nam à Deo Iohannes missus est, ut hanc nouam ceremoniam aspiciaretur: & baptismo Iohannis remissio peccatorum applicabatur, Mar. 1. Luca 3. ac tum quidem omnes in exhibitum Messiam baptisabantur. Tantum autem Iohannes se et Christum distinguit his uerbis: Ego quidem baptisõ aqua, ille baptisabit spiritu sancto & igne, quibus uerbis testatur, se tantum esse ministrum baptismi: efficaciam autem tribuere, esse opus Christi. Item prophetat, Christum sese excellenter reuelaturum, uisibiliter missõ spiritu sancto: id quod ipso die Pentecostes postea completum est, & Christus ipse ante ascensionem Actorum i. inquit: Audistis ex me, quoniam Iohannes quidem baptisauit aqua: uos autem baptisabimini spiritu sancto, post dies hosce non multos.

DE CLAVIBVS EC-
clesiæ.

Ecclésiæ à Christo traditas esse clauis regni cælorum, uerba Christi sine ambiguitate docent Matthæi 16.

S 2 Ego

Ego dabo tibi claves regni cœlorum. ac rem ipsam non tantum in citato loco exprimit, sed etiam Matthæi 18. Bis igitur ante passionē hæc uerba repetita sunt: post resurrectionem uerò, singulari Maiestate, ac dono in super addito, tertio collata sunt. Nam postquam discipulos (typum Ecclesiæ gerentes) afflasset, inquit: Accipite spiritum sanctum. Et Matth. 18. disertè Ecclesiæ fit mentio, quòd ea summam habeat potestatem contra impœnitentes. & mox attextitur: Quorum ligaueritis, & c. Respicit igitur hæc collatio clauium non tantum ad discipulos, qui non soli sunt Ecclesiæ: sed ad totam Ecclesiam, seu ad omnes credentes.

Non autem personale priuilegium fuisse, hoc est, quòd tantum Apostolis tributum fuisse, declaratio quæ cap. 18 Matthæi descripta est, satis explicat: Si, inquit, duo ex uobis consenserint super terram. Item, Vbi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sic igitur oratio est communis Ecclesiæ, ita & clauium potestas. alioqui oratio quoq; erit personalis: hoc est, tantum ad Apostolos pertinens. Præterea ministerium uerbi, remissio peccatorum, & omnia beneficia Christi, non sunt personalia, sed toti Ecclesiæ Christi communia: claves autem sunt distributio remissionis peccatorum, aut eorum retentio, iuxta uerbum: Itaq; eas Ecclesiæ Christi uniuersæ conuenire, non est dubium.

Sunt autem claves, sicut ex perspicuis testimonijs & tota hac doctrina patet, potestas à Christo Ecclesiæ suæ collata, iuxta suum uerbum, cui libet agere pœnitentiã, in nomine, mandato atq; efficacia Christi soluendi aut remittendi peccata, uel impœnitentibus eadē autoritate ligandi ac retinendi peccata. Hæc iam per partes explicabuntur. Caterum claves

regni cœlorū metaphoricè appellatur, & propter effectum: item propter res ipsas. Non enim est potestas gladij, sed matris familiars, quæ cuncta administrat ad suorum emolumentum.

Duplices esse clauēs Ecclesiæ, uerba Christi apertè testantur. Affirmat enim se clauēs, & non clauem tantum dare. Deinde distinctè nominat ligationem seu retentionem peccatorum, & solutionem seu remissionem peccatorum. Verbo autem istas clauēs administrari debere, res ipsa docet. Non enim de politica uolentia, sed uerbi ministerio agit Christus. Nunc de speciebus ueram doctrinam ex uerbis Christi colligemus.

De clauē Ecclesiæ, qua ligantur seu retinentur peccata: Siue de excommunicatione, ut uulgo uocatur.

Quod Ecclesiæ sit tradita potestas retinendi ac ligandi peccata aliquib. ex uerbis Christi constat. Dicit enim Matthæi 16. Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis. Idem Matthæi 18 repetit, ac uult impœnitentes pro ethnicis ac publicanis haberi. Iohan. 20 inquit: Quorū reueneritis peccata, retenta sunt.

Hinc etiam simul constat, clauem ligantem peccata iuxta uerbum, non esse humanum inuentum, sed institutionē immediatè à IESU Christo profectam: sicut uerba modò recitata declarant. Ac Deum ipsum eam ligationem per ministerium exercere, ipsa uerba cōmonefaciunt. Dicit enim Christus, Erit ligatum in cœlis: hoc est, Deus ipse hoc iudicium exercet, ac pro rato habet. Matt. 18 ait, Se in medio eorum futuros, qui de aliqua re consenserint. Et quidem

hæc promissio mox collationi clauium subijcitur. Iohannis uigesimo. Spiritum sanctum insuflando prabet: ea re mouens. spiritum sanctum utriq. clauis ad futurum.

Consistit autem ea clauis in ligatione. seu (ut in Iohanne explicatur) retentione peccatorum: quod nihil aliud est, quam negare talibus Deum esse propitium, negare tales esse heredes uitæ æternæ, palam et expressè indicare iudiciū Dei: nempe tales esse in potestate Satana, destinatos æternæ iræ & condemnationi, nisi conuertantur.

Ordinem uerò Christus Matth. 18 tradidit: Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus est fratrè tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quòd si non audierit eos, dic ecclesia. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. De priuatis delectis hic propriè concionatur Christus. In publicis uerò, notorijs et atrocibus, priora quædam non possunt habere locum. In genere tamen Christus docet, peccatores esse comonefaciendos de pœnitentia: deinde, iudicium de peccatis ad Ecclesiam pertinere: tertio, ecclesiam seu personas ab Ecclesia delectas debere peccatores comonefacere, ac sententiam contra ipsos palam pronuntiare. Oportet enim manifestam ac publicam actionem esse, quam Ecclesia suscipit: & ita quidem, ut alij quoq. tam pertinaces peccatores, pro impijs & abscessis membris Ecclesie haberi queat. Relicta est igitur Ecclesie forma, qua peccatores admoneantur, et tandè publicentur, quibuscunq. tandè id fiat uerbis, modò non sint cõtra uerbū Dei: ut talis homo à reliquis possit cognosci, & tanquam cõtadium quoddam pestiferum uitari.

Qui

Qui sint ligandi, hæc ipsa commemoratio Matthæi 18. indicat: nempe peccatores, & quidē pertinaces. in quibus habent locum, non tantum publici, sed & priuati, sicut docet Christus: Si peccauerit in te frater tuus.

Nec tantum generalem esse sententiam hanc peccatorum ligationem, ut quando in genere recitatur dictum Iohann. 3. Qui non credit, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Matthæi 7. Discedite à me omnes qui opera mini iniquitatē: Sed etiam specialem erga certos actionem et promulgationē manifestā talis iudicij erga eos, quod peccata ipsis sint retenta, ac sint Satanae mancipia, nisi agant penitentiam, eadem uerba Christi Matthæi 18 testantur, et ad speciem debere applicari, peculiari institutio ostendit. Christus enim inquit: Quorum retinueritis peccata.

Docet præterea & de fine atq; effectibus clauis ligantis Christus, nepe quod non sit uana uox, ac rē solūmodo uerbe rans: sed quod uerè coram Deo ligatio ista pondus habeat. Matth. 15. 18. Quaecūq; ligaueritis super terram, ligata sunt in caelis. Iohannis uigesimo. Quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Quod talis ligatio eiusmodi homines separet è cœtu Ecclesiæ, & serio fugiendi ac uitandi sint, Matthæi decimo octauo. Sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Est autem hoc tum usitata Iudæorum phrasi dictum, qui ethnicos & publicanos pro ijs habeant, qui non essent membra uera Ecclesiæ, quos à suis cœtibus arcebant: quorum etiam aliàs consortium, ne ab ipsis polluerentur, uitabant: breuiter, quorum salus erat desperata, nisi conuerterentur.

Exempla ligationis istius, siue excōmunicationis, in genere quidē esse possunt: grauiſſime istæ execrationes, pronuntiate in scribas & pharisæos hypocritas, Mat. 23. ubi dicit:

Vae uobis scribae & pharisaei: eamq; uocem aliquoties iterat, postea addit: Serpentes, genimina uiperarum, quomodo fugitis à iudicio gehennae? Eiusmodi condemnatione etiam Baptista in phariseos & Sadduceos pronunciat: Progenies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Item: Iam securis ad radicem arborum posita est. Videtur etiam illa heroica Christi purgatio templi Hierosolymitani, excommunicationis specie habere. Si quis tamē malit has seueras increpationes à ligatione illa speciali, quae Matthaei decimosexto, decimooctauo, Iohannis uigesimo sancta est, separare, suo fruatur iudicio. Exempla quae propriè huc spectant, libro sequenti exponemus.

Contraria uera ligationi sunt: excommunicatio, quam falsa Ecclesia seu titularis, ut sic dicamus, sibi arrogat contra ueros doctores, uera dogmata, aut uerè pios, iustaq; facta. Sic Iohannis decimosexto, Christus praedicit Apostolis, & cunctis credentibus, quod è synagogis sint ipsos eieturi: hoc est, censura eorum qui in regimine Ecclesiastico auctoritate praecellent, ex ipsorum communionem excludentur, Iohannis nono dicitur. Iam conspauerant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Hac bruta fulmina monet Christus floccipendenda esse, & fortiter in confessione pergendum. Hac, inquit, locutus sum uobis, ut non scandalisemini. Sic Ioh. 9. caecus Christo testimonium perhibens eicitur ex synagoga.

De Clauē Ecclesiae soluente seu remittente peccata, seu de absolute tione, ut uulgo uocatur.

Quod etiam hanc potestatem habeat Ecclesia Christi, ut cuiuslibet agenti poenitentiam, remissionem peccatorum possit

possit annunciare, seu soluere peccata, itidem ex uerbis Christi supra commemoratis patet. Et is tribuit Ecclesie suae hanc potestatem, qui remissionem peccatorum suo sanguine peperit: nempe Christus Matthaei 16. 18. Quaecumque solueritis super terram, erunt soluta in caelis. Iohannis 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur. At datur quidem spiritus sanctus, ut hanc quoque partem, adiuet. Marci 2. Audientes Scribae, Iesum paralytico peccata dimittentem, dicunt: Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Sed Christus respondet, Filium hominis habere potestatem in terra dimittendi peccata. Idq; confirmat miraculosa paralytici curatione. Apostoli ac reliqui iuxta mandatum Christi peccata aliquibus soluentes, ministri sunt: ac ualet remissio propter uerbum Christi, quod ad nos sonat.

Consistit haec clavis in solutione seu remissione peccatorum, neq; est ad aliquam certam formulam alligata, modo mandatum ac promissio Christi ibi sonent. Sicut enim alias in ministerio uerbi remissio peccatorum in nomine Christi proponi debet, ut praecipit ipse Luc. 24. ita etiam in usurpatione huius clavis.

Applicat autem haec clavis cuilibet in specie solutionem, seu remissionem peccatorum, sicut uerba testantur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Nam de specie hac uerba accipienda sunt. Estq; simul uniuersalis expressa, & quod gratis contingat. Pœnitentiam autem agentibus hanc clauem tantum prodesse, non est dubium. Dispensantur enim hac clauē beneficia Christi: & Christus affirmat, se peccatores uocare ad pœnitentiam, ut supra annotatum est.

Formulas hasce ipse Christus usurpauit Matthaei nono: Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Deinde crebro oc-

currit hæc forma: *Fides tua te saluum fecit. Semper enim & in corporalibus beneficijs simul hanc remissionem peccatorum comprehendit. Lucae 23. Hodie mecum eris in paradiso. Iohannis 8. Vade noli amplius peccare.*

Videtur praterea receptio publica publicorum peccatorum peculiariter esse à Christo tradita, ut in parabolis de oue perdita & grosso amisso significatur. Non enim satis est, inuenisse ouem errantem, aut recuperasse drachmam amissam: sed cum inuenit, inquit Christus, ouem, imponit in humeros suos gaudens: et ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Idem de drachma narratur. Apparet igitur, pœnitentiam publicorum peccatorum pijs indicandam publicè, ut et ipsi hoc sciant, latentur ac Deo gratias agant. Item Matthæi quinto, reconciliationem cum fratre offenso præcipit Christus: ea uerò non potest fieri in publicis scandalis, nisi Ecclesie indicatur, hunc uel illum petere condonationem ob scandalum datum. Matthæi 18. publici peccatores iubentur haberi pro ethnicis. Ergo si pœnitentiã agunt, indicandi sunt Ecclesie, ut pro mēbris ueris habeantur. Eiusmodi publica quædam publici peccatoris receptio, seu solutio, seu absolutio, in perditæ filij acceptione describitur. Iubentur enim senior filius ac tota domus gaudere, quòd peccator redierit ad pœnitentiam.

De fine & effectu huius solutionis uerba Christi docet: Quæcumq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlis. Matthæi 16. 8. Item: Quorum remisistis peccata, remittuntur. Quid potest consolatius dici, quàm uocem solutionis nomine Christi ad nos sonantem, in cœlis ratam à tota Trinitate haberi? Quæ bona etiam præstantiora sunt

sunt solutione ac remissione peccatorum? Nam si euoluas hæc uerba, insunt etiã ista, quòd cuilibet uirtute uerborum Christi donatur gratia Dei, hæreditas uitæ aternæ, liberatio ab aterna morte, à potestate Diaboli & inferni: tranquillitas conscientie, liber ad Deum accessus, & similia.

Administravit autem ipse Christus quoque hanc clauem, Matth. 9. Mar. 7. 10. Lucæ 7. 8. 17. 23. Iohan. 8.

Sapius ea clauæ utendum uidentur & hæc uerba innuere Matth. 18. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usq; septies: Dicit ei Iesus: Non dico tibi usq; septies: sed usq; septuagies septies. Nam hæc mox uerbis de clauibus subiiciuntur. Sequitur item typus, quomodo Deus nobis peccata gratis ex misericordia dimittat.

DE CONFESSIOE.

FActa mentione solutionis peccatorum, etiam uicinam doctrinam attingere uisum est. Triplicem confessionem Euangelica historia suppeñdit. Vnam, quæ fit coram Deo, ac priuata est, quæ constat humili agnitione ac confessione peccatorum. Talis in publicano describitur, Lucæ 18. qui Deum cõsternata mente alloquens: Propitijs, inquit, esto Deus mihi peccatori. Sic Petrus, ex piscium multitudine, quos mādato Christi ceperat, eñ agnosces: Homo, inquit, peccator sum. Sic in oratiõe Dominica iubet Christus nos quotidie Deo patri nostræ peccata confiteri, ac ueniam precari. Itẽ: Si omnia feceritis dicite. Serui inutiles sumus.

Distinguenda autem est peccatorum confessio, Iudæ & publicani. Iudas enim confitetur, se innoxium sanguinem tradidisse: & reddit precium quòd à sacerdotibus acceperat. Verum non petijt à Deo misericordiã, sed desperatione fractus, sibimet ipsi uitam præcidit. Publicanus non tantum
faterur:

fatetur se peccatorem esse, sed adiungit implorationem misericordiae: nec dubitat, eam sibi contingere.

Altera est publica, coram ministerio: Matth. 3. Baptizantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Apparet, accedentes ad baptismum, prius ibi testificatos esse, se peccatores esse: & ueniam expetere, propter Messiam, quem Iohannes praestò esse dicebat.

Tertia, priuata, erga offensos: Matth. 5. Vade & reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum. Lucae 17. Si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, remitte ei. Porro de confessione doctrinae sincerae, in loco de bonis operibus est dictum, quae huc non pertinet.

DE COENA DOMINI.

Inegra doctrina de cœna Domini, iuxta uerba Christi, hanc praebet definitionem: quod cœna Domini sit ceremonia, seu actio à Christo immediatè instituta, qua distribuuntur sumenti, iuxta uerbum Christi, panis & corpus Christi, uinum & sanguis Christi, promissione gratiae annexa: quod cuilibet Christus & beneficia eius, nepe remissio peccatorum, applicentur & obsignentur. Hac nunc particulatim demonstranda sunt.

Prius autè operæ præcium uidetur, uerba, sicut ab Euangelistis descripta sunt, recitare. Nam & pauca sunt, & integrè de cœna Domini doctrinam ob oculos ponunt. Narrauit autem Matt. 26. Marcus 14. Lucas. 22 uerba Christi, hoc modo: Cœnatibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, et ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Lucas addit, Quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens
alicem

calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamēti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Lucas. Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro uobis effunditur.*

Hanc igitur sacram cœnā immediate Christus instituit, sicut citati testes clarè affirmant: & quidem ea ipsa nocte, qua pascha Iudaico ritu comedebat, & mox egressus in montem Oliueti capiebatur, ac postero die cruci affigebatur. Assederunt autem ad mensam duodecim apostoli: nec est adsimile uero, plures alios quoq; affuisse, cum agnum paschalem oporteat à tota familia comedi.

Materia cœnæ Dominicæ à Christo Clarè sunt expressæ ista duæ: nempe panis elementalis, & corpus eius, uinum elementale, & sanguis eius. Sic enim uerba habent: *Accepit pane, benedixit ac fregit, deditq; discipulis dicens. Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Similiter & de altera parte: Sumpto calice, & gratijs actis dicit: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, noui testamenti. Copulantur igitur panis & corpus Christi, deinde uinum & sanguis Christi: ac ita sanciantur, quòd perpetuò, quamdiu scilicet hæc actio durabit in Ecclesia, ista memoriæ debeant esse nota, nec ab ulla creatura uariari. Utiur quoq; rotundis & simplicibus uerbis Christus. non dicit, *Edite panem significatem meum corpus: sed, Edite, hoc est corpus meum. item, Bibite, hic est sanguis meus. non dicit, Vinum est typus, seu significatio mei sanguinis, aut symbolum, quòd meus sanguis alibi existens, tantum sua dignitate, potentia & efficacia uobis adsit.**

Forma autem atq; ratio huius cœnæ patet etiam ex uerbis,

bis, nempe quòd eodem modo, quo hic, distribui atque sumi debeat, sicut monent uerba Luc. 22. Hoc facite in mei commemorationem. Debent autem ibi sonare uerba Christi, & ea quidem uel præcipuè: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur. Item, debent utraque partes nempe panis & corpus Christi, deinde uinum et sanguis Christi, dispensari, sicut uerbis Christi, quæ fixa & immota debent manere, perspicuè mādatur. Est quæ, in altera parte singulari ac planè diuino consilio nniuersalis expressa, nempe, bibite ex hoc omnes: ne quis Antichristus & falsarius, constitutionem seu Testamentum Domini labefactet aut discerpat, suffurando alteram partem, & dicendo, Non omnes debent bibere, sed tantum aliqui, nempe clerici.

Sumptionis ratio est, ore uesci pane & corpore Christi, sicut expressa & clara uerba Christi docent: uem, ore bibere uinum et sanguinem Christi, sicut uerba eius clarè testantur. Ac simul corde seu fide apprehendere corpus & sanguinem Christi, ipsamque promissionem perspicuè annexam, de corpore pro nobis dato, sanguineque pro nobis effuso in remissionem peccatorum. Nam promissiones gratiæ fide accipi oportet. Præterea, si uera recordatio aut cōmemoratio Christi, eiusque beneficiorum fieri debet, ex fide oportet eam emanare, ac os laudibus ac prædicationibus beneficiorum per Christum præstitorum impleri. Item debet fieri cōmemoratio Christi, itaque oratione & alijs confessionibus debet hæc cœna accipi, ne securi aut muti sinus, aut aliud agamus.

Quales ad hanc Domini cœnam accedere debeant, ex ipsa actionis forma apparet: nempe agentes pœnitentiam, hoc est, qui sentientes sua peccata, cum gaudio eam applicationem

tionem corporis & sanguinis Domini in remissionem peccatorum amplectuntur. Hi etiam corde exultante recordantur Christi, et meritorum ipsius. Impij, prophani, obstinati, perseverantes in delictis suis cōtra conscientiam, propriam sibi operum iusticiam arrogantes, et similes, non debent admitti, quatenus ita persistūt. Nam Christus, eiusque beneficia, tantum ad consternatas conscientias pertinent, fide gratuitam remissionem peccatorum cupidè amplexantes. Sicut Matthæi 11. Christus inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Matt. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum. Et græue mandatum Christi est Matthæi 7. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos. Omnia autem beneficia Christi, uerbum, clauis, baptismus, Cœna, & reliqua, sanctum & margarita uocantur. Præterea impoenitētes et notorij peccatores pro ethnicis & publicanis haberi debent, Matt. 18. Et cum ethnicos non admittimus ad communionem: Ergo nec eiusmodi admitti debent.

Porrò eos debere uti hac cœna, qui recordari possunt Christi, & prædicare orationibus, hymnis & confessionibus eius merita, ipsa uerba commonefaciunt: Hoc facite in mei cōmemorationē. Quod omnes hac cœna frui debeant, mandati huius uniuersalis ratio exigit: Bibite ex hoc omnes, inquit Christus. *Viuis, non mortuis hanc cœnam distribuere & applicari: nec alium pro alio, sed quemlibet pro se debere manducare & bibere, non spectare, nō circumgestare: item nō sacrificare Deo, sed accipere, citra ambiguitatem docet ac præcipit. Inquit enim: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus.*

Adijciendum et hoc est, quod ex ipsa ordinatione Christi elu-

fiti elucescat, cœnam Domini non esse solam externam actionem, nec solam promissionem: sed actionem peculiarem, et promissiones de Christo ac remissione peccatorum affixas & copulatas, ut in ea actione neutrum ab altero disrumpi uel possit uel debeat: ad eò ut non incommodè cœna Domini, sicuti et Baptismus, uestitæ promissiones nuncupari queant. Alias enim nudæ promissiones proponuntur. ut: Qui credit in me, habet uitam æternam. Sed hæ actiones sacre peculiariter à Christo institutæ, non habent simplices & nudas promissiones, uerùm actionem simul externis etiam elementis annexam, ut promissiones quasi in oculos ipsos incurrant, & applicatio euidentior fiat. Quòd si igitur in hac actione cœna Domini promissiones ab actione diuellantur, necessario magna inde incommoda sequuntur.

Fructus et utilitates cœnae Domini quæ sunt, ipse Christus suis uerbis, quantum uis breuibus explicauit: nēpe, communicatio & applicatio corporis et sanguinis Domini, et inhabitatio certè admiranda & inexplicabilis. Inquit enim: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. bibite, hic est sanguis meus. Applicatio certa remissionis peccatorum, ac totius meriti Christi. Dicit enim: Hoc est corpus, quod pro uobis datur: & hic est sanguis, pro multis effusus, in remissionem peccatorum. Et Iohannis 6: Qui edidit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Obsignatio re uera magna & euidentis, quòd cuilibet in specie Christus, eiusq; meritum ac remissio peccatorum donatur. Nam etiam externa actione panis & corpus Christi, uinum & sanguis Christi donantur: ideoq; uocatur à Christo nouum Testamentum in suo sanguine. Recordatio & commemoratio beneficiorum Christi, quæ ostendit fidem ex usu

cœna huius incrementa accipere, altius considerare merita Christi, intelligere sibi ea applicari, gaudere de tãtis bonis, & ex animo gratias agere. Hæc omnia continet uerba, Hoc facite in mei commemorationem.

Debent igitur causæ nobis in conspectu esse, quas Christus enumerat ad excitandos animos, ad huius cœnæ frequentem usum: nempe mandatũ ad omnes pertinens, quod ait, Accipite, comedite, bibite. Itẽ: Hoc facite in mei commemorationem. Non tantũ enim aliàs te uult in precibus, recitatione Symboli, confessionibus, commemorare Christi beneficia tibi præstita: sed etiam in acceptione huius cœnæ. Qui id negligit, præceptum hoc Christi uiolat. Deinde commoda ingentia, quæ ex uero huius cœnæ usu, ad nos redeunt: nempe, quod Christus se nobis communicat, nos sui corporis mēbra faciat, externa etiam actione remissionem peccatorũ nobis applicet, & addit obsequationem certè proximi momenti existentem, excitet et confirmet fidem, ut ardentibus preces & gratiarum actiones fundat.

Contraria huic cœnæ sunt, sanctum dare canibus: Matt. 7. Capernaicè comestionem carnis, & haustum sanguinis intelligere. Iohan. 6. hoc est, ratione humana has actiones à Christo ordinatas aestimare. Nam audito sermone Christi, carnem suam pro mundi uita traditam, esse panem, tanquã carnales anthropophagi, qui non percipiunt ea quæ sunt Dei, suam stultitiam prodentes, putant hæc esse impossibilia & abominabilia, carnem nimirum Christi, sicut carnem bouis aut ouis, dentibus lacerari ac deglutiri. Verũ Christus hæc confirmat, & addit: Verba mea sunt spiritus & uis. Vult ipsos in uerba Christi respicere, & inquit ea esse spirituum, hoc est habere spiritualem efficaciam, sublimiorem

quam

quàm homines naturaliter possideant: ac non esse dubium, quin ea quæ loquutus sit, etiam fiant spiritu, hoc est, arcano modo & rationi incomprehensibili. Reliqua contraria facile ex uerbis Christi colligi possunt, ut materias huius cœnæ mutare, & auferre quasdam: ut elementa uel panē, uel uinū, corpore & sanguine Christi tantū relictis, quasi elementa ibi euauerint: aut corpus & sanguinem Christi ex hac actione tollere, in quod alium locum collocare, quasi tantum ibi elementa adsint, significantia corpus & sanguinem absentem, solaque uirtute ibi presentem. Tantū unam partem cœnæ, nempe panē distribuere, uel accipere. Gestare, includere elementa, sacrificare, pro alijs sumere, non uti cœnæ, non ibi commemorare Christi merita, non pœnitere, non credere, & similia, quæ cum uerbis Christi uelut ex diametro (ut dicitur) pugnant.

An Christi concio, quæ Iohan. 6 capite extat, ad doctrinam de cœna Domini pertineat, acris inter eruditos disceptatio est: plures autem à Domino eo in loco propositiones diuersis occasionibus constitui, nemo est qui non uidet. Prima propositio est: Nolite operari cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis: Hunc enim pater signauit Deus. Occasio huius figuratæ locutionis est: Quæritis me, non quod uidistis signa: sed quod manducastis ex panibus, & saturati estis. Ex panum igitur esu, ac corporali saturatione, Christus orationis formam mutuatur, & metaphoricè loquitur, & quidem in genere, quod cibum uitæ æternæ debeant expetere: hoc est, operam dare, ut propitium Deum ac remissionem peccatorum accipiant, ne eius famem perpetuò cogantur esurire, & interire. Manifestum igitur est, nisi quis sui affecti-

affectibus nimium indulgeat, haecenus de cœna sua non loqui Christum.

Sequitur secunda propositio, continent explicationem primæ: Hoc est, inquit, opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. In genere de acquisitione remissionis peccatorum, seu meritorum per Christum partorum, antea fuerat locutus: nunc aliquanto magis in specie rem exprimit, nempe ut in IESUM tanquam uerum Messiam credatur. Occasio huius declarationis est, quod auditores, uera doctrinæ de iustificatione coram Deo, ac meritis Messia, ignari, ac tantum in legis sententia, quæ nihil aliud quàm opera exigat ac crepat, educati, quærunt: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Ex hac locutione etiam Christus suam declarationem mutuatur, & rursus de operibus sic differit, ut fide per Christum remissionem peccatorum accipere, metaphoricè uocet opus Dei, seu uoluntatem eius.

Tertiò, rursus propositio eodem modo figurata, sicut prima repetitur: Pater meus dabit uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Occasio eius locutionis est, quòd auditores heretici adhuc in tenebris pharisaicæ doctrinæ, & nihil de remissione peccatorum per Christum fide assequentes, iniiciunt mentionem mannae in deserto à patribus comestæ, panemq; cœli uocari affirmant. Verùm Christus in eadem phrasi ueniens, inquit: Amen amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dabit uobis panem de cœlo uerum: nempe filium suum, dantem uitam mundo. Metaphoricè igitur, panem Moysi testatur non esse uerum, per quem scilicet uita æterna habeatur, hoc est, lege seu operibus nostris, nos non posse coram Deo iustificari: & iustificari

cari: sed panem uitæ æternæ esse Christum, hoc est, merito eius, quod fide nobis applicatur, nos saturari ac repleri, ut habeamus remissionem peccatorum, & iusticiam coram Deo ualentem. Estq; talis oratio planè, qualis Iohannis primo habetur: Lex per Moysen data est, gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est. Nondum igitur de cœna clarè & dilucidè differentem audis Christum, sed ex uicinis rebus, & data occasione metaphoricè siue allegoricè in genere docentem, suam illam missionem, suaq; merita ac beneficia esse alimentum in æternum durans.

Instant autem auditores, panem eum cupientes consequi, nondum adhuc eam doctrinam capientes. Sequitur igitur quarta propositio, cæteris præmissis lucem adferens. Non enim de diuersa re, licet plures propositiones hic recensentur, sed de una dumtaxat disserit. Qui uenit ad me, non esuriat: & qui credit in me, non sitiet unquam. Item: Omne quod dat mihi pater, ad me uenit: & eum qui uenit ad me, non eijciam foras. Hic de conuersione hominis uera ac saluari concionatur, & de suo opere ac beneficio, nempe quòd ipse det uitam & resurrectionem. ideo sic exponit: Descendi, inquit, de cœlo, non ut faciam uoluntatè meam, sed eius qui misit me. Quis iam non uidet, hic Christum de suo beneficio toto concionari? Adijcitur igitur & hæc illustris sententia: Hæc est, inquit, uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hic iam iterum in banc petram scandali Iudei impingentes, personamq; tam uilem & abiectam considerantes, ut in quo extrema humilitas conspiciebatur, obmurmurant, quasi affirmasset blasphemiam, nempe quòd esset panis qui è cœlo descendisset:

hoc est, quòd ipsius beneficium esset remissio peccatorum, & uita aeterna. & obgannunt, eum tantum esse filium Ioseph, hoc est hominem similem cæteris, qui nec è cælo uenisset, nec posset esse panis uitæ. Verum in sua propositione Christus adhuc perseverat, ac docet, primùm ac principaliter de conuersione hominis, quòd ea non sit naturale hominis opus, sed Dei: Nemo, inquit, potest ad me uenire, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Simul autem & alterum docet, quòd de cælo descenderit, nempe cùm sit missus à patre. Præterea ad uerbum eos deducit, ex quo hæc debeant discere, & quidem iuxta prophetarum uaticinia: Et erunt, inquit, omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me.

Attexit autem in continua oratione quintam propositionem, de fructu atq; effectu sui meriti, quod fide in ipsum accipitur, & rediens ad suū typum seu metaphorā, confert manna & suum panem, seu beneficium quod credentibus conferat. Patres, inquit, uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de cælo descēdens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

Additur & sexta propositio, de materia huius panis. Dicit enim: Panis quem ego dabo, caro mea est. $\eta\gamma\omega\delta\omega\sigma\omega\upsilon\pi\epsilon\sigma\theta\epsilon\iota\kappa\acute{o}\sigma\mu\omicron\nu\zeta\omega\upsilon\varsigma$, quam ego dabo pro mundi uita. Quid clarius dici potest, quàm panem hunc, de quo hætenus est disputatum, esse carnis Christi traditionem, pro mundi uita? Est autem Scripturæ phrasis, quòd datio Christi significet passionem Christi, eiusq; meritum: ut Iohannis 3. Filium suum unigenitum dedit. Hoc loco autem clarius ea afferuntur: Panis ille uinus, est traditio carnis mee

pro mundi uita, hoc est, mea oblatio, mactatio, meritum, confert mundo uitam. Hucusq; igitur de cœna sua nondum confessionatus est Christus.

Illis ita peractis, septimam propositionem Christus oblata occasione instituit. Altercantur enim Iudei inter se, quo modo Christus posset eis suam carnem ad manducandum dare? Carnales enim cùm sint, carnales tantum imaginatio nes concipiunt: nempe quasi substantiam Christi carnalem, dentibus commolere & deuorare debent. Ibi Christus uide tur nouam propositionem statuere, ipsorum ruditate & cras ficie motus ac dicit: Amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Item: Qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic deum uidetur Christus ob eam quam attingimus causam, orationem suam ad cœnā deflexisse: & quasi de ea, quæ esset instituturus, prophetaſſe, quòd partes cœne distincte & aperte uidentur expressæ. & prius non sic fuerat locutus, quasi diceret: Docui uos, quòd ex me habituri sitis uitã æternam, et propitiu Deum fide: nunc insuper uobis hoc affirmo, uos omnes oportere etiam mea cœna uti, quam instituturus sum, qua amplius testabor me uobis meum meritum applicare ac donare. Confirmant autem uerba Christi hoc pacto intellecta, egregie doctrinam de causa materiali & formali, ut uocatur cœna Dominicæ: nempe quòd sit caro & sanguis filij hominis, & sit manducatio Christi.

ociosa tautologia factum est, ut Christus tam crebrò eadem propemodum uerba repeteret atq; inculcaret. Subijcitur autem repetitio quædam priorum propositionum, qua redit Christus ad metaphoram: Hic est, inquit, panis qui de cælo descendit. et iterum effectuū facit mentionē: totam illam manducationē carnis filij, hominis & haustum sanguinis eius, nuncupat panē. estq; sensus, quòd sit alimentum. Nam hic panis non tantū ad carnē, sed etiā ad sanguinē, atq; adeò ad ipsam mādicationē, hoc est totū usum pertinet. Alij hęc partē omnino referūt ad priora, quòd de passione sua, et eius applicatione, etiā hisce uerbis Christus in genere loquatur: & ei cōuenit epilogus, Hic est panis qui de cælo descendit.

Rursus autem murmur ac ligatio de his uerbis Christi inter Capernaitas exoritur. Pugnabant enim ea quæ dicebantur à Christo, cum ratione humana ex diametro, ut dicitur: eratq; res noua et inusitata, oportere māducari carnem, & bibi sanguinem Christi, si quis uitā habere uellet. Octauam igitur hac occasione propositionem ponit: nempe hæc credenda esse, & quidem ad uerbum deducit, ad quod mens se referre debeat, nec metiri singula ratione, & scrutari, quomodo hæc ita se habere possint. Tribuendam esse uerbis Christi ueritatem ac potentiam. Ordo autem est, quod in hac parte initiò opponat aliam rem, quam ratione non possint consequi: nempe quòd filius hominis, iste nimirū spectus ac misellus Christus, ascensurus esset in cælum, idq; ipsi proprijs oculis spectaturi. Pugnabat cum ratione humana, corpus ponderosum in cælum ascendere, & quidem uisibiliter, nec uidebatur Christus Elia aut Enoch similis. Vult igitur dicere: Ego talis sum qui etiam cæli potestatem habeo. Ergo credite meis uerbis, nempe me car-

nem & sanguinem meum, ut comedatur & bibatur, dare posse: sicut testificor me uelle. Rationem uerò uestram captiuate, quæ & alia mea opera cõprehendere nequit. Addit: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. quo iudicat, ista Spiritus sancti auxilio intelligi oportere. carnẽ enim, hoc est rationem humanam, in hisce diuinis rebus nihil prodesse, hoc est, caligare & ineptire, quo magis animus ad percipiendum intendat. Est enim usitatum in Scriptura, ut caro, hominem non renatum, seu naturales uires significet, & præsertim si Spiritui opponatur. Mox igitur uerborum suorum mentionem facit, in quibus uult omnes herere, licet coram ratione uideantur absurda. Verba, inquit, quæ locutus sum uobis, Spiritus & uita sunt. Vult, sua uerba non haberi pro inani fabula, pro hyperbolis aut uocis: sed uult credi uerba sua esse Spiritũ, hoc est, Spiritum sanctum in ijs esse efficacem: & esse sublimia uerba, quæ non ratione humana, sed spiritu capienda sint: et esse uitam, hoc est adferre uitam. Continuo autem adijcit, Sunt quidam qui non credunt. Huc etiam postrema huius capituli pars pertinet, ubi Petrus inquit: Verba uitæ æternæ habes. quo dicto ostendit, Apostolos uerbis Christi ueritatem ac potentiã tribuere. item, Credimus (inquit) & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei: subindicans, se ei potentiã adscribere, eo quod sit Messias, & uerè Dei filius: nec uelle propter rationis humane imbecillitatem, quæ in tantis rebus cæcutiat, à Christo deficere.

Non potest autem ex dictis illis postremæ partis, nempe, Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam: item, Verba quæ ego locutus sum, Spiritus sunt & uita: elici ista opinio, carnem filij hominis de typo aut simbolo car-

nis eius, & sanguinem eius, eodem modo pro figura aut significatione sanguinis accipi oportere. Verba enim Christi sunt clariora, quam ut tantam obfuscationem recipere possint. Inquit enim: *Qui manducat carnem filij hominis, & bibit meum sanguinem. & quidem iisdem penè uerbis quater repetit, quasi protestans, ne quis symbolum rei absentis temerè affingat.* Deinde, *Caro non prodest quicquam, non potest ad Christi carnem torqueri, cum antea Christus asseuerarit, carnem suam pro mundi uita tradi. Vel saltem de Capernaitico intellectu accipi necesse est, quòd caro Christi non proficit quicquam, scilicet sic comesta, sicut caro è macello empta: quòd nullo modo dentibus humanis Christi caro discerpi, & palato sanguis Christi senti-ri queat.* Sed hanc manducationem carnis filij hominis, & potum sanguinis non typicè, sed uerè iuxta uerba Christi insensibiliter & inuisibiliter tradi et accipi, tum ore, tum fide. Spiritum itaq; ait uiuificare: hoc est uerbo suo efficacem esse. Eodem modo ait, Verba quæ ego locutus sum, sunt spiritus & uita: non dicit, Caro mea est spiritus, seu symbolum, sed uerba in quibus spiritus sanctus operatur, & uos spiritualibus motibus, nèpe fide oportet apprehendere ac statuere contra omnes uestras naturales sensus, uos iuxta meum uerbum manducare meam carnem, & bibere meum sanguinem. Ista seorsim uisum est attere, & seriem textus ostendere, ut pij in timore Domini hanc concionem Christi expendant, neq; inde exculpant cum cæteris manifestioribus locis pugnantia. Est autem extraneam, piorum quidem, controuersiam, genuinam ac naturam sententiam de cæna Domini ex ipsius institutione omnium maximè petendâ esse. Nam si quid de ea prius differuit,

quàm instituit Christus, aliquanto obscurius id factum fuisse constat.

DE SACRIFICIO.

Pertinet hæc doctrina ad locos de Christo, eiusq; officio, de Euāgelio, de iustificatione: sed pauca quadam hic repetere uisum est.

Quod in nouo Testamento sit sacrificium propitiatorium seu expiatorium pro peccatis, Christus & eius discipuli docent. ut Luca 22. Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Matt. 26. Marci 14. Luca 22. Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro uobis effunditur. Est autem distribuendo suam cœnam, non se sacrificauit patri, sed (sicut uerba sonant) corpus & sanguinem suum discipulis communicauit: tamē hisce uerbis, Quod pro uobis datur: item, Qui pro uobis effunditur: docet, se non solum mactatum iri, uerum etiam ea ratione expiatorum homines coram Deo. Ioannis 17. Pro eis ego sanctifico me ipsum. Hoc uerbum à sacrificijs sumptum est, ac phrasi Hebraica significat idem quod offero, sacrifico, immolo. Solebāt autem uictime sanctificari etiam, hoc est segregari, ut fiant uictima. Iohan. 11. significat expiare: Ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. Ioannes Baptista clarè sic loquitur: Ecce agnus Dei. agnus hoc loco phrasi Hebraica significat uictimam seu sacrificium. Huc referenda sunt omnia dicta de passione Christi.

Quis uerò eam uictimā segregarit ac destinarit, Iohannes docet: nempe ipse Deus. Ecce, inquit, agnus Dei: hoc est, quod non pontifex aliquis Hierosolymitanus delegerit, sed ipse Deus immediatè. Et obtulit sese ipsum Christus, ipse quoque uictima existens, sacerdos simul et agnus, sicut

ficut docet Ioh. 17. Ego, inquit, sanctifico me pro eis. Ioh. 10. Ego pono animam meam pro ouibus meis. Item: Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo eam tollit à me, sed ego ponam eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo.

Vnum autem solummodo tale sacrificium est, nempe quòd unica hæc persona præstitit, IESVS Christus, Nam IESVS inquit. Quo ego uado, uos non potestis uenire. Ioh. 13. Ego inquit, dabo carnem meam pro mundi uita. Iohan. 6, non dicit, Plures nostrum sunt, qui id faciant. Ioannes clamat, Hic est agnus: nõ dicit, plures esse agnos aut uictimas, ad hanc arduam rem delectas, sed tantum hunc unum. Solum etiam Christus suspenditur in cruce, omnibus suis discipulis saluus & incolumibus.

Porò huius expiatorij sacrificij eam esse rationem, docet Christus, quòd subeat acerbissima & contumeliosiss. supplicia, ac uolenta extinguatur morte, idq; in ara crucis. Mat. 16. 20. Mar. 10. Luca 18. 14. Portet peccata totius generis humani. Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui portat peccata mundi. Est autem hoc nihil aliud, quam Christum peccata aliena, nempe totius mundi, in se deriuasse: et simul subijisse pœnam, quã peccata merebantur, nempe mortem. Exoluit igitur pœnam, & obedientiam absolutissimã præstitit, ad quam singuli homines lege rei erant obligati. Christus hoc suum sacrificium seu oblationem uocat uadere seu transitum ad patrem, Ioh. 16. ad pascha alludens, eiusq; necessitatem summã indicat. Nisi, inquit, ego abiero, paracletus non ueniet ad uos.

Frustrum deniq; huius sacrificij Christus passim docet, quoties de suo merito concionatur, quales sunt, iniusticia. Ioh. 16.

De iusticia, quia uado ad patrem. Iohan. 12. Ego non ueni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Vita æterna, Ioh. 3. Filium suum dedit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitã æternam. Paracletus. Ioh. 16. Si abiero, mittam paracletũ ad uos. Sanctificari & unum esse cum patre & filio. Iohan. 17. Ego sanctifico me ipsum pro eis, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. item: Ut & ipsi in nobis unum sint. Possẽ Deum inuocare. Iohan. 16. Si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Gratia. Ioh. 1. Gratia & ueritas per Christum facta est. Ablatio peccatorum. Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit: hoc est, non tantum gestat, sed & aufert peccata mundi. Ministerij institutio, quo hæc ingentia bona cunctis gentibus denunciantur, offeruntur & exhibentur. Luca 24. Collectio Ecclesiæ. Iohan. 12. Ego, cùm exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum.

Neque uerò rursus hoc sacrificium necesse est iterari. Nam Iohannes inquit: Est agnus Dei, tollens peccata mundi. Et Christus: Ego sanctifico me pro eis, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. Non igitur necesse est repeti, eo quod unum sacrificium satis sit.

Applicatio huius sacrificij est per uerbum gratia & sacramenta à Christo instituta. Luca 24. Prædicate in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Item baptismus, clauis, cœna Domini. Apprehendimus autem nos fide, Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credat in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. De alio propiciatorio sacrificio non docet Euangelica histaria. Sacrificijs

ficis uerd Iudaicis opera secunda tabula præferuntur, ut suo loco dictum est. Et lex & propheta usque ad Iohannem, inquit Christus: qua sententia abrogat legem Moysi, et maxime ceremonias & sanctificationes. Rumpitur etiã uelum, in testimonium, Sacerdotem Christum in sanctorum ingressum esse.

Ista breuius recitamus, quòd sicuti monuimus, superius sunt tractata: & libro sequenti declarabuntur amplius.

DE ECCLESIA
Christi.

Ecclēsia uocabulum in Matthæo duobus in locis usurpat Christus, ut 16. & 18 capitibus. Significat autem nomen ipsum cœtum, & quidem non uulgarem aut temerarium hominum concursum, sed præstantem & electam congregationem. Alias etiam plures ei appellationes tribuit. Vocat enim eam Lucernam, ciuitatem super montem positam, Matth. 5. Regnum suum, regnum Dei: Matth. 6. 21. Mar. 12. Lucæ 11. Domus adificata super petram, Matt. 7. Regnum cœlorum, Matth. 13. 20. 22. 25. Agrum consitum, granum sinapis, thesaurum absconditum, margaritam, Matthæi 13. Plantationem patris, Matt. 15. Vineam, Matt. 20. 21. Nuptias, Matth. 22. Messē, Matth. 9. Lucæ decimo. Ouium cœtum, Ioh. 10. Filios Dei, natos ex Deo, Iohan. 1. Filios lucis, Luc. 16.

An sit aliquis talis cœtus, quem Deus curet, & qui Deum rectè norit ac colat, tota hæc doctrina satis luculenter probat. Hic tantum hoc consideretur, quòd Christus ministerium docendi sanciat, et quidem uelit in uniuerso orbe id sonare, & sacramenta sua distribui. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. Ergo testatur, fore Ecclesiam aliquam omnibus temporibus

temporibus. Maria dicit: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Neesse est autem Ecclesiam esse, si partus filij Dei celebrari debeat. Ante aduentum Christi quoque eiusmodi cœtum à deo excitatum & conseruatum fuisse, Christus etiam hoc dicto indicat, Iohannis octauo. Abraham uidit diem meum, & letatus est. Item approbat prophetarum conciones de se editas. Verùm ista paulo inferius rursus sese offerent tractanda.

Si contrahatur autem huius doctrine materia, talis inde Ecclesiæ definitio contexi potest. Ecclesia in hac uita est, uisibilis cœtus amplectentium synceram Euangelij doctrinam, & rectè utentium sacramentis ab ipso Christo institutis, in quo cœtu Deus per uerbum et sacramenta sua efficax est, conuersione, regeneratione, ac summa bona traditoribus impartiens: in quo cœtu tamen multi sunt non sancti, sed de doctrina uera consentientes. Possunt tamè etiam breuiores Ecclesiæ descriptiones ex dictis Christi extrui, ut ex sententia Matthæi sexto. *Querite primum regnum Dei: Ecclesia est cœtus querentium regnum Dei, & iusticiam eius, & corporalia Deo commendantium, ut ipse pro suo arbitrio adijciat.* Ex comparatione de domo in petram fundata: *Ecclesia est cœtus audientium & facientium uerba Christi, in persecutionibus firmiter in uera agnitione Christi & confessione perseverans.* Ex parabola de semine, Matthæi decimotertio. *Ecclesia est cœtus amplectentiũ uerbum Dei, adferens Deo placentes fructus, & in tribulationibus persistens.* Ex capite 16 Matthæi: *Ecclesia est cœtus ueram Christi noticiam habens, eamq; profitens, ornatus potestate elanum regni cœlorum.* Ex parabola de nuptijs, Matthæi 22. *Ecclesia est cœtus, per ministerium uocatus, ut fruatur beneficijs*

beneficijs Christi. Ex Iohannis 8. 10. & alijs: Ecclesia est cœtus uocem Christi audientium ac sequentium, ac fruuentium ipsius beneficijs. Verùm non libet omnes commemorare, quæ cuius attendenti obuia sunt, & in superiorem includi possunt.

Duplicem esse Ecclesiam, Christus & res ipsa docent: Matthæi 5. Discernit iusticiam credentium in Christum, & Phariseorum. Duos igitur cœtus diuersos constituit, Matth. 6. Hypocritas à uerè pijs discernit. Matthæi septimo. Describit duos cœtus, ne alterum per latam portam ad perditionem, alterum per angustam ad uitam ingredientium. Item, falsos prophetas à bonis doctoribus. Item: Non omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei. Item distinguit domum in arenam positam, ab ea quæ firmo loco collocata est. Matthæi 13. in agro triticum & zizania crescunt, Matthæi 15. discernitur plantatio sua sponte facta, ab ea quam pater cœlestis fecit. Matthæi 16. Phariseorum & Sadduceorum fermentum, cœtus Christi iubetur fugere & auersari. Matthæi uigesimosecundo. Sunt duplices conuiuia in nuptijs, alij habentes ueram nuptialem uestem, alij non. Matthæi 25. sunt uirgines quinq; prudentes, similiter et alie quinq; fatuæ. Deniq; Ecclesia Phariseorum perpetuò aduersatur Christo, eiusq; cœtus, Iohannis 16. dicitur, quòd ex synagogis discipulos Christi sint eiekturi.

Colligi autem ueram Ecclesiam à Deo patre, Christo & Spiritu sancto, per media, hoc est uerbū patefactum, sepius docet, ut Matthæi 6. Adueniat regnum tuum. Matthæi 9. Rogate dominū messis, ut operarios mittat in suam messem. Matthæi 13. Qui seminat bonum semen, est filius hominis.

Matth.

Matth. 16. 23. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas;
 & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quæ admodum congregat gallina pullos suos sub alas? Inde patet, etiã ante suam missionem in carnem, se per prophetas uerbum sparsisse, licet maxima pars ei semper sit refragata. Ioh. 10. Oues mea uocem meam audiunt. De spiritu sancto dicitur Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Item, Spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatẽ. Ioh. 20. Accipite spiritum sanctum: quorum remisseritis peccata remissa sunt. De uerbo inquit Matthæi 28. Ite docete omnes gentes. Mar. 13. In omnes gentes oportet prædicari Euangelium. Mar. 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Luc. 24. Prædicate penitentiã & remissionem peccatorum in nomine meo. Ioh. 17. Ego dedi eis sermonem tuum. Item, Qui credituri sunt per uerbum eorum in me. Sicut autem tempore incarnationis non tantum Christus uoce uiua colligebat Ecclesiam, sed etiam ministris quibusdam fides utebatur: ita nunc quoq; piorum hominum uoce ad uocationem Ecclesiæ faciendam utitur, qui tamen incorruptam Euangelij uocem tradunt, eisq; adest ipse & spiritus sanctus. Sicut inquit Matth. decimo. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Luc. 10. Qui uos audit, me audit. Ac promittit ministerio Euangelij suam presentiam et auxilium Christus omnibus seculis usq; ad finem mudi, sicut Matth. uigesimo octauo inquit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem.

math. 10.

Ex qualibus hominibus Ecclesiæ cœtus constet, ipse historia ostendunt. Iudeos enim ac gentes Christus uisitat ac recipit. Nam quidem Iudæi Hierosolymis habitantes, in
 eum

eum credunt: Ioh. 4. & Samaritani uerbo Christi conuertuntur, ac recipiuntur. Excurrit usque ad fines Tyri & Sidonis, & Cananæam recipit, ac filiam eius à demonio liberat: Matthæi decimoquinto: Et ait Marcus capite 7, fuisse eam mulierem gentilem, Syrophœnissam genere. Iohann. duodecimo gentiles quidam in phaschate Hierosolymis ad Christum accedunt. Lucæ 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Miratur fidem Centurionis ethnici, & dicit: Multi uenient ab oriente & occidente, & sedebunt cum Abraham & Isaac in regno cælorum. Porro etsi ante passionē prohibet discipulis, ne in uias gentium abeant, Matthæi 19. tamen nihilominus ipsemet Christus gentes adit, eosq; ad societatem Ecclesiæ uocat, ac miraculis allicit atque confirmat. Debat enim Euangelium post eius resurrectionem primùm per suos ministros in uniuersum orbem terrarum propagari. Quòd autē ex omnibus gentibus, & quidem repudiato Iudaico populo deberet fieri collectio Ecclesiæ Dei, aliquoties Christus prædixit, ut Matthæi octauo, Dico uobis, inquit, multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Matthæi 21. Dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matthæi 22. in parabola de nuptijs describit Ecclesiam gentium. Matthæi uigesimoquarto, Prædicabitur Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Significat igitur, Ecclesiam in toto orbe terrarum futuram esse. Matthæi 28. Docete omnes gentes. Marci 13. In omnes gentes oportet prædicari Euangelium. Marci 16. Prædicante Euangelium omni creatura. Lucæ 1. Ex hoc beatam me

V dieent

dicent omnes generationes. Luca 2. Salutare tuum parasti ante faciem omnium populorum. Iohannis 10. Adhuc alias ones habeo, quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor. Perspicuum etiam hoc fit ex hac parte uocationem esse generalem.

Ecclesiae cœtum omnibus aetatibus esse mixtum bonis ac malis, Christus & ipsa historia manifestè testantur Matthæi 13. Simile, inquit, est regnum cœlorum homini seminanti semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autè creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Item: Simile est regnum cœlorum sarena missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matth. 20. dicitur de operarijs in uinea duplicibus, quorum alij obmurmurant Domino: alij placidi sunt, clementiam Domini haud dubiè erga se læto animo accipientes. Matth. 22. cœtui in nuptijs illis regalibus comparenti, unus immixtus est non ornatus ueste nuptiali. Matthæi 25. aliquandiu unà uersantur stolidæ & prudentes uirgines. Ioh. 6. Unus ex uobis diabolus est. Iohan. 13. Vos mundi estis, sed non omnes. Erat sanè exiguus cœtus discipulorum Christi, attamen in eo suum organum diabolus habet, proditorem Iudam.

Ceterum bonos etiam in Ecclesia non esse perfectos uidequaq; sed multas & magnas adhuc habere imbecillitates, quas tamen paulatim corrigere student, historia Euan-gelica testatur. Id primùm Christus monet hac petitione in orationem inserta: Et dimitte nobis debita. Deinde sæpius narratur, Apostolos habuisse imbecillum fidem. Matthæi 8.

Quid

Quid timidi estis, modicæ fidei? Matth. 20. Mater filiorum Zebedæi, & ipsi filij, imò etiam reliquis Apostolorum cætus, eam imbecillitatem produnt manifestè, quòd alant adhuc somnia de corporali regno Christi: imò etiam post resurrectionem, cùm iam iam ascensurus esset Christus in cælum, eam opinionè proferunt. Actor. 1. Domine, inquit, nunc hoc tempore restitues regnum Israel? Luca 18. Christo clarè de sua passione concionante, tamen Apostoli non assequerantur. Ac singulari emphasi ibi scriptum est: Erat autem uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Matth. 17. dicit ad Apostolos Christus: O generatio incredula & praua, quousq; uos patiar? Luca 2 scriptum est, etiam Mariam & Iosephum non intellexisse uerba quæ IESVS ad ipsos loquebatur. Sunt & Nicodemus ac Ioseph de Arimathia imbecilles: uerùm ita proficiunt, ut Christo interfecto ipsi prodeant, eumq; confiteantur intrepidè.

Boni in Ecclesia Christi uersantes, non sunt obstinati et pertinaces, sed proficiunt & orant: sicut Luca 17 scriptura est: Domine adauge nobis fidem. Et in oratione iussit nos Christus petere, ut nomè Dei in nobis sanctificetur, regnum ipsius adueniat, uoluntas eius fiat, &c.

Nunc quas proprias ac germanas Ecclesiæ notas attribuat Christus, uidendum est: quarum prima ac præcipua est, uerbum syncerum, sicut à Christo est reuelatum & commendatum, ex quo Ecclesia gignitur, & ad quod semper & immobiliter est alligata. Matth. 7. Omnis qui audit uerba mea, & facit ea, assimilabitur uiro prudenti. Matth. 10. Euntes predicare, appropinquauit regnum cælorum. Matth. 13. Qui in terram bonam seminatus est, hic est, qui

audit uerbum, & intelligit, & fructum facit. Matth. 17. Hunc audite. Matth. 28. Docentes eos seruare omnia quaecumq; mandati uobis. Marci 13. In omnes gentes oportet predicari Euangelium. Marci 16. Predicite Euangelium omni creature. Lucae 11. Mater mea & fratres hi sunt, qui audiunt uerbum Dei, & faciunt. Lucae 24. Predicite penitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Iohannis 5. Qui audit uerba mea, & credit ei qui misit me, habet uitam aeternam. Iohan. 8. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis. Item: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Iohannis decimo, Illas oportet me adducere, & uocem meam audient. item: Oues meae uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Ioh. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. item: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Iohannis decimoquinto, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunque uolueritis petetis, & fiet uobis. Item: Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. item: Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio uobis. Iohan. 17. Ego dedi eis sermonem tuum. item: Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas. item: Non pro eis rogo tantum, sed pro omnibus qui credituri sunt per uerbum eorum in me. item: Notum eis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis. Ioh. 18. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Actorum primo, Eritis mihi testes Hierosolymis, & in Iudaea, Samariaq; deniq; usq; ad finem orbis terrarum. Liqueat igitur ex hisce dictis, Ecclesiae Christi no-

ram maximè insignem esse, uerbum Dei, non adulteratum humanis doctrinis.

Altera nota, quam ei Christus adscribit, est, uerus ac legitimus usus sacramentorum & clauium, iuxta ipsius institutionem. Matthæi ultimo: Baptisate eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Luca uigesimo secundo, Hoc facite in mei commemorationem. Iohan. 20. Quorumcumq; remiseritis peccata.

Tertia nota est, qua Christus suam Ecclesiã uult extare & lucere, confessio, constantia, perseuerantia. Matt. 5. Luceat lux uestra coram hominibus. Item: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neq; abscondunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Matth. 10. Marci 4. Lucae 9. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Matthæi decimosexto, edita confessione ab Apostolis, quòd Christus esset filius Dei, hæc ipse adiecit: Super hanc petram aedificabo Ecclesiã meam. Matth. 18. Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxore, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Hæc certè confessionem seriam flagitant. Idem in quinq; prudentibus uirginibus depictum est. Iohan. 12. Si quis mihi ministrat, me sequatur. postulat enim confessionem manifestam. Ioh. 13. Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem.

Quartam notam suæ Ecclesiæ assignat Christus, obedientiam erga ministeriũ, in ijs rebus quas ipse docuit &

sanxit. Luca 10. Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Iohannis octauo. Qui ex Deo est, uerbum Dei audit. Beati qui audiunt, & custodiunt illud. Matthæi decimo: Quicumque non exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes foras de domo uel ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terre Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam ciuitati illi.

Caput huius Ecclesiæ nullum aliud docet Christus esse, quam seipsum & patrem. Matthæi uigesimo primo. Marci 12. Psal. 118. Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Matthæi 23. Unus est pater uester, qui in cœlis est. item: Magister uester unus est Christus. Ioh. 10. Ego sum pastor bonus. Ioh. 14. Ego sum uia, ueritas & uita. Iubet etiam, in suo tantum nomine prædicari: Luca 14. Pater etiam hoc asserit, Matth. 17. Hunc audite. Nec uoluit Christus Petrum Ecclesiæ caput aut basim constituere, cum inquit Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Non enim personam, sed confessionem, quam non modo suo, sed & reliquorum discipulorum nomine ediderat Petrus, extollit, eamq; fore Ecclesiæ perpetuum fundamentum affirmat Christus. Nam alio qui mox ea basis, si personam Petri designasset, corruisset, cum paulo post impingens in fidei articulum de passione Christi, audit: Abi post me Satana, scandalum es mihi, non enim sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Ista erant personæ istius encomia. Manet igitur confessio seu doctrina, IESUS esse Christum filium Dei, salua, perpetua, immobilis et inconcussa basis ueræ Ecclesiæ Christi, aduersus quam

portæ inferorum non præualebunt. Verùm Petrus sæpenu-
mero hallucinatur. Satan in eo præualet, quãdo negat Chri-
stum: ac nisi ipse ad bassin, nempe doctrinam de Christo re-
uersus fuisset, non habuisset in regno cœlorum locum. Sicut
igitur solus Christus in cruce pendet, ac expiat peccata mun-
di: ita ille ipse est solus fons & caput Ecclesiæ.

Vnam esse Ecclesiam Dei omnibus seculis, & ubiq; lo-
corum dispersam, Christus docet Iohannis quinto. Scruta-
mini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam ha-
bere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Item:
Si crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me enim ille scri-
psit. Si itaq; idem uerbum sonuit, quod nunc Christus profi-
tebatur, eandem quoq; Ecclesiam fuisse necesse est. Iohannis
octauo inquit: Abraham pater uester exultauit, ut uideret
diem meum: et uidit, & gauisus est. Sicut igitur Abra-
ham fide in Christum leticiam cordis et salutem accepit,
ita etiam nunc Christus iustificari docet. Iohannis 10. Erit
unum ouile, & unus pastor.

Docet præterea Christus, suam Ecclesiam duraturam in
hoc mundo, usq; ad suum aduentum, quantumuis fremant
& sauiant Diabolus & mundus. Matthæi septimo: Om-
nis qui audit uerba mea, & facit ea, assimilabitur uiro sa-
pienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descen-
dit pluuia, et uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & ir-
ruerunt in domum illam, & non cecidit: Fundata enim erat
super petram. Matthæi decimosexto: Portæ inferorum non
præualebant aduersus eam. Iohannis decimo: Non rapiet
eos quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, ma-
ior omnibus est: & nemo potest eas rapere de manu patris
mei. Ego & pater unū sumus. Admodū rara tamen Eccle-
sia ue-

ſua uera membra nouiſſimis diebus fore prædixit: Putaſſe ne filium hominis inuenturum ſidem, cum uenerit? Lucae decimo octauo.

Quod Eccleſia non ſit certo loco, hominibus aut ordinaria ſucceſſioni alligata, multis in locis Chriſtus admonet. Matth. 21. duabus id parabolis declarat: primum de duobus filijs, quorum alter dixerat, ſe iuxta patris iuſſum abiturum eſſe in uineam, nec fecerat: alter uero in initio recuſauerat, et poſtea ductus pœnitentia abierat. in quorum altero populus Iudaicus, in altero gentium Eccleſia adumbratur. Addit autem Chriſtus: Amen dico uobis, publicani & meretrices præcedent uos in regno Dei. Venit enim ad uos Iohannes in uia iuſticiae, & non credidiſtis ei. Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Item de elocata uinea, & quomodo agricola filium patris familiae trucidarint. Qua quidẽ imagine deſcribit Iudaeos, ſe breui crucifixuros. Denique, accommodationem talem ſubiungit, citra omnem ambiguitatem & figuram, Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Pingit etiã reprobationẽ gentis Iudaicae, et acceptionẽ gentium, in parabola de nuptijs. Matth. 22. Sancitur Euangelij miniſteriũ ea ratione, quod debeat inter omnes gentes, & ad omnes creaturas ſonare, Matth. 28. Marci 13. 16. Nequaquam igitur Eccleſia Chriſti loco dimitaxat uni, aut certo, & perſonis certis affixa eſt. Lucae 13. Multi uenient ab oriente & occidente, & accumbent in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob. Lucae 17. Non ueniet regnum Dei cum obſervatione: neque dicent, Ecce hic, ecce illic. ecce enim regnum Dei intra uos eſt. Iohannis primo inquit Iohannes: Quot quot receperunt eum, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius: qui

non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Hoc dicto prorsus omnis prerogativa carnalis abrogatur, ac sine discrimine loci aut dignitatum pronuntiatur filij Dei, quotquot & quicumque in IESUM Christum credunt. Iohannis 4. ait Christus: Veniet tempus, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Iohannis octauo, negat ipsos esse filios Abrahae, quia opera Abrahae non faciant. & plane pronuntiat: Vos, inquit ex patre Diabolo estis, et desideria patris uestri uultis facere. Imò ideo discedit Iohannes à templo. Christus perigrinatur in tota Palaestina, & concionatur ubi sibi commodum uidetur: praedicat uastationem huius loci, ac excidium totius gentis Iudaicae, ut notum sit cunctis gentibus, Ecclesiam minimè loco aut personis alligatum esse. Cui autem potissimum res sit Ecclesia uera affixa, supra ubi de uotis egimus, dictum est.

Ecclesiam esse cœtum pauperum hominum plerumque, ac locupletes & potentes plerumque se non adiungere, aut frigidius uerbo Dei affici, aperte Christus comonem facit. Matthaei undecimo: Pauperes euangelisantur. Id quamuis de pauperibus spiritaliter, hoc est, peccata sua agnoscentibus, & sine fiducia suorum operum, propter Christum tantummodo ueniam deprecantibus accipiat: tamen, ut ex historia patet, plerumque tantum pauperes etiam fortuna & bonis Euangelio locum praebet, eiusque bonis cupidè fruuntur. Idem in typo significatur Lucae 14. Exi, inquit, cito in plateas & uicos ciuitatis, et pauperes ac debiles, caecos ac claudos introduce huc. postea turba multa adueniente, inquit: Si quis uenit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, & filios, & fratres, & sorores, et insuper animam suam,

non potest esse meus discipulus. Quibus uerbis monet, suum
 certum ferè semper esse pauperè, idq; ob persecutiones quas
 cogatur perferre. ipse Christus de se inquit: Volucres cæli
 nidus habent, et uulpes foueas, filius uero hominis non ha-
 bet ubi caput suum reclinet. Videmus etiam, qualem pe-
 nes se turbam habeat, secumq; trahat Christus: nempe pesca-
 torum, publicanorū, & ut una uoce dicamus, infimam tur-
 bam. Sed pontifices, scribæ, seniores populi, Pilatus, aliq; q;
 dignitate, eruditione, potentia & auctoritate præcellentes,
 tanquam è sublimi ingenti supercilio fastidiūt Christum,
 neq; uerò id solum, sed etiã oderunt, execrantur, damniāt, &
 persequuntur eum. Hinc est quòd in typis eos sic depingit
 Christus Matth. 22. quòd uocati ad nuptias à rege, filio suo
 paratas, prorsus recusarint uenire: deinde iterū appellati
 de aduētu, iterū neglexerint: et abierit alius in uillā suam,
 alius ad negociationem: reliquos uerò seruos illos uocantes
 ad conuiuium, contumeliose tractatos occidisse. Luca 14.
 inquit, uocatos ipos esse ad conuiuium splendidum, uerum
 omnes simul cœpisse excusationē prætere, alium dixisse:
 Villam emi, et necesse est mihi exire, et uidere eam. alium:
 Iuga boum emi quinq;, et nunc exeo ad probādum ea. alius:
 Vxorem duxi, ideoq; uenire non possum. Matthæi 13 inquit:
 Qui seminatus est in spinis, hic est qui uerbum Dei audit,
 & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat
 uerbum, & sine fructu efficitur. Matthæi 19. Marci 10. Lu-
 ca 18. Phariseus audiens sibi propter Christum omnia de-
 ferenda esse, contristatus est. & subijcitur, Quia habebat
 multas possessiones. Et Christus epiphonema addit: Quam
 difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt?
 facilius est camelum transire per foramen acus, quàm di-
 uitem

uitem intrare in regnum cœlorum. Matthæi 23. *Væ uobis scriba & pharisei, hypocrita, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Iohannis septimo: Nunquid ex principibus quisquam in eum credidit?*

Verùm hæc non in eam sunt torquenda sententiâ, quasi in cœtu Ecclesiæ Dei non sint, aut esse debeant, diuites ac potentes: sed tantum de difficultate & multiplicibus impedimentis disserit Christus. Quare Christus Marci 10. cùm discipuli obstupescerent super uerbis illius, respondet: Filij quàm difficile est, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi? & postea: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. nam omnia possibilisunt apud Deum. De principibus autem Iudæorum quosdam in Christum credidisse, Iohannis duodecimo narrat: Veruntamen, inquit, ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non constabantur. Nicodemus & Ioseph de Arimathia, magni ac opulenti fuere: Zachæus, & Maria cùm sorore ac fratre, mediocres tenuerunt possessiones. Preciosum sanè unguentum fuit, quo Maria IESVM perfudit.

Indicat porrò Christus, exiguum plerumq; cœtum esse, qui ad Ecclesiam ueram pertineat: econtrà uerò, cœtum Ecclesiæ falsæ esse numerosissimum. Matthæi 7. Intrate per angustam portam, inquit, lata enim et spaciota est uia quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Angusta autem & arcta uia est, quæ ducit ad uitam, et pauci sunt qui inueniunt eam. Matt. decimotertio: Quarta tantummodo pars seminis in bono agro confisit ac fructificat, reliqua deperunt. Lucæ duodecimo: Nolite timere pusille greges, quia complacitum est patri uestro, dare uobis

uobis regnum. *Matthæi 11.* Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terra, quod absconderis hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Rarum etiam numerum membrorum Ecclesiæ Christo uiuo fuisse historia Euangelica testatur.

Veram Ecclesiam ab hypocritis & filijs huius mundi plerumq; odio haberi, excommunicari, & uarijs modis uexari atq; trucidari, Christus præmonet: idq; ideo, ne quis tam lugubri Ecclesiæ facie deterreatur. *Matthæi quinto:* Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes propter me. *Matthæi 10.* Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usq; in finem, is saluus erit. *Iohan. 14.* Si ueritas dicit mundus, scitote quod me prius uobis odio habuerint. Item, Si me persecuti sunt, & uos persequentur. *Iohan. 16.* Hæc locutus sum uobis, ut non scandalisemini. E' synagogis eijcient uos: & ueniet hora, ut omnis qui interficiat uos, arbitretur se cultum præstare Deo. Estigitur & Christus ipse typus omnium suorum membrorum.

Bona Ecclesiæ uera multa sunt ac præclara tum spiritualia, tum corporalia huius & æternæ uitæ, sicut de Euangelio & iustificatione alijsq; locis supra indicatum est: paucis tamen quadam repetemus. Habet Ecclesia sincerum Dei uerbum, & sacramentorum genuinum usum: *Matt. 28.* Habet ueram Dei noticiam: *Iohan. 17.* Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti IESUM Christum. Dispensantur in Ecclesia per uerbum, remissio peccatorum, gratia Dei, Spiritus sanctus. *Luc. 24.* *Iohan. 1.* *Lucæ 11.* *Iohan. 20.* Habet Ecclesia fontem regenerationis

generationis baptismum, & communicationem corporis &
 sanguinis Domini: quæ sunt tessera ac σφραγιδες bene-
 uolentiæ Dei gratuita, ac remissionis peccatorum. Membra
 Ecclesiæ sunt unum cum patre et filio: Iohan. 17. Ut & ipsi
 in nobis unum sint. Habitat tota Trinitas in ea: Matt. 28.
 Iohan. 14. Possunt rectè inuocare Deum patrem in Spiritu
 & ueritate, & in nomine Christi: Iohan. 4. 16. Habet Ec-
 clesiæ uitam æternam, & regnum cælorum: Ioh. 2. Luc. 12.
 Habet gaudium, quod nemo ab ipsis tollit: Iohan. 16. Pos-
 sunt leuare capita ad Christi aduentum. Certi sunt, se in
 extremo iudicio lætam sententiã audituros, ac præmia in-
 gentia consecuturos: Matth. 25. Certi sunt, Deum etiam
 corporalia ipsis pro necessitate daturum: Matth. 6. Eccle-
 siæ uera habet miracula omnium amplissima: ut Christi cu-
 rationes, quas uerbo efficit, absq; alijs medijs: resuscitatio-
 nem mortuorum, incarnationem filij Dei, resurrectionem
 à mortuis, ascensionem ad cælos, & dona eius perpetua.
 Nec cessat miraculis ornare suam Ecclesiã. Dixit enim:
 Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad con-
 summationem seculi. Pertinent autem huc illæ commo-
 dationes Matth. 13. Vestri beati sunt oculi quia uident: &
 aures uestre, quia audiunt. Amen dico uobis, multi prophe-
 tæ et iusti cupierunt uidere quæ uos uidetis, et nõ uiderunt:
 & audire quæ uos auditis, & non audierunt. Reuera hæc
 ingentia bona margaritæ preciosissima sunt conferenda,
 quæ ab omnibus, cum gratis præsertim haberi possint, com-
 paranda essent. Sunt autem hæc bona communia toti Ec-
 clesiæ, & tantum ei propria. Nam reliqui extra Ecclesiã
 constituti, ac nolentes uenire, audiant iudicium Christi:
 nempe quòd non sint gustaturi cœnam. Lucæ 14.

Potesta-

Potestatem Ecclesiæ ueræ esse spirituales, in uerbo consistentem, eo demonstrat Christus, quod potestatem imperandi pœnitentibus in suo nomine remissionem peccatorum, & impœnitentibus retinendi, concedit: Matthæi decimo sexto. decimo octauo. Iohannis uigesimo. idq; iuxta uerbum reuelatum, & non contra. Est autem singularis et ardua potestas, ut quam Christus suo sanguine pepererit, & quæ nunquã in mundo tam clarè fuerit ordinata, & Christus ipse uocat clauis regni cœlorum.

Deinde tribuit Christus suæ Ecclesiæ potestatem iudicandi de quauis doctrina: atque adeò præcipit cunctis ueræ Ecclesiæ mēbris, absque discrimine, ut de doctrinis, quas cunq; audiant, iudicium faciant, consentientes cum doctrina à Christo dilucidè patefacta, eamq; amplectantur: dissidentes uerò fugiant & execrentur. Matth. 7. Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimētis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Omnibus autem auditoribus hoc mandatur, & hæc potestas datur: Matt. 24. Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errore inducantur, si fieri possēt, etiam electi. Iohannis 10. Oues eum sequuntur, quia cognoscunt uocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem eius. Certum itaq; & manifestum est, singulos Christianos, non solum habere potestatem, sed etiam seuerum mandatum Christi, ut de quauis doctrina iudicium ferant, quò & unica uoci sui pastoris firmiter adherere, ac lupos rapaces fugere possint. Alligantur autem ipse oues omnium maxime ad uocem & doctrinam

nam Christi, sicut inquit: Vocem meam audiunt. Ea igitur regula critica est, à qua non licet discedere uel latum unguè. Hinc igitur & hoc patet, quis debeat in Ecclesia Christi summus esse iudex, à quo in controuersijs doctrinæ nõ licet appellare ad alios: nempe uox Christi reuelata, certisq; monumentis comprehensa. Nam pater inquit: Hunc audite. Ipsemet dicit: Vocem meam audiunt, alienum non sequuntur. Iohannis 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Iohannis 17. Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas. Postremò, si hominum auctoritate, potentia & opinione doctrinæ præstantium, iudicia essent præferenda, tum sanè testimonia poscerem, Mariæ, Zachariæ, Simeonis, Hanna et similitiũ longè fuissent postponenda sententijs pontificum Hierosolymitanorum, Scribarum, Pharisaorũ & similis farina hominum, qui loco, dignitate, opibus, existimatione eruditionis, sapientiæ, sanctorum testimonia eminebant.

Donum autem interpretandi Scripturam etiam penes Ecclesiam esse, Christus indicat Matthæi 13. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. Docet autem, donum intelligendi & explicandi Scripturæ non esse ad Pontifices, Scribas aut Phariseos alligatum: sed liberè à Deo donari, cui ipse uelit. Deinde dari auditoribus Christi, qui in eius schola audiunt, ac discunt eius uerbum. Accipimus igitur id donum discendo uerbum, per quod Spiritus sanctus est efficax, & dona distribuit cuiq; secundum mensuram fidei. Nam uocantur apostoli prius, & triennio in Christi schola erudiuntur. & Iob. 14. ait Christus: Paracletus uos docebit omnia, et suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Iob. 16. Cum uenerit ille Spiritus ueritatis

ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Coniunguntur igitur, auditus uerbi, & auxilium Spiritus sancti: nec sunt à se inuicem disjungenda. Iohan. 6 ait: Erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me, Matthæi 11. Nemo nouit patrem nisi filius, & cuius que uoluerit filius reuelare. Ecclesie igitur Christi tribuitur donum interpretationis, quod in ea Deus organa talia excitet, quæ & rectè intelligant, & dextrè enarrèt eloquia Dei: & sunt tales, qui prius didicerunt: nec certis hominibus id donum adscribendum est.

Tertio, potestatem Ecclesie suæ Christus in libertatem traditionum humanarum collocat. Matthæi 9. 12. 15. Mar. 2. Defendit Apostolos, uiolantes Iudaicas quasdam traditiones, à senioribus cõstitutas, ac sine ceremonijs illis Iudaicis ministerium docendi in uniuerso terrarum orbe ordinatur, nec uult suos discipulos ad ieiunia discipulorum Iohannis & phariseorum alligatos esse. Pertinet etiam ad liberationem Ecclesie, abrogatio legis Mosæ: Matthæi 11. Lex & propheta usq; ad Iohannem.

Quarto, potestatem etiam habet Ecclesia eligendi, uocandi & ordinandi ministros idoneos, et deponendi & fugiendi falsos doctores. Nam id constat ex institutione clauium, Matth. 18. & quod Christus Matthæi nono inquit: Rogate Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Idem etiam exempla docent Christi & Iohannis, qui discipulos eligunt & uocant: & Apostolorum, Actorum primo, qui Matthiam in locum Iudæ oratione & sorte eligunt & substituunt.

Quod omnes sese debeant cætui sinceram Euangelij doctrinam sonanti adiungore, præcepto sancit Christus Matthæi

thæi 11. Venite ad me omnes. Iohannis 10. Oves meæ uocem meam audiunt. Iohannis 15. Manete in me, & ego in uobis. Pater celestis hoc etiam mandat: Hunc, inquit, audite. Matthæi 17. Mandat item Christus, ut omnes se à falsis doctoribus & ecclesia falsa seiungant, Matthæi septimo: Attendite à falsis prophetis. Matthæi 16. Marci 8. Luca 12. Attendite et caueate à fermento phariseorū & Sadduceorū. Matthæi 24. Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetrabilibus, nolite credere. Iohannis 10. Alienum non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Matth. 12. Mar. 3. Luc. 11. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, dispergit.

Contraria Ecclesiæ Dei ueræ plurima recesset Christus: ut sunt falsi prophete, pseudochristi: Matthæi 7. 24. dogmata falsa, Matthæi 24. Fermentum phariseorum, Matth. 16. Diabolus auferens uerbum ex corde, & 727 ania nocte ferens, Matthæi 13. Mundus persequens doctores & dogmata. Matthæi 10. Alienum sequi, Iohannis 10. Alligatio ad traditiones humanas, Matthæi 15. Ex Ecclesia facere regnum mundanum, Luca 22. Matthæi 20. Marci 10. tempore persecutionis deficere, Matthæi 7. 13. Et similia, quæ ex prædictis facile intelligi possunt.

Imagines seu typi Ecclesiæ extant Matth. 13. in parabola de semine, de agro consito tritico, de uerriculo iacto in mare, Matth. 22. in parabola de nuptijs. Luca 14. de cœna. Breuiati autem consulescentes, eò lectorem remittimus.

Postremò, ex ijs quæ hactenus commemorata sunt, manifestum est, ubi tempore Christi Ecclesia fuerit: nempe in Palestina præcipue: in qua regione Christus cum suis discipulis est concionatus. Membra autem eius Ecclesiæ fuerunt,

X omnes

omnes quotquot in Christum crediderunt: ut sunt, pastores, magi, Zacharias, Elisabet, Ioseph, Maria, Simeon, Hanna, Iohannes baptista, Apostoli, Zachaeus, Martha, Maria, Lazarus, Nicodemus, Ioseph ab Arimathia, & alia plebecula Christum pro uero Messia agnoscēs. Cōtrā pontifices, pharisaei, scribae, seniores populi, Pilatus & reliqui omnes, quot quot aspernati, execrati ac persecuti sunt personam & uerbum Christi, proculdubio non fuerūt Ecclesia Dei: siquidē substantialia Ecclesia uera, ut sic dicamus, non habuerunt.

DE FALSA ECCLESIA.

ET si non uidebatur necessarium, peculiarem huic parti titulum dare, antithesis enim ex precedentibus patet: tamen quo res fieret illustrior, breuius etiam, quae de falsa Ecclesia in Euangelistis tradita sunt, commemorabimus.

Primum, quod sit falsa Ecclesia, apertē Christus docet, quando significat falsos prophetas et pseudochristos uenturos esse, Matthaei septimo, decimoquarto. Et quando taxat et damnat hypocritas, item quando inquit: Excommunicabunt uos, & interficientes nos, putabunt se Deo obsequium praestitisse Iohannis 16.

Est autem falsa Ecclesia, coetus adulterantium uerbum Dei, & sacramenta, damnantium & persequentium synceram doctrinam: in quibus Deus non habitat, licet titulo uelint esse Ecclesia: neque erunt haeredes uitae, nisi conuertantur. Haec ex reliquo contextu plana erunt.

Vnde sit falsa Ecclesia, Christus admonet: nempe à diabolō, & falsis prophetis. Matthaei 13. Cū dormirent homines, uenit inimicus eius, & superfeminauit & exania in medio tritici. Item: Inimicus iste diabolus est. De falsis prophetis

phetis ante mentio est facta. Iohan. 10, nominat eos Christus alienos pastores, fures, latrones. Iohannis octavo: Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Nota falsa Ecclesie sunt: Doctrina fermentata, Matth. 16. Marci 8. Lucae 12. Docere, Christum in penetralibus, aut in deserto querendum esse: hoc est, Christum loco aligare. Docere, quasi uita solitaria, ordinibus uarijs, aut observatione certarum traditionum, Christum, hoc est remissionem peccatorum possumus consequi. Sentire Messiam fore alium quam IESUM, & quidem regnum corporale instituentem. Non amplecti IESUM, licet uerbo & miraculis sese euidenter declaret. Sentire, homines suis uiribus posse legem implere, et abhorrere à Christi merito ac gratia: imò eam damnare, exhibere, execrari, sicut tota historia phariseorum, & reliquorum obstinatorum Iudaeorum testantur.

Audire uerbum, & non facere, non amplecti, non in eo persistere, Matthaei septimo: Omnis qui audit uerba mea, & non facit, similis est uiro stulto Matth. 13: Omnis qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus uiam seminatus est. Qui autem super petram seminatus est, hic est, qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta enim tribulatione & persecutione propter uerbum, continuo scandalifatur. Qui autem in spinis est, is est, qui uerbum Dei audit, & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum, suffocat uerbum, & sine fructu efficitur. Traditiones humanas praeferre operibus moralibus. Matth. 15. Quare uos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones uestras? Et quam superstitiosus fuerit in ceremonialibus po-

pulus Iudaicus, Christus cum alibi, tum in primis Matt. 23 indicat, ubi falsae Ecclesiae hypocrisin tribuit, & plures eius notas simul comprehendit: ut quod doctores in ea alligent onera importabilia, & imponant in humeros hominum, digito autem suo nolint ea mouere: quod claudant ante homines caelum, & ipsimet non intrent, nec permittant quenquam ingredi: comedant domos uiduarum, & c. Abrogare, aut deprauare, aut male usurpare sacramenta à Christo instituta. id quod ex uerbis Christi sumi potest, cum inquit Matth. 28. Docentes eos obseruare, quaecumq; mandauimus uobis. Hoc ergo falsa Ecclesia non facit. Excommunicare ueros doctores, & alia membra Christi. Iob. 1. Excommunicabunt uos: Idololatria. Matth. 24. Ecce hic est Christus, ecce illic, ecce in penetralibus, ecce in deserto. Procidere ante Diabolum, cumq; adorare propter regna huius mundi: Matth. 23. Si procidens adoraueris me, dabo tibi regna huius mundi. Ex spirituali regno Christi, regnum mundanum facere: Lucae 22. Persequi Christum & omnes credentes: Matth. 10. Tradent uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad praesides & reges ducemini propter me. Matth. 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem. Iohannis. 16. Veniet tempus, ut omnis qui interficiat uos, arbitretur se obsequium praestare Deo.

Habet autem Ecclesia falsa peculiarem speciem propter locum, personas, potentiam, auctoritatem, eruditionem, uita sanctimoniam. Habent enim synagogas & concilia, Matth. 23. Iohannis decimo sexto: Dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias, uocantur Rabbi, circumueunt

mare & aridam, ut faciant profelyium: hoc est, maximos labores adhibent, ut homines ex falsis religionibus eripiāt: decimant omnia, mundant omnia, ornant monumenta prophetarum. dicunt, Si fuisset in diebus patrū nostrorum, non fuisset socij eorum in sanguine prophetarum: Matthæi uigesimocertio: Habebant Iudæi templum Dei, religionem à Mose traditam, omnia gerebant maxima specie. Habet & falsa Ecclesia maximam hominū multitudinem. Matthæi septimo: Lata uia, & spaciofa porta est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.

Finis autem falsa Ecclesie est, ira Dei, & pœna etiam corporalis. Matth. 22. Rex, inquit Christus, audito hoc nuncio, (nempe beneficiū suum superbè contemni, seruos ignominiose tractatos & occisos) iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem ipsorum succendit. Matth. 7. Omnis qui audit mea uerba, & non facit, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, fuitq; ruina eius magna. Desertio Dei, & tenebrarum augmentum: Matthæi 13. Iohannis 12. In parabolis loquor eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt, ut adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicentis: Auditum audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & nō uidebitis. In crassatum enim est cor populū huius, & auribus grauius audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, et sanem eos. Interitus: Matth. 7. Eiectio è regno cœlorum, & pœna aeternæ, Matthæi octaui: Filij regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor den-

rum. Idem imago quinque fatuarum uirginum à sponso exclusarum, et forma futuri iudicij, ubi hædi ab omnibus separabuntur, docent. Eadē monet parabola de *zizanijs* Matth. 13. Messores, inquit, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur *zizania*, & igne cōburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet enim filius hominis angelos suos ut colliget de regno eius omnia scādala, & eos qui faciūt iniquitatē, & mittet eos in caminū ignis: ibi erit fletus & stridor dētiūm.

Quid agendum sit cum *zizanijs*, hoc est malis, immixtis uera Ecclesie Dei, in parabola docet: nempe, quod à personis ecclesiasticis non sint euellendi uī civili, ne & triticum simul eradicetur: sed relinquendos esse usque ad messē, ubi colligentur ab angelis, igniq; tradentur, cremandi in perpetuum. Non tamen prohibet Christus, quin impenitentibus uerbo peccata ligentur, ac retineantur: Matthæi decimo sexto, decimo octauo: Iohannis uigesimo. Neg, magistratui politico prohibuit, quin ei liceat manifestē blasphemos corporaliter etiam punire. Tantū enim doctoribus legem statuit, ne corporali uiuantur. Præterea loquitur Christus de ijs qui non manifestē impugnant aut blasphemant ueritatem.

Quod impij doctores & dogmata erronea sint uitanda, paulo antè est expositum.

DE REGNO CHRISTI.

Loco de Ecclesia affines sunt, imò ad eius explanationem planè pertinent, loci de regno Christi, de ministerio Euangelico, de libertate Christiana, & similes. Exposita igitur doctrina de Ecclesia, quantum quidem mediocri diligentia ex Euangelistis inuestigare & colligere licuit, in his nunc breuiores data opera erimus.

An habeat regnum Christus, dubium non est, cum ipse
Matth.

Matth. 6. iubeat regnum Dei quærere: & Matth. 12. inquit, Peruenit in uos regnum Dei. & Iob. 18. alijsq; locis, quale habeat regnum declarat.

Esse regnum Christi spirituale, non mundanã aliquam dominationem, clarè indicat Christus administratione sui officij, ac tota uita, in qua externum mundi imperium non modo non affectauit, sed fugit etiam: sicut Iohannis 6. memoriæ proditiũ est. Iesus ubi cognouisset, quod uenturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterũ in montẽ ipse solus. Matth. 8. Luca nono inquit Christus: Vulpes foveas habent, & uolucres celi nidos: filius autẽ hominis non habet ubi caput suum reclinet. Matt. 20. Marci 10. matri filiorum Zebedei, petenti ut collocentur filij sui in regno Christi, alter ad dexteram, alter ad sinistram, respondet: suum regnum esse, calicem bibere, & baptisari: hoc est, pati. Deinde apertè inquit: Scitis quòd principes gentium dominantur, & qui maiores sunt potestatem exerceant; non ita erit inter uos. Apertissimè igitur docet, se non constituturè regnum mundanũ. Rixantibus discipulis post cœnam, ipsa uespera qua Christus de sua morte concionem grauissimam habebat, quis inter ipsos uideretur esse maximus, dissertè Christus respondet: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici uocantur: uos autem non sic. Luca 22. Proxus hic regnum externum mundanũ à suo regno distinguit. Denique in passione sua corã Pilato profitetur IESVS, ueram de suo regno sententiam: Iohannis 18: Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Vbi etiam fatetur, se in hoc natum esse, et ad hoc uenisse, ut esset Rex: sed

ralis, qui testimonium ferret de ueritate. Ad affixum in cruce Christum lauro se conuertens, ait: Memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Non igitur corporale regnum habere poterat, miserabiliter in cruce suspensus, & iam iam moriturus. Respondet autem Christus, Hodie mecum eris in paradiso. Paradisi itaq; recuperationem, donationem ac possessionem, docet esse suum regnum. Nec temerè factum est, quòd à Pilato inscriptio in ipsam crucem imposta est: Hic est IESVS NAZARENUS rex Iudæorum. At sic non poterat esse mundanus rex. Præterea non concionatus est Christus contra Cæsarem, aut Pilatum: sed iubet Cæsari dare suum. Matth. 22. Idcirco noluit arripere mundanum imperium, Etiam post resurrectionem, Apostolos de instauratione regni Israel politici somniantes refellit, Act. 1.

Ex iisdem fundamentis patet, Christi regnum æternum esse. Addeamus tamen insuper & alia quædam. Matth. 11. ait Christus: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. id uerò non conueniebat regno temporali. Matth. 16 dicit, se uenturum in regno suo. Loquitur autem de aduentu in nouissimo iudicio. Testatur Christus crebrò, se post mortem uiuenturum & regnaturum. Matth. 25. promittit se recepturum esse credentes in regnum patris. Necessè est igitur, eum æternum habere regnū. Christus dat uitam æternam: ideo & regnum æternum habeat necessè est. Gabriel eandem proponit doctrinā Mariæ: Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, Luca 1.

Quale regnum Christus in terris habuerit, dum uisibiliter præsidè adesset, nimirum usque ad gloriosam suam ascensionem, ex loco de Ecclesia, & in primis de officio Christi, planum

planum est. Docet enim, patefaciens uerã Dei doctrinam, et taxans corruptelas impios cultus, adhortans ad penitentiam, declarans se esse Messiam, se dare iusticiam & uitam, edit miracula omnium maxima, curat uerbo quoscunq; male habentes, excitat mortuos, expellit dæmonia ab hominibus, congregat Ecclesiam, impertit remissionem peccatorum, instituit baptismum & cenã suam, pendet ipse quoq; staterem magistriatui, patitur pro peccatis totius generis humani, moritur, resurgit, instituit uniuersale ministerium propagandi Euangelium in omnes creaturas, tradit Ecclesie clauces, ascendit uisibiliter in cælum, in signe & admirandum spectaculum exhibens, sedet ad dextram Dei. Ista omnia suis in locis fusius tractantur, & hic summis quasi digitis leuiter attigisse satis sit.

Quale regnum iam in terris post ascensionem in cælum habeat, usq; ad mundi finem, hisce dictis admonet: Iohannis 20. Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Matthæi 28. Mar. 16. Luc. 24. Docete omnes gentes. Est igitur regnum Christi omnibus seculis post Ascensionẽ hic in terris suam uocem puram & incorruptã conseruare, excitare pios doctores, spargere et propagare per organa salutaria ueram doctrinam: adificare Ecclesiam. Matthæi 16. Super hanc petram adificabo Ecclesiam. Ad:ffe suæ Ecclesiæ, Matthæi 28. Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Non enim ita discessit, ut non curam gerat sui regni, non adsit ipse. Regenerare per baptismum, Iohannis tertio. Dare suum corpus & sanguinem in sua sacra cena. Matthæi uigesimo sexto. Marci decimo quarto. Luca 22. Patrocinium Ecclesiæ prestare in rebus perturbatis, Matthæi 16. Porta inferorum non praualebunt aduersus

eam. Iohan. 10. Non rapiet eos quisquam de manu mea. Iohannis 14. Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Dare spiritum sanctum, Iohannis 16. Ego mittam paraclitum à patre. Operari per ministerium miracula, Mar. 16. Signa, inquit, eos qui crediderunt, hæc sequentur: In nomine meo daemonia eijcient. linguis loquētur nouis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super agrotos manus imponent, & bene habebunt. Item: Prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Agere intercessorem ac sacerdotem apud patrem pro nobis, Iohannis 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Ipsius nomine, hoc est, se mediatore appellato, uult preces fieri.

Quale regnum in fine mundi & in æternum sit habiturus, ipsemet quoq; docet: nempe quòd in nouissimo die sit rediturus, & excitaturus omnes. Iohan. 6. Resuscitabo eos in nouissimo die. Item iudicio graui separaturus credentes & impios, & credentes in regnum patris sui translaturus, impios unà cum Diabolis proiecturus in ignem æternum. Matthæi 25. Habiturus est credentes secum, & præbebit conspiciendam suam claritatem, Iohannis 17. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant claritatem quam dedisti mihi.

Proinde ciuū in hoc spirituali regno Christi officium est, audire & discere uerbum Christi, quod uoce ministrorum Ecclesia repetitur: rectè administrare & usurpare Sacramenta, inuocare in nomine Christi, confiteri, lucere bonis operibus, perseuerare, expectare certā redemptionē, tribulationes in hoc mundo contemnere: sustentare se promissiones æternæ glorificationis, parère presentibus magistratibus.

zibus, & nihil tamen contra Deum aut conscientiam propter ipsos facere. Sunt igitur hæc regulæ civibus & incolis regni Christi in hac terra exactè seruandæ, Matthæi sexto: *Quærite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & reliqua omnia adijcientur uobis.* In hac illustri sententia ordinem agendarum rerum egregio ordine commemorat ac sancit Christus. Item Matthæi 23. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Non abolet Christus politicum imperium, aut magistratus: sed præcipit, ut eis obedientiam debitam, honorem et pensiones usitatas tribuamus, nec seditione, contemptu aut cõtumacia eum ordinem turbemus: attamen habet suas metas ea erga magistratus obedientia, ne uidelicet ei reddantur quæ sunt Dei. Addit igitur significantissimè, et Deo reddite quæ sunt Dei: nempe pietatem, & quæcunq; in Decalogo præcepta sunt.

Regno huic contraria sunt, mundanum Christi regnum in terris expectare, seu ambire. Matth. 20. Marci 10. Luca 22. Ecclesiasticas personas, hoc est, doctores uerbi rapere sibi potestatem gladij, eoq; contra hostes Christi uitæ. In horto Petrum, ense ferientem Malchum, grauiter increpat Christus: ac præcipit, ut recondat ensẽ, comminatione insuper seuera addita: *Omnes (scilicet ministri Ecclesiæ) qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Putare regnum Christi esse magnificum & splendidum. Luca decimo septimo: *Non ueniet regnum Dei cum obseruatione.* Abrogare officium magistratus politici, ne sit terrori malo operi, & honori bono, eo quòd regnum Christi sit spirituale. Diuersa enim regna sunt, regnum Christi & regnum politicum, & non contraria. Matth. 22. Et reliqua, quæ supra de Ecclesiæ exposita sunt.

Esse aliquod ministerium publicè docendi Euangelium, seu doctrinam de Christo, alijsq; articulis à Deo patefactis, ex historia Christi notum est. Docet enim Baptista publicè ac intrepidè, IESUS esse Christum & agnum Dei. Idem etiam profitetur ac docet Iesus ipse, qui uocat et emittit duodecim discipulos, & alios septuaginta, dulcissimam uocem de præsentè Messia, eiusq; beneficijs spargètes. Deniq; post resurrectionem suam, ascensurus in cælum, uniuersale ministerium prædicandi Euangelium omni creaturæ instituit duraturum usq; ad finem mundi.

Occurrunt autem in Euangelistis uariæ appellationes ministerij Euangelici: quales sunt, Prædicare Euangelium, Marci 16. Prædicare Euangelium omni creaturæ. Prædicare poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine Iesu, Luca 24. Prædicare baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, Marci 1. Vocare peccatores ad poenitentiam, Matth. 9. Esse sal terræ, Matth. 5. Operari in messè Domini, Matth. 9. Seminare uerbum, Matth. 13. Piscari homines, Marci 1. Faciam uos piscatores hominum. Vocare inuitatos ad nuptias, Matth. 22. Viam Dei in ueritate docere, Matth. 22. Pascere oues Christi, Ioannis 20. Testimonium perhibere de Christo, Ioannis decimo quinto. Arguere mundum, Ioannis decimo sexto.

Est autem ministerium Euangelicum, seu Ecclesiasticum, ut sic uocemus, nihil aliud quàm in uocatione legitima publicum officium docendi doctrinam reuelatam ac traditam à Deo, certo uerbo, & in primis articulum de remissione peccatorum gratuita, per solam fidem in Christum: &
admirati-

administrandi sacramenta, iuxta institutionem: sicut probabunt sequentia.

Duplex hoc esse ministerium, nempe Apostolicum, hoc est Apostolis proprium: deinde commune, res ipsa docet, licet eas appellationes non habeant Euangelista. In quibus autem rebus conueniant, aut differant, mox exponetur.

Virumq; in genere esse à Deo, qui & excitat organa salutaria, & uult eos publicum docendi munus administrare, ad quam rem sua quoq; dona atq; uirtutes benignè largitur Deus, ex uerbis & historia Christi manifestū est, Matt. 9. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Matth. 10. Lucæ 10. Matthæi 28. Marci 16. Luc. 24. Iohannis 20. 21. Christus ipse ordinat concionatores seu doctores, eisq; publicum docendi ministerium committit, Matthæi 10. Non uos estis, inquit Christus, qui loquimini: sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Iohannis decimo sexto, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Iohannis 20. Accipite Spiritum sanctum. Iohannis tertio Ba¹⁶²³ptista inquit: Non potest homo sibi sumere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Non igitur temerè aut fortuitò ministerium docendi publicum exortum est, sed Deus ipse auctor & institutor fuit, & adhuc dat salutare doctores, suamq; ordinationē usq; ad mundi huius interitū conseruat.

Differt autem Apostolica functio hac in parte à communi: quòd Apostoli immediatè à Iesu Christo uocati sunt, cæteri autem mediatè & legitimo modo à Deo excitantur & uocantur. In Apostolica functione fuere duodecim illi, à Christo peculiariter ac uina uoce assumpti, Matthæi decimo. & septuaginta, quos binos ante se misit, quocunq; uenturus erat. Apostolicam functionem & Iohannes bapti-

sta sustinet. Dicit enim se à Deo immediatè uocatū, ad testificandum de Christo: Qui misit me, inquit, baptizare, ille mihi dixit. Reliqui concionatores Christo in cælum sublato, per Apostolos ac alios pios uiros eliguntur ac uocantur: sicut Actuum Apostolicorum liber & posterior Ecclesiæ historia docet.

Quales personæ tempore Christi publicè docendi Euangelium ministerio functæ sint, ex historia liquet. Primo loco ponamus Christum, licet ad ministerium hoc aliquanto posterius quàm Iohannes accesserit. Filius igitur ipse Dei factus homo, publicè docèdi munus administrauit, uocatus atq; initiatus & ipse à patre suo cælesti, Matth. 3. 17. Precessit eum, nonnihil Iohannes baptista, filius Zachariæ sacerdotis de uice Abia. Duodecim illi fuere piscatores, publicani, & de inferiori plebe homines: nihilo uerò nobiliores & septuaginta illos fuisse consentaneum est. Nemo autem ex pontificum aut reliquorum magnatum ordine, in Apostolorum numerum cooptatus legitur: idq; non sine singulari Dei consilio factum esse, quis non intelligit? Appellantur istæ personæ piscatores hominum, Matthæi 4. Operarij in messe, Matt. 9. Serui seu legati uocâtes ad nuptias, ac cœnam, Matthæi 22. Lucæ 14. Prophetae, sapientes, scribæ, Matthæi 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occiditis, &c. Serui negociantes, Matthæi 25. Testes, Lucæ 24. Iohannis 15. Afl. 1. Sal terræ, lux mundi, ciuitas alta, lucerna super candelabrū posita, Matthæi quinto. Hi autem non subito rapiuntur ad huiusmodi arduum ministerium, sed prius discunt. Baptista in schola domesticâ sanctissimorum parentum, nempe Zachariæ & Elisabethæ, magna sedulitate institutus est: præsertim

ferim eum diuina reuelatione acceperint, eum fore tubam ac præcurforem Messiaæ præsentis. Deinde haud dubiè alios quoque pios et doctos viros audiuit. Denique erudit ipsum Deus immediatè quoq; iubens eum baptizare, et monstra re Messiam. Apostoli priusquam docendi munus publicè suscipiant, triennium in schola Christi prius solerter instituuntur, intuentur miracula, dies ac noctes apud Christum agunt. Etsi autem miraculose proficiunt, Christo per Spiritum sanctum in ipsis operante, præsertim in Pentecoste, ut suo loco commemorandum erit: tamen non discunt in momento capita doctrinae Christi omnia, sed paulatim erudiuntur. Aetate quoque non puerili ad hanc amplissimam functionem leguntur accessisse, sed virili. Iohannes trigesimo suæ ætatis anno, suum illud munus auspicatur. Iesus etiam usq; ad eam ætatem expectat, Lucae tertio. Maturæ ætatis cæteros etiam Apostolos fuisse, nemo dubitat.

Forma uocationis ut non caremoniosa fuerunt, ita breuibus quoq; descriptæ sunt: autoritas tamen atq; grauitas eius uocationis maximi est momenti. Quando Christus ipse iniatur ad ministerium suum, baptisatur à Iohanne in Iordane: pater fert testimoniũ, eum esse suum dilectũ filium: Spiritus sanctus uisibili specie columba in Christũ descendens, eum inungit. Hæc est uniuersa pompa ueri archiepiscopi, omnium aliorum episcoporum, Matthæi 3. Marci 1. Lucae 3. Iohan. 1. Andreas ac Petrus iuxta mare, dum occupati sunt mittendis retibus in aquã, et uocantur et ordinantur simul simplicissimis uerbis: Venite, inquit Christus, post me, faciã uos fieri piscatores hominũ. Matt. 4. Philippi uocatio et ordinatio eodem modo peragitur: Sequere me, inquit Christus. nec adhibentur ullæ alia caremonia.

Isidem

Iisdem uerbis ad Matthæum utitur : Sequere, inquit, me. Matth. 9. Nec est credibile, alios Apostolos aliter uocatos esse. Postea tamen superata morte, Christus totum cœtum apostolicum afflat, & inquit: Accipite spiritum sanctum. Ascendens in cœlum, eleuatis manibus suis benedicit eis, et iubet egredi in totum mundum, ac disseminare pœnitentiam ac remissionem peccatorum in suo nomine. Lucæ 24. In Pentecoste, ut infra dicitur, in eos Spiritus sanctus descendit, flammâibus ipsorum linguis apparens. De Baptista ordinatione & consecratione ad ministerium, nihil aliud extat, quàm quod se iussum affirmat à Deo, ut Baptismum ordiretur. Iohannis 1, & Lucæ 3. Factum est uerbum Domini in deserto ad Iohannem. Quibus autem ritibus ceteri doctores Ecclesiæ sint uocâdi, qua ratione publicum hoc docendi munus eis sit delegandum ac imponendum, non est expresse traditum, sed libertati Ecclesiæ relictum.

Res huius ministerij publici sunt, certa, explicata, uera & perspicua doctrina, patefacta à Deo, de omnibus capitibus scitu necessarijs: in primis uerò doctrina de lege et de Euangelio, seu de Christo eiusq; beneficijs, hoc est, de remissione peccatorum gratuita propter meritum Christi, fide gratis accipienda, & legitima sacramentorum administratio. Ad has res omnes illi ministri alligati fuerunt, & sunt ex quo omnes boni ministri, omnibus seculis ad eas adstricti. Compendia autem harum rerum à Christo dilucide recitantur, Matthæi 10. Euntes prædicate dicentes, quod appropinquarit regnum cœlorum. Matth. 28. Euntes docete omnes gētes, baptisantes eos in nomine patris et filij et spiritus sancti, docētes eos seruare omnia quæcumq; mandauit uobis. Hoc dicto res illius publici ministerij cōmemoratur, doctrina &

na & sacramēta, omnesq; ad dictata Christi expresse obligantur: inclusa non obscure interdictione, ne quid alieni adsuant. Eadem referuntur Marci 16. Euntes in uniuersum mundum, predicare Euangelium omni creatura: qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Rursus hic doctrinae et sacramentorum mentio fit. Lucae 24. Oportebat, inquit, Christum pati, & resurgere à mortuis tertia Die, & predicari in nomine eius penitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Iohannis 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iusticia, de iudicio. De peccato quidem, quod non credunt in me: de iusticia, quod uado ad patrem: de iudicio, quia princeps huius mundi iudicatus est. Iohannis 20. Sicut me misit pater, ita et ego mitto uos. Haec cum dixisset, insufflauit in eos, et dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. In genere de ministerio, Matthaei 13 inquit Christus: Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum.

Ceterum qua sint capita doctrinae, quae eorum summa, quae ratio sacramentorum, passim in hac idea doctrinae exponitur, unde lector potest petere, et haec res sunt communes omnibus, quolibet seculo in ministerio docendi uersantibus. Etsi enim Iohannes prior incipiebat doctrinam de Messia praesente, & baptismum, tamen circa easdem res occupatus est. Neq; hic propter uocationes res uariantur. Easdem res & prophetae ante exhibitum Christum in ministerio suo publice tradiderunt, Matthaei 22. Lucae 14. ubi significat Christus, eadem uoce tum Iudaeos tum gentes uocari. Lucae 24. Necessè est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, Prophetis et psalmis, de me: Philippus ait Iohannis primo:

Y Quem

Quem scripsit Moses & propheta, inuenimus Iesum. Lucæ 1. Maria inquit: Sicut locutus est ad Patres nostros. Zacharias inquit: Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius. Ex his dictis duo patent: unū, quod ministeriū docendi etiam ante Christū fuerit: alterū, quod res ministerij istius congruat in veteri & nouo Testamēto.

Non esse fas unquam, uel Apostolorū, uel ministrorum Ecclesia Christi, mutare sermonem, hoc est genus doctrina à Christo reuelatum ac traditum, ac pro arbitrio articulos fidei condere uel abolere: sed omnes ex æquo ad patefactū hoc uerbū Christi alligatos esse, perspicuè Christus docet Matth. 28. Docentes, inquit, eos seruare quaecunq; præcepi uobis. Lucæ 24. Vos estis testes horum. Iohannis 15. Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. Non autem integrum aut liberum est testi, comminisci sententias in rebus grauibus: sed res habet certas, exploratas ac præscriptas, à quibus non licet ei discedere, aut pilum etiam latum (quod dicitur) deflectere. Iohannis 14. Spiritus sanctus docebit uos omnia, & suggeret (inquit) uobis omnia, quæ dixi uobis. Non dicit, eum aliena conficturum esse. Iohannis 16. Cum uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunq; audiet, loquetur: et quaecunq; uerura sunt, annūciabit uobis. ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annūciabit uobis. Alligantur igitur Apostoli ad uocē Christi, & dictata spiritus sancti. Iohānis octauo: Si manseritis in meo sermone, uerē discipuli mei estis. Iohānis decimo. Oues meæ uocem meam audiunt. Non igitur alia uox quàm Christi, ouibus est proponenda. Præcipit etiam, ut à fermento Pharisæorum sibi caueant. Damnantur insuper acriter pseudo
prophe-

propheta & pseudochristi, diuersam à Christo doctrinam afferentes, Matt. 7. 24. Deniq; ideo in schola Christi tam diu doctrina cœlesti imbuuntur Apostoli, ut sciât se non habere ius nouum doctrinæ genus comminiscendi, & quid uel lent pro arbitrio docendi, sed ut eam tantum addiscant & spargant, quam ex uina uoce Christi perciperent.

Cum autem duo sint ministerij uerbi partes, Concio pœnitentiæ, & remissionis peccatorum: uult ordinem in ijs seruari IESVS, ut primo loco lex, secundo Euangelij doctrina proponatur, & non è contrâ. Luca uigesimoquarto. Prædicari in nomine eius pœnitentiã & remissionẽ peccatorum. Huc etiam exempla pertinent Iohannis Baptistæ, Matth. 3. & Christi, Marci 1. & Apostolorum, Marci 6.

Vult etiam prudentiam et fidelitatem in administratione earum rerum, quæ ad ministerium Ecclesiæ pertinent, adhiberi Christus: ne Epicureis, aut persecutoribus subijciatur & prostituatur Euangelium, & sacramenta. Matthæi septimo: Nolite, inquit, sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpant uos.

Debere ministerium docendi esse publicum, Matthæi decimo Christus aperte præcipit: Quæ dico, inquit, uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicare super tecta. Item: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Est enim hoc dictum, tum de publica ministerij confessione, tum de priuata cuiusq; credentis accipiendum. Matthæi quinto. Vos estis sal terra. Item: Vos estis lux mundi, non potest ciuitas

abscondi supra montem posita. neq. accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in caelis est. Est autem praedicationis uerbi Dei unum de excellentissimis operibus à Deo praecipis. Et haec ad totam Ecclesiam Christi spectant.

Porro nulla maioritas, nullus primatus inter Apostolos & eius successores à Christo constituitur: sicut Matth. 18. 20. Marci 10. Lucae 22. explicatur. Manifestè enim pronunciat Christus: Non erit ita inter uos: sed quicumq. uult inter uos esse maior, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Lucae 22. praedicat Apostolis excellentiam, quam post hanc uitam, & quidem ipsi pariter omnes, habituri sint: Vos, inquit estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Referatur & hoc ad Apostolorum peculiare donum, quòd in resurrectione iudicaturi sint duodecim tribus Israel.

Pertinet quoq. ad explicationem huius loci, quòd ministerium hoc Ecclesiae Christus à regno mundano, & civili potentia ac uiolentia, accuratè discernat, Matth. 20. Marci 10. Lucae 22. nec uult permittere, ut Petrus tanquam minister Ecclesiae, gladio aduersus persecutores utatur. Matthei 26. uetat, ne civili uiolentia extirpentur & inania. Matth. 13. Quod autem Lucae 22. inquit Christus, Nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, uendat unicam suam, & emat gladium: figuratè dicitur. Significat enim, restare

restare pericula, opus esse certamine. Postea Apostolis dicentibus, Ecce duo gladij hic: respondet, Satis est. Somniabant boni discipuli, suum præceptorem de corporalibus gladijs dicere, ut erant adhuc imbecilles, nondum capientes quod Christus expressis uerbis dicebat, Oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est, ideo dicit Christus, Satis est: subindicās, non opus esse ut Apostoli corporalia praelia pro se ineant, armisq; dimicent: se enim destinatum esse passioni. Euestigio igitur iter in montem Oliuarum, inchoatus passionem suam, ingreditur.

Debere ministros Euangelij rebus necessarijs ad hanc corporalem uitam sustentari, ac licitum eis esse debitum stipendium accipere, Christus perspicuè docet Matthæi decimo, Luc. 10. Dignus est operarius cibo suo, seu mercede sua. Quod autem dicit, Gratis accepistis, gratis date: Nolite possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in 20nis uestris: Non peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam: præcipit, ne cauponentur Ecclesie ministrij uerbum Dei, neq; auaritia ac bonis secularibus cum incommodo uerbi anxie studeant. Estq; promissio, quod Christus uelit eos alere. Continud enim subiungit ueluti rationem: Dignus enim est operarius mercede sua. Item Luc. 10. in eadē domo manete, edētes et bibentes quæ apud eos sunt.

Duraturum esse aliquot ministerium publicum docendi usq; ad finem mundi, Christus hac sua promissione docet Matth. 28. Ero uobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Matth. 16. Porta inferorum non præualebunt aduersus eam. Idem testatur concio de fine mundi, Matth. 24. Item de sapientibus uirginibus, & de fidelibus seruis, Matthæi 25. Quamuis ingens hominum contemptus

et persecutio simul predicatur in fine mundi grassatur. a esse.

Hæc tamen duo habet Apostolica functio peculiaris præ alia communi reliquorum doctorum Ecclesiæ vocatio-
 ne, quod miraculorum donis sit ornata: et mandatum ha-
 beant Apostoli non tantum uno in loco, sed ubiq, terrarum
 docendi Euangeliū IESV Christi. Matth. 10. Mar. 3. Con-
 vocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem con-
 tra spiritus immundos, ut eijcerent eos, et curarent omnem
 languorem, et omnem infirmitatem. Item: Infirmos curate,
 mortuos suscite, leprosos mundate, demones eijcite. Marci
 16. Signa eos qui crediderint, hæc sequetur: In nomine meo
 demonia eijcient, linguis loquentur novis, serpentes tol-
 lent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super
 ægros manus imponent, et bene habebunt. Marci, sexto. Vi-
 gebant oleo multos ægros, et sanabatur. Narratur hic mira-
 culosa Apostolorum unctio, non datur præceptum ut omni-
 bus seculis hoc faciant verbi ministri. Luc. 9. Misit eos præ-
 dicare regnum Dei, et sanare infirmos. item: Circuibat per
 castella euangelisantes, et curantes ubiq,. Lucæ 10. Ecce
 dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpio-
 nes, et super omnem uirtutem inimici, et nihil vobis noce-
 bit: Lucæ 24. dicit Christus de illa potestate ubiq, prædican-
 di: Oportet prædicari pœnitentiam et remissionem peccato-
 rum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma. Mat. 28.
 Ite docete omnes gentes. Mar. 16. Prædicate Euangelium om-
 ni creaturæ. Hæc sanè particularia fuisse, seu personalia,
 seu temporalia (ut sic dicamus) apparet. Observatione ta-
 men dignum et hoc est, quod ministerium Apostolorum
 initio fuerit particulare: hoc est, ad certa tantum Iudæa lo-
 ca alligatum. Nam Matthæi decimo inquit Christus: In
 uiam

uā gentiū ne abieritis, et in ciuitates Samaritanorū ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierūt domus Israel. Et hæc quidē particularis, ut sic uocemus, missio durat usq; ad ascensionē Christi. Postea uerō in ipsa Ascensionis hora accipiunt damandationē ministerij uniuersalis: Ite, inq; in mūdum uniuersum. Et postea accepto spiritu sancto in Penthecoste, hoc ipsum q; iubebātur prestabāt. Est igitur hæc uniuersalis, ut sic uocemus, missio. Cōmunes autē Ecclesiæ doctores loco certo pestināsunt: cessauit etiā miraculorū donū, quale Apostoli in primordijs Ecclesiæ Christi habebāt.

De autoritate & dignitate ministerij istius, supra etiam de uerbo Dei quædā collecta sunt. Sed hic quædā repetenda uidentur. Mat. 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Matt. 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationē seculi. Luc. 10. Qui uos audit, me audit. Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mūdum. item: Docebit uos omnē ueritatē. Ioh. 14. Spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcumq; dixi uobis. Ioh. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto uos: accipite spiritū sanctum. Mat. 10. Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Quæ uerō potest maior autoritas aut dignitas existere, quàm hæc, quòd ministerio docēdi adest pater, & filius ac spiritus sanctus? Etsi autē principaliter de ministerio Apostolorū hoc sit intelligēdū, qui tāquā testes Christi, istis magnificis testimonijs ornati, et omnibus auditoribus cōmēdati sunt, tamē quæ ministeriū uerbi nō tantū pro ipsorū etate instituitur, sed ut semper in eo uox Euāgelij sonet, ideo ad ministeriū docēdi uerū ac sincerū omnib; seculis, hæc illustria dicta per-

tinent: Ero, inquit Christus, uobiscum omnibus diebus usque ad seculi finem. Autoritas ministerij in nouo Testamento inde quoque crescit, quod in Veteri de eo sit predictum, sicut Luca primo & uicesimoquarto expressè indicatur: & citantur ex Esaia & Malachia illustria testimonia, de officio Iohannis praconis & caduceatoris Messiae.

Effectus huius ministerij sunt, deducere ad ueram Dei cognitionem. Matth. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Quod Christus uelit se huic cœtui adiungere. Matthæi 18. Vbi duo uel tres congregati sunt in meo nomine, ibi sum in medio eorum. Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciemus. Adfert spiritum sanctum. Iohannis 14. Si diligitis me, madata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum: spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum. Adfert conuersionem. Iohannis 6. Omnis qui audiuit & didicit à patre, uenit ad me. Adfert pœnitentiam & remissionem peccatorum, & salutem. Luca 24. Marci 16. Regenerationem Iohannis 3. Defensionem in omnibus. Matthæi septimo. Qui audit uerba mea, & facit ea, assimilabitur uiro prudenti, qui adificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Adfert facultatem bene operandi, Iohan. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Declarat autem ista his uerbis: Si pœcepta mea seruaueritis, manebitis in mea delectatione, sicut & ego pœcepta patris mei seruauit

seruauit. Idem parabola de semine monet, Matth. 13. Adferat hoc bonum, ut possimus rectè Deum inuocare & glorificare. Iob. 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcumq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Adferat uitam æternam, Iohan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam. Iohannis octauo: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Sed hæc in loco de Verbo Dei, de Euangelio, ac uicinis alijs copiosius declarantur.

Contraria huic ministerio publico sunt, ministerium docendi in mundanum regnum conuertere, ac maioritatem affectare, id quod Christus serio ac sæpe reprehendit: Mat. 18. 20. Marci 10. Luca 22. Non decere, non lucere, non confiteri: Marci 5, 10. Serere & izania, seu falsa dogmata: Matthæi 13. Furari oues Christo, aut præstigijs latrocinium in oues exercere, & eas enecare: Iohan. 10. Esse mercenariū, lupo ueniente & grassante oues deserere. Excommunicare & persequi tum ministros pios, tum alios sinceram Euangelij uocem amplectentes: Iob. 16. Sanctum dare canibus, aut margaritas ad porcos proijcere: quod seuerè fiat, prohibet Christus Matth. 7. Impia & dedecorosa uita ministrorum, Matthæi 18. Vae homini per quem uenit scandalum. Aspernari uerbum, quo Deus offert sua bona: Matthæi 22. Luca 14. Audire, & non amplecti, Matthæi 7. 13. Spernere ministros simul cum uerbo, Luc. 10. Qui uos spernit, me spernit: qui aut me spernit, eū qui me misit spernit. Non fouere rebus necessarijs pios Euangelij ministros, Matth. 25. Famelicus fui, & non pauidistis, &c. Amen dico uobis, quicquid non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Alienos pastores sequi, Iohan. 10.

Postremò appendicis uice hac adiiciemus, opera mala à doctrina bona esse discernenda, neq; ob mala opera persona doctrinam quoq; sanam esse reiiciendam: sed audita doctrina, opera mala fugienda esse: Christus docet Matthæi 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint uobis ut seruetis, seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

De communi sorte docentium in Ecclesia, in loco de Cruce dicitur.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Doctrina de libertate Christiana ex locis de Lege, de Iustificatione, & de Traditionibus humanis constat. Principales igitur partes hic paucis repetere satis erit, cū ueriores declarationē suis proprijs locis lector inueniat.

Libertatem autem Christianam non consistere in magistratus, iudiciorum, onerum politicorum, aut proprietatis possessionum abrogatione, Christus euidenter docet, & factis demonstrat. Interrogatus enim de censu, quem Iudei Romanorum imperatori cogebantur pendere, non ambiguit, sed disertè respōdet Christus: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris: Matt. 22. Quo dicto testatur, se Euangelio suo non abolere politicum Magistratum, & probare omnia quæ ad eius gubernationem & conseruationem politiarum pertinent: nempe obedientiam, reuerentiam, pensiones, iudicia, rerum proprietates, pœnas aduersus contumaces, turbatores ordinis politici, & grassatores. In horto ad Petrum, præter uocationem suam affectantem magistratum, Christus inquit: Qui gladiū acceperit, gladio peribit, Matthæi 26.

ihai 26. Manifestè igitur magistratum approbat, & uult cum uti gladio aduersus homicidas & grassatores. Nequaquam igitur permittit, ut pij sese obediētia magistratus ac legitimis ipsorum pœnis subtrahāt. Nam ad apostolum Petrum omnesq; pios ea uox editur. Legimus insuper Christum habitasse Capernaum, ibiq; magistratui staterem pro se & Petro absque reluctatione persoluisse, Matth. 17. Neq; in licentia uitæ consistere libertatem Christianam, quasi liberè & impunè peccatis sese polluere possent Christiani, absque iactura gratiæ Dei, aut salutis, palam est. Nam Matthæi septimo inquit Christus: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Item: Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. item: Omnis arbor quæ non facit fructum bonū, excindetur, & in ignem mittetur. Matt. 18. Seruus non præstans misericordiam erga seruū, post acceptā remissionem culpæ & pœnæ, retrahitur, & æternis pœnis subijcitur. Ioh. 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Iohannis 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Sicut in loco de Bonis operibus fusius tractatū est. Restat igitur, res esse longè sublimiores, nempe Spirituales, in quibus libertas Christiana consistit. Gradus autem isti ex concionibus Christi & ipsa historia patent.

Primus ac præcipuus gradus libertatis Christianæ est, liberatio à peccato, ira Dei, damnatione, remissio peccatorum gratuita, persolutio legis per Christi passionem pro hominibus præstita, iusticia, quam ex merito Christi fide accipimus. Iohannis 8. Amen amen dico uobis, omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Si nos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Matthæi quinto, Veni implere legem. Iohannis

primo:

primo: Ex eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Iohan. 3. Qui credit in eum, non iudicatur. Lucae 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Item: Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum. Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis suis. In his rebus amplissimis, credentium libertas cõsistit omnium maximè, sicut in doctrina de Euangelio & iustificatione expositum est.

Secundus gradus est, libertas à lege Moysi, iuxta Christi sententiam: lex & propheta usq; ad Ioannem. Quod autem ad legem moralem attinet, Christus nos ab eius execratione immunes fecit: & liberauit etiam nos ab eo iure legis, quo obligati eramus, ad comparandam nobis salutem operibus nostris, integerrima impletione legis pro nobis præstita: qua nobis priuilegium commeruit, ut ob alienam iusticiam, nempe Christi, absolueremur & iustificemur. Sed iustificatos tamen uult iuxta eam obedientiam exercere, propter alias causas, supra in doctrina de Bonis operibus commemoratas. Verùm hæc ad istum gradum non pertinent proprie, sed ad primũ. A forensibus autẽ & ceremonialib. in uniuersum nos liberauit Christus, nisi quatenus cum lege natura, quæ ad Decalogum pertinet, consentiant. Nam lex & propheta usque ad Ioannem, Matthæi 11. Politia Moysi, & illa ceremoniarum pompa, debebat tantum usque ad Christũ durare, eumq; typis quibusdam representare. Eam autẽ ipsam ob causam Matth. 24. Christus prophetat, templum Hierosolymitanum dirutum iri, imò totam gentem excisum iri, in testimonium, quòd & politia & ceremonie Iudaici populi, Christo exhibitio, corruerint. Et Iohannes Baptista de facto & de iure abrogat ceremonias Mosaiicas.

Nam

Nam reiectis ac neglectis illis, ipse nonam, nempe Baptismi ad Iordanem orditur: uescitur locustis contra legem, & sacrificijs deducit homines ad exhibitum Messiam. Ecce, inquit, hic est agnus Dei tollens peccata mundi. quasi diceret, Alia uictima iam omnes cessant.

Tertius gradus libertatis Christianæ est, libertas à traditionibus humanis, seu rebus sua natura medijs, ita ut non sint alliganda conscientia, neq; iusticia in eis querenda. Luca 17. Non uenit regnum Dei cum obseruatione. Matthæi nono, & Marc. 2. defenduntur à Christo discipuli, quòd non tam frequenter ut discipuli Iohannis ieiuent. Matth. 15. eisdem patrocinator, illotis manibus contra traditiones Iudeorum cibum capientibus: ac pronunciat clarè, illotis manibus manducare, non coquinare hominem. Allegat & Esaiæ dictum: Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Luca 10. inquit, Edite & bibite quæ apud illos sunt. Sed hæc in doctrina de Traditionibus, suum proprium habent locum.

DE CRUCE ET AFFLICTIONIBUS Ecclesiæ.

QVòd Ecclesia Christi in hac uita sit cruci ac uarijs arumnis, miserijs & calamitatibus exposita & subiecta, Christus passim docet, & sæpius inculcat. Matt. 7. comparat Ecclesiam domui in petram extructæ, in quâ descendat imbres, ueniant exundationes, & uenti tempestus si impetû in eam faciant, & maneat tamen immota. Matthæi 10 inquit: Ecce ego mitto uos sicut oues in medium luporum. item: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super dominum suum. item: Si patre familias Belzebub

hoc aue-

uocauerunt, quando magis domesticos eius. item: Non ueni
 pacem mittere in terram, sed gladium. item: Qui nō accipit
 crucem suam, & sequitur me, nō est me dignus. *Matt. 11.*
 Tollite iugum meum super uos. *Matt. 16.* Si quis uult ueni-
 re, post me, abneget semetipsam, & tollat crucem suam, &
 sequatur me. *Matthæi 22.* in parabola ostendit Christus, ser-
 uos Dei ad nuptias uocantes, hoc est prædicantes Euange-
 lium Christi, contumeliose tractari & occidi. *Matthæi 24.*
Marci 13. *Lucæ 21.* Tunc tradent uos in tribulationē, & oc-
 cident uos, & eritis odio omnibus gentibus, propter nomen
 meum. *Lucæ 12.* Putatis quòd pacem ueni dare in terrā? Di-
 co uobis, non, sed separationē. *Luc. 14.* Si quis uenit ad me,
 & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios,
 & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non
 potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucē suam,
 & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Et proli-
 xè admonet, hæc statim in iudæis credentibus meditanda esse.
 Quis enim, inquit, ex uobis, uolens ædificare turrim, non
 prius sedens cōputat, qui sumptus necessarij sint? & num
 habeat tantum unde eam possit perficere? ne iacto funda-
 mento, cū nō poterit perficere, omnes qui uident, incipiāt
 ei illudere, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non po-
 tuit consummare. Aut quis rex, iturus ut committat bellum
 aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, an possit
 cum decē milibus ei occurrere, qui cum uiginti milibus ue-
 nit ad se. Alioqui adhuc illo longè agente, legationem mit-
 tens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex uobis, qui
 non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse
 discipulus. *Iohan. 15.* Si mundus uos odit, scitote quòd me
 prius uobis oderit. item: Non est seruus maior domino suo:

Si me persecuti sunt, & uos persequentur: Si sermonē meum serauerunt, & uestrum seruabunt. Iohan. 16. Absq; Synagogis facient uos: & ueniet hora, ut omnis qui interficiet uos, arbitretur se obsequium prestare Deo. Item: Hac locus sum uobis, ut cū uenerit hora, eorum reminiscamini. Item: Plorabit is & flebit is uos, mundus autem gaudebit. Item: In mundo pressuram habebitis. Luca 2. uaticinatur Simeon: Ecce, inquit, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Exemplū & declaratio huius partis etiam Christus est, Ecclesie suae caput, & omnes eius temporis credentes.

Definitio crucis ex hac tota tractatione sumēda est, nempe quod crux Ecclesie, sint omnis generis afflictiones quae ipsi accidunt: praecipue uero, quae propter nomen Christi inferuntur, ut probentur, erudiantur ac innotescant ueri Christiani, ac Deus in ipsis celebretur.

Sunt autem, ut in formis postea narrandum erit, afflictiones uarij generis. aliae internae, ut mœror animi, Iohan. 14. Tentationes Diaboli, Matt. 4. 16. Luc. 22. Luctationes internae cum morte, quales Christus in horto sudans sanguinem sustinuit. Aliae externae, ut flagellationes ac lacerationes, corporum interfestationes, Matthaei 10. Iohannis 16. rapina bonorū ac possessionum, profligatio in exilium, Matth. 10. Luca 14. Vel, aliae sunt spirituales, ut excommunicatio, damnatio, Iohannis 16. Aliae corporales, ut occidere corpus: Matt. 10. Iohan. 16.

Quae uero causae sint, quare Ecclesia affligatur, ipse Christus exponit Matth. 5. Beati estis, & c. cū dixerint

omne malum aduersus nos, mentientes propter me. *Matt. 10.* Ad reges ducemini propter me. item *Matth. 10. 24.* *Marci 12.* Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Item *Mat. 10. 16.* Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam, *Matthæi 19.* Qui reliquerit, &c. propter nomen meum. *Matth. 22.* serui trucidantur propter uocē qua homines ad nuptias regales inuitant. *Luc. 14.* In Christum persecutio suscipitur, eo quod pharisæorum superstitiones taxat, & ueram doctrinam tradit. *Mat. 12. 21.* Increpans Nazarethanos, odium incurrit, & persecutionem, *Matthæi 12, Iohan. 5.* Iudæi persequuntur Christum, quia Sabbatho infirmum curauerat. *Ioh. 7.* Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sint. *Iohan. 7. 10.* Iesum confitentem se esse mesiam, idē probantem euidentissimis argumentis, uolunt lapidare. *Iohan. 15.* Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mūdo, propterea odit uos mundus. Itē: Hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. *Iohannis 16.* Et hæc facient uobis, quia non norunt patrem, neq. me. *Ioh. 17.* Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habet, quia nō sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Infantes Bethlehemitici trucidantur. Christus in Ægyptū infans portatur, eo quod Magi attulerant nunciū de nato Iudæorū rege seu Messia: Ioannes Baptista capite plectitur, eo quod Herodis incestū taxauerat.

Conferunt autem alias causas hostes, coram uulgo plausibiles: ut uiolationem Sabbathi, *Matthæi 12. Mar. 2. Luce 6.* Quod citra uocationem à pontificibus petitam doceret Christus, *Matth. 21.* Quia blasphemaret, se Christum & filium

num Dei profitens: Matthæi 26. Quia primates reprehendit, Luca 4. articulos accusationū coram Pilato proferunt sacerdotes contra Christum, Luca 23. Hunc, inquit, inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Item falsi testes dicunt, se ex eo audisse, quod uelit destruere templum Dei, & in triduo adificare illud. Matthæi uigesimo sexto. Iohannis octauo. dicunt eum habere demonium. Ex hac commemoratione apparet, causas persecutionum erga Christum et eius membra non esse furta, adulteria, rapinas, neq; etiam falsas & blasphemias opiniones & doctrinas: sed sanam de Christo & eius beneficijs doctrinam, & confessionem, & necessarias reprehensiones peccatorum primæ & secundæ tabulæ Decalogi.

Hostes uerò persecutionem exercentes, non infima tantum de plebe lex describitur, sed omnium summi ad clauum Ecclesiæ ac policici regiminis sedentes, loco, eruditione, sapientia, uirtutibus, autoritate, potentia illustres, titulo Ecclesiæ fungētes, præterea & ipsi domestici inter sectatores ipsius Christi existentes. Matthæi 10. ait eos qui conciliorum potestatem habent: hoc est, à summis Ecclesiastici regiminis gubernatoribus, et à præsidibus ac regibus immanē persecutionem oriri. Matthæi 2. Herodes Christum & infantes persequitur. Matthæi 12. Pharisei conspirant, ac consilium ineunt, de Christo è medio tollendo. Matthæi 14. Herodes Antipas Baptistam interficit, Herodias & filia eius meretricis eam rem impetrant à rege, Matthæi 21. Pontifices & seniores populi accusant Christum, tanquam falsum doctorem. Matthæi 22. Pharisei et Herodiani callidè insidiatur Christo: Matthæi 26. principes sacerdotū et seniores populi

de Christi

COI

344 DE CRUCE ET AFFL. ECCLES.

de Christo capiendo & occidendo decernunt: Iudas Iſcario
tes Christum triginta argenteis prodir: Item sacerdotes Ie-
ſum ut blaſphemum damnat, miniſtri eius ſimul ſcunitiam
exercet. accedit & reliqua turba. Matt. 27. principes ſacer
dotu ſeniores populi, Pilatus praefes, populus, milites, perſe
cutionem contra Chriſtu adiuvant. Nam populus, qui pau
lo ante clamauerat, Hoſiana filio Dauid: nunc perſuaſus a
ſacerdotibus uociferatur, Tolle tolle. Lucae 12. Hieroſolymi
tani dicuntur fore crucifixores Chriſti. Iob. 15. Mundum ait
odio flagraturu erga diſcipulos. Ipsi igitur Iudaei, qui debe
bat eſſe cuſtodes doctrinae uerae de Meſſia, eum q obuijs non
tantum ulnis, quod dicitur, ſed totis pectoribus amplecti, ac
uoce ſua coram toto mundo celebrare, ſunt oſores ac perſecu
tores Chriſti, & omnium qui in eum credunt. Sunt autem
ipſi imago falſae Eccleſiae omnium temporum.

Formae afflictionum Eccleſiae paſſim recitantur. Chri-
ſtus infans in exilium pellitur, uſque in Aegyptum. Bethle
hemitici infantes nefarie ob natum Chriſtum iudeorum re
gem trucidantur. Matth. 10. Marci 13. inquit Chriſtus: Tra
dent uos in concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt uos,
& ad praefides & reges ducemini propter nomen meum. Io
han. 16. dicit: E ſynagogis eijcient uos: ſed ueniet hora, ut
omnis qui interficit uos, arbitretur obſequium ſe praſtare
Deo. Iohannes Baptiſta primu in carcere maceratur, po
ſtea in eodem capite truncatur. Matthaei 11. 14. Matthaei 19.
Lucae 14. indicat Chriſtus, domum, fratres, ſorores, patrem,
matrem, uxorem, filios, agros propter nomen ſuum deſeren
dos: hoc eſt, credentes bonis ſuis ob confeſſionem exutum
ri. Matthaei 22 ait, ſeruos uocates ad nuptias, hoc eſt docto
res, ignominioſe tractatos & occiſos. Matth. uigeſimoſexto
oſculo

oſculo ac blanda ſalutatione Iudas Chriſtum prodit, ac tra-
dit Iudæis. Turba uiolentas manus inijcit, ac captiuum
ad ſacerdotes adducit. Hi quærunť falſa aduerſus ipſum te-
ſtimonia, & contra conſcientiam, mortis ſententiam in
eum proferunt: miniſtri contecta eius facie, colaphos ei in-
pingunt, ac iubet diuinare quis fecerit. Mat. 27. ducit eum
ad pilatum: & uulguſ indomitum et furioſum inſtigant ut
poſtulent Chriſtum interfici, Barrabam autem latronem da-
mitti: tandem blanditijs et minis prætor ille impuſus con-
tra ſuam conſcientiam lauans etiam manus in conſpectu
omnium, militibus eum crucifiſgendum tradit: & quomoda-
mo hoſtes ſuſpenſum in cruce ſarcaſmſ exagitarint, ſuo loco ex-
ponetur. Matthæi decimo, Marci 13. Tradet frater fratrem
in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes,
& morte eos afficient. Luca. 4. Nazarethani Chriſtum in
præcipitium ducunt, inde eum deturbaturi, niſi manus ipſa-
rum euaſiſſet. Luca. 14. Omnis ex uobis qui non renunciat
omnibus quæ poſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Lu-
ca. 23. uinctus Chriſtus Herodi mittitur, & ſunt amici Pi-
latus & Herodes. Iohannis 10. Iudæi uolunt Chriſtum la-
pidare, ac dicunt eum habere dæmonium, inſanire, blaſphemare.
Ioh. 16. Plorabit et flebit uos, mūdus cōtra gaudebit.

Quomodo crux ſeu afflictiones ferenda ſint, multis in
locis Chriſtus docet: ut quod ſtatuumdum ſit, non caſu eas ac-
cidere, ſeu Deo ignorante, Matthæi 10. Non ne duo paſſeres
aſſe ueneunt? Et unus ex illis non cadet ſuper terram, ſine
patre ueſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerata
ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis.
Iohannis decimo. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues
meas. Secundo, quod nihil inſoliti nobis uſu ueniat, ideo

346 DE CRUCE ET AFFL. ECCLES.

suum exemplum uult nos considerare. Matth. 10. Iohan. 15.
 Non est discipulus super magistrum, nec seruus super domi-
 num suū. Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & ser-
 uus sicut dominus eius. Si patrem familiās Beelzebuc uota
 uerunt, quanto magis domesticos eius? ne ergo timueritis
 eos: sic persecuti sunt prophetas, & qui fuerunt ante nos.
 Tertio, uult nos Christus causam, quare persecutionem pa-
 timur, considerare: nempe quod ea non sit nostra, sed ipsius
 Christi. Matthæi decimo. Ad reges ducemini propter me.
 Iohan. 15. Hæc omnia facient uobis propter nomen meum.
 Luc. 10. Qui uos spernit, me spernit. Plura eius generis testi-
 monia supra recitata sunt. Quarto, promissiones uult nos in
 conspectu habere, quod crucem uelit moderari Christus mis-
 sione & auxilio Spiritus sancti. Matthæi decimo. Marci 13.
 Lucæ 12. Cum autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo
 & quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid
 loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed Spiritus
 patris uestri, qui loquitur in uobis. Lucæ 21. Ego dabo uobis
 os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradice-
 re omnes aduersarij uestri. Iohānis 14. Ego rogabo patrem,
 & alium paraclætum dabit uobis, ut maneat uobiscū in
 æternū. Quinto promissiones etiam de sua presentia et de
 fensione proponit Christus, Matthæi 10. Omnes capilli
 capitis uestri numerati sunt: Lucæ 21. Capillus de capite ue-
 stro non peribit. Iohannis 10. Non rapiet eos quisquam de
 manu mea: pater meus qui dedit mihi maior omnibus est,
 & nemo potest eos rapere de manu patris mei. Iohan. 14.
 Non relinquam uos orphanos. Iohannis 16. In mundo pressu-
 ram habebitis: sed confidite, ego uici mundum. Matthæi
 28. Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad consum-
 mationem

ationem seculi. Sextò, amplissimã retributionem promittit in hac & aeterna uita, Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam aeternam possidebit. Matthæi quinto: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Matthæi decimosexto. Qui uoluerit animam suam saluã facere, perdet eam. Qui autẽ perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Item: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opus suum. Luca 12. Noli timere pusille greg, quia complacitũ est patri uestro dare uobis regnũ. Luca 6. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum uos oderint homines, & cum separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquã malum, propter filium hominis: gaudete & exultate in illa die, ecce enim merces uestra multa est in cœlo. Iohannis decimosexto, Tristitia uestra uertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam nõ meminit angustia, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Proponuntur & exempla miraculosarum liberationum. Matthæi primo. Ioseph in somnis per angelum monetur de persecutione ingruente ab Herode: & locus quò se debeat cum

Maria & infantulo Iesu recipere, nempe Aegyptus nominatur, cum quidem ante Magi munera Iesu tanquam uero Messia obtulissent, ad quod diuino consilio factum est, ut inde uaticum necessarium haberent. Magi etiam ipsi, angelo monente, manus Herodis effugiunt. Septimo, Modicum, inquit, & iam non uidebitis me: & iterum modicum, & uidebitis me, quia uado ad patrem. Iohan. 16. Etsi autem ad passionem Christi haec uerba proprie pertinent, tamen haec generalis doctrina omnibus aetatibus ad Ecclesiam spectat, quod tribulationes credentium non sint in perpetuum duraturae, sed modico tantum tempore. Octauo, monet Christus, non nimium esse pertimescendos persecutores, cum in corpus tantum scuire queant, citra iniuriam animae. Matthaei decimo, Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nono, qui non sustinent tribulationes propter Christum, non possunt esse discipuli eius, & punientur etiam in extremo iudicio. Matthaei decimo, Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Lucae 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Matthaei 10. Lucae 9. Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo caelesti. Matthaei 13. Qui super petrosam seminatus est, is est qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se

se radicem, sed est temporalis. Facta enim tribulatione et persecutione propter uerbum, continuò scandalisatur. Matthæi 16. Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Loquitur autem Christus de ijs, qui ob metum crucis & rerum corporaliū se non sequuntur.

Virtutes quæ in cruce & tribulationibus exerceri debeant, partim ex iam commemoratis, partim ex alijs quoque testimonijs patet: ut, noticia Dei & uoluntatis eius, statuens Deum scire nostras ærumnas, nōquā affici, & mitigationem atque auxilium præstiturum esse, Matthæi sexto: Nouit pater uester, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo. Matthæi 28. Ecce ego uobiscum sum. Oratio: Matthæi 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Mansuetudo erga ipsos hostes, Matthæi 5. Lucæ 6. Ego dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderūt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cælis est, qui solem suum oriri sinit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Patientia, Lucæ 21. In patientia uestra possidete animas uestras. Matthæi quinto, Lucæ 6. Ego dico uobis, ne resistatis malo (hoc est, priuatos non uult uiolenter propulsare iniurias illicito modo, sed patientiam exercere) sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram: & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicā tuam tollere, dimitte ei & pallium. Humilitas, Matthæi undecimo, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Constantia, ac perseuerantia: Matthæi 10. 11. Marci 13. Qui perseuerauerit usque in finem, is saluus erit. Iohannis 16. Confidite, ego uici mundam. Tolerantia moræ, Lucæ 18. Oportet semper

orare, & non deficere. Iohannis 11. Christus moratur, donec Lazarus uita fungatur: uerum postea miraculosius & potentius ei opem fert, ex sepulchro eum uocans & resuscitans. Prudentia, Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae: Caute autem ab hominibus. Spes aeternae glorificationis, Matth. 5. Merces uestra copiosa est in caelis.

Fines crucis multi sunt, nempe ut credentes Christo fiat conformes. Matth. 10. Lucae 6. Iohannis 15. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister. item. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Ut discernantur pii & impij, uere credentes & hypocrita. Matt. 7. ait Christus, conspici domus firmitatem, quae tempestatibus iactata non concidit: e contra uero imbecillitatem aedificij patefieri, quando irruunt turbines ac flumina, & fit ruina eius magna. Matt. 73. Sole splendente ait probari frumentum, an habeat radicem. Nam sarum supra petrae, flaccescere statim. Ad quod in bono agro nascitur, omnem ardore solis sustinere. Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Ut notum fiat tam ipsis sanctis, quam etiam alijs, eos adhuc habere peccatum, & esse imbecilles: & quod non sustententur suis uiribus, sed Dei misericordia & potentia. Lucae 22. Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua. Ut omnes calliditatem & potentiam Diaboli animaduertant. Lucae 22. Ecce satanas expetuit uos, ut cribraret sicut triticum. Ut preces ardentiores in arumnis & miserijs excitentur, quae rebus ad uoluntatem fluentibus ualde languidae sunt. Matthaei octauo, nauicula submergente clamant discipuli: Domine salua nos, perimus. Matth. 14. Petrus in aqua ambulans, ac sentiens uim

mentorū, ac pedes suos in undas mergi, exclamat anxie, Domine saluum me fac. Vt dilectionem erga inimicos etiam, ac patientiam credentes discant. Matth. 5. Vt desiderium eterne uitae excietur: ac norint p̄i, suam se gloriam in altera uita habituros esse. Matthaei quinto, Merces uestra copiosa est in caelis. Vt discernatur regnum Christi à regno mundano: & planum fiat, credentes habere bona spiritualia, quae nullis persecutionibus eripi queant. Matthaei uigesimo, Calicem meum bibetis, & baptisate quo ego, baptisabimini: sedere autem ad dexteram meam, aut sinistra, non est meum dare uobis. Vt hac occasione Euangelium propagetur, & impij etiam illud audiant. Quoties Christus coactus est fugere, toties alibi sparsit uocem Euangelij, ac miraculis se patefecit. Matthaei decimo ait Christus, persecutionem etiam eò spectare, ut sit testimonium gentibus: hoc est, ut ea occasione audiant piorum confessiones, nec possint ignorantiam coram Deo pretendere.

Est autem differentia crucis Christi & Apostolorum, seu totius Ecclesiae Christi. Ille enim sua passione peccata totius generis humani expiauit, Ioannis 6. Caro mea est mundi uita. Iohannis decimo, Animam meam pono pro ouibus meis. Ioannis primo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quò ego uado, nunc non potes uenire, sequeris autem postea. Piorum autem afflictiones non sunt expiationes neque suorum neque aliorum peccatorum, & habent alios fines, de quibus modò dictum est.

Contraria huic doctrinae sunt: Spontaneam sibi crucem imponere. Matthaei nono. Non uult Christus praeter necessitate ieiunio affligi discipulos: Nunquid possunt, inquit, filij sponsi lugere, quãdiu cum illis est sponsus? Venient aut

dies, cum auferetur ab eis sponſus, & tunc ieiunabunt. In cruce deficere, & relinquere confeſſionem uerbi. Matth. 13. Facta tribulatione & perſecutione propter uerbum, continuo ſcandalifatur. Propter pecuniam Chriſtum prodere, ut Iudas. Eſſe temerarium & confidentem, quaſi tuis uiribus poſſis præſtare conſtantiam, ſicut Petrus.

Poſtremo Chriſtum fugiſſe ſæpe legitur, infans tum adhuc geſtatur in Ægyptum, fugiēs Herodis immanitatem. Matth. 14. Iohanne capto diſcedit. idem facit crebrò aliàs, Iudeis contra ſe ſurentibus, & necem ante ſuum tempus machinantibus. Iubet etiam ſuos diſcipulos lugere, Matth. 10. Cum uos perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam. Item: Quicumq; non receperit, uos, neq; audierit ſermones ueſtros, exeuntes foras è domo uel ex ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus ueſtris. Quod autem ad Chriſtum attinet, ideo fugit, quia nondum uenerat hora eius. Iohan. 7. Statuto autem tempore nõ reformidat aut uitat crucem, ſed ſponte obuiam procedit perſecutoribus. Quod uerò etiam Apoſtoliſ fugam præfixit, ideo facit, quia nõ in uno tantum loco, ſed in pluribus debebant Euangelium prædicare. Aliàs Iohannis 10. diſcernit mercenarium periculofam, deferentem oues ob pericula: & bonum paſtorem, etiam uitam profundentem pro ouiculis.

DE MIRACVLIS.

Miracula Euangelifte uocant θαυμάσια, mirabilia. Matth. 21. Videntes principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia quæ fecit. Et σημεῖα, ſigna. Marci 16. Iohan. 20. & alibi ſæpius. Iohan. 4. σημεῖα ἡγῶν τε ποῖα coniunguntur. Niſi, inquit, ſigna & prodigia conſpexeritis, nõ creditis. Ioh. 9. uocantur opera Dei: Vt manifeſtentur, inquit, in eo opera Dei.

Abun

Abundare autem historiam Christi plurimis insignibus miraculis, ex Euangelistis apparet.

Definitio è rebus ipsis talis potest colligi: Miracula sunt facta præter communem naturæ cursum, aut ordinem testificantia de Messia & eius doctrina.

Duplicia miracula Euangelistæ meminerunt: ea nimirum, quæ à Christo eiusq; discipulis suo iussu fiebant: et falsorum doctorum falsa miracula, de quibus Christus inquit Matth. 24. Marci 3. Surgent pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

Causa efficiens miraculorum est Deus, nempe pater, filius, & spiritus sanctus. Iohannis 10. Facio opera in nomine patris. Ioh. 5. Pater meus usq; modò operatur, et ego operor. Item: Quacunque ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Item: Sicut pater suscitatur mortuos, & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Matthæi 12. Ego in spiritu Dei eicio dæmonia.

Catalogum miraculorum ipsa historia Christi suppeditat. Sanat autem plerūq; ægrotos, ac malè habentes, uerbo dumtaxat, eosq; aliàs præsentibus, aliàs absentibus: interdum uero, quando tantum eum attigerunt. Ad leprosum dicit, Mundus esto, & confestim mundata est lepra eius. Paralyticū centurionis restituit absens sanitati, hac ratione, quòd ad Centurionem inquit: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: & sanatus est puer illa hora. Socrum Petri febricitantem, tangendo manum curat. Imperat uentis et mari, ac mox mitescunt. dæmones expellit uoce. Item Mati. 8. paraliticum his uerbis sanat: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Hamorrhoiisa tangens saltem sinubriam uesimenti

flimenti Christi, euadit sana. Cæcis uisum tribuit, tangens
 ipsorum oculos, ac dicens, Secundum fidem uestram fiat uo-
 bis. Matth. 9. aridam habentem manum iuuat, inquiring:
 Extende manum tuam. quæ extensa restituta est sanitati,
 sicut altera, Matth. 12. quinq. millia hominum pascit quin-
 que panibus, et duobus piscibus. Graditur in mari IESVS
 & Petrum mare sustentat in eo incedentem. In Genezare-
 reth & alij, uel simbriam tantum uestimenti Christi aut in-
 gentes, sanantur. Matth. 14. Cananæ filiam absens à de-
 monio liberat, hæc uerba proferens: O Mulier magna est
 fides tua, fiat tibi sicut uis: et sanata est filia eius in hac ipsa
 hora. Quatuor millia hominum Christus septem panibus,
 et quibusdam pisciculis pascit: Matthei 15. Increpando de-
 monium eijcit: iubet piscari Petrum, & prædicit eum in
 ore capti piscis staterè inuenturum. Mat. 17. Tangit oculos
 duorum cæcorū. & mox uident. Matth. 20. Ficui maledi-
 cit, & ilico arefcit. Matth. 21. Surdum & mutum curat du-
 cens eum seorsim, imponens digitos in aures, & expuens
 tangit linguam, dicens, Hephathab: & statim audit & lo-
 quitur Marci 7. Verbo ac iussu Christi Petrus ingentem pi-
 scium multitudinem capit. Lucæ 5. Incuruam imponendo
 manus erigit. Luc. 13. Malcho hostium seruo amputatam
 auriculam tangendo restituit. Lucæ 22. Aquam mutat in
 uinum arcana ui, tantum dicens, Implete hydrias aqua: &
 adijciēs, Haurite nunc & ferte architriclino: Ioh. 2. Regu-
 li absens filium à febre liberat, his uerbis: Vade, filius tuus
 uiuit. Ioh. 4. Infirmus ad probaticam piscinam restituitur
 sanitati in momento, quòd ad eum dicit IESVS, Surge tol-
 le grabatum tuum & ambula: Ioh. 5. Cæco ita uisum do-
 nat: expuit in terram, & facit lutum è spuito, et ille uis illud

Super oculos eius, dicens: *Vade & laua natatoria Siloha.* quod ubi fecisset, uisum accepit: *Ioh. 9.* Iussu Christi capiuntur pisces, *Iohan. 21.* Defunctam principis filiam resuscitat hisce uerbis, *Puella surge: & confestim surgit, Matt. 9.* In porta Naim filium uiduae, restituit uitae, sic dicens *Adolescens, tibi dico surge, mox adolescens in loculo resedit. Luc. 7.* Laz arum e morte resuscitans, inquit, *Laz are ueni foras: & statim prodijt qui fuerat mortuus, Iohan. 11.* Fecit & alia plura signa *IESVS*, quae non sunt ab Euangelistis omnia descripta. *Iohannis 20.*

Accidunt & alia miranda facta. Verbum fit caro, *Iohannis 1.* *Lucæ 1.* *Matthæi 2.* *Elisabetha sterilis in extrema senecta iuxta uerbum Domini parit Iohannem, Luc. 1.* *Zacharias fit mutus, & Iohanne nato rursus ab hac plaga liberatur: Lucæ. 1.* In passione Christi Sol eclipsin patitur absq;aturalibus causis, uelut tēpli scinditur per mediū, terra tremiscit, petrae rumpuntur, monumēta aperiuntur: prodeunt multa sanctorum corpora, & apparent multis. Denique & Christus ipse mortuus reuera in cruce, tertia post die resurgit uiuus, seseq; discipulis conspiciendum praebet per dies quadraginta, & tandem absq; scala ipsis spectantibus ascendit ad caelos. *Actor. 1.*

Fines miraculorum diligēter sunt obseruandi. Primus est, ut de Messia euidenter testimonia ferant, ac luculenter probent, hunc *IESVM* esse Messiam. *Matthæi 8.* Obtulerunt ei multos demonia habentes, & eiciebat spiritus uerbo, & omnes malè habentes curauit, ut adimpleretur quod dictum est per *Esaiam* propheta dicentem: *Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portauit. Non igitur temerè facta sunt miracula, sed praedicta fuerunt à prophetis,*
quod

quod Messias talibus mirandis factis sese esset declaraturus. Matth. 9. turbæ conspectus miraculis Christi, dicunt: Nunquã apparuit sic in Israel. Ioh. 9. A seculo non est auditum quod quis aperuerit oculos cæci nati. Matthei 11. discipulis Iohannis querentibus, Tu ne es qui uenturus est, an alium expectamus? respondet IESVS: Ite renunciate Iohanni, quæ auditis & uidetis: cæci uident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelisantur. Hæc igitur opera ostendit manifestè testari, qui sit uerus Messias. Matth. 12. Si in spiritu Dei eicio demonia, igitur peruenit in uos regnũ Dei. Matth. 21. ingressus templum iuxta Zachariæ uaticinium, postea & cæcos claudosq; sanat, acclamantibus pueris, Hosanna filio Dauid. Iohannis 2. Postquam ex aqua uerbo suo uinum creasset, hunc epilogum Euangelista attexit: Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli: hoc est, Declarauit se esse uerum Messiam. Iohan. 4. Venite & uidete hominẽ, qui dixit mihi omnia quæcumq; feci: Non quid ipse est Christus? Iohan. 6. Homines cum uidissent quod fecerat IESVS signum, dicebant, Hic est uerè ille propheta, qui uenturus est in mundum. Iohan. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris, testimonium perhibent de me. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Iohannis 11. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Iohannis decimoquarto. Propter opera ipsa credite. Iohannis decimoquinto, Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Secundus finis est, ut simul probent, Christũ diuina potẽtia præditũ ac uerum Deum esse. Iohan. 3. Scimus quod à Deo ueneris magister: nemo enim potest

potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus, cū eo-
 Ioh. 9. Neq. hic peccauit, neq. parentes eius, sed ut manife-
 stentur opera Dei in illo. Et postea ad eum cui uisum dona-
 rat, inquit: Credis in filium Dei? Hisce uerbis quis sit mira-
 culi usus ostendit, nepe ut cognoscat. se esse uerè Dei filium.
 Ioh. 10. Vos dicitis me blasphemare, quòd dixi, Filius Dei
 sum. Si non facio opera patris mei nolite credere. Si autem
 facio, & si mihi non uultis credere, operib. credite, ut cogno-
 scatis quia pater in me est, & ego in patre. Ioh. 1. ait Natha-
 nael. Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel respondit IESVS:
 Quia dixi, uidi te sub ficu, credis, maiora his uidebis.
 Matthæi 27. Marci 15. Centurio, & qui cum eo erant custo-
 dientes IESVM, uiso terræ motu, & his quæ fiebant, ti-
 muerunt ualde, dicentes: Verè filius Dei erat iste. Huc per-
 tinet, quòd ipse potestatem ac facultatem præstandi mira-
 cula impertiat: Matthæi 20. Tertius finis miraculorū est,
 ut testificentur de officio Messia. Ideo enim eiecit diabo-
 lum, ut ostendat se eum uicturum, sanat malè habentes, ac
 mortuos resuscitat, ut doceat se restauraturum ac uiuificatus
 rum esse homines. Quartus, ut confirmet doctrinam
 Christi, ac de efficacia uerbi ipsius testetur. Obseruat enim
 Christus eum ordinem, ut ex eius historia manifestū est, ut
 prius doctrinam de regno Dei tradat: quo factò adijcit &
 miracula tanquam doctrinae testimonia. Marci 16. Illi pro-
 fecti prædicauerunt ubiq., Domino cooperante, & sermonem
 confirmanze sequentibus signis. Ioh. 14. Propter opera ipsa
 credite. Omnes deniq. istos fines Iohānes cōprehēdit cap.
 20. Multa, inquit, & alia signa fecit IESVS in cōspectu di-
 scipulorū suorū, quæ nō sunt scripta in hoc lib. Hæc aut scri-
 pta sunt, ut credatis, quia IESVS est Christus filius Dei.

& ut

et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius. Prædicit Christus signa in sole et luna futura, et fore testes de adventu suo et fine mundi: uerum hæc prodigia non uidentur huc pertinere.

Contraria sunt, calumniari ista miracula Christi. Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 11. Pharisei dicebant: Hic non eiecit demones, nisi in Beelzebub principe demoniorum. Non esse contentum his signis Christi, sed alia de cælo flagitare. Matthæi 16. Marci 8. Pharisei et Sadducei tentantes, rogauerunt eum, ut signum de cælo ostenderet eis. Falsa signa et prodigia. Matth. 24. In miraculis nomine Christi præstitis, spem salutis ponere. Matthæi 7. Multi mihi dicent in illa die, Nonne in nomine tuo prophetauimus, et in nomine tuo demonia eiecimus, et nomine tuo uirtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Lucæ 10. Nolite in hoc gaudere, quod spiritus uobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina uestra scripta sunt in cælis. Incredulitas: Matthæi decimo tertio. Non fecit in patria sua multas uirtutes, propter incredulitatem illorum.

Differunt falsa miracula à ueris, in præcipuis causis, ut efficiente. Hæc enim à Deo, et pijs organis: illa uerò à diabolo et falsis prophetis fiunt. Formuli: Hæc fiunt potentia Dei, et sunt inimitabilia Diabolo: illa uerò sunt illusiones. Finali: Hæc fiunt ad manifestandum Christum, et confirmandam doctrinam eius: illa, ut homines in errores abducantur.

DE ANTICHRISTO.

Hactenus locos quosdam recensuimus, pertinentes ad doctrinam de Ecclesia, nunc adhuc aliquot uisum est

sum est adijcere, quæ ratione contrariorum, ad Ecclesiam quoq; pertinent: ut de Antichristo, de Traditionibus humanis, de Scandalis.

Et si autem appellatio Antichristi in Euangelistis non extet, tamen rem ipsam exprimunt, imò appellationes similes habent. ut falsi propheta, Matthæi 7. Pseudochristi, pseudopropheta, Matthæi 24. Fures, latrones, Iohan. 10. Est autem Antichristus, regnum falsorum doctorum, Christi doctrinam obscurantium & persequentium, & mundanum regnum arripientium, sicut ex notis Antichristi perspicuum fiet.

Quòd Antichristus, hoc est eiusmodi regnum falsæ Ecclesie esset exoriturum, Christus disertè prædicit Matthæi 24. Marci 13. Cùm audieritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (Marcus, ubi non debet) qui legit intelligat. Ipse igitur Daniel quoque uaticinatus est, Antichristum grassaturum esse in Ecclesia: & Christus prophetiam exponit, et accommodat ad tempora se secutura. Præterea Matthæus & Marcus concionem Christi de excidio Hierosolymorum, & de fine mundi, non separatim, sed coniunctim & mixtim singulari consilio recensent, proculdubio Christi ratione sequentes: ut non obscure indicetur, eadem signa cladem Iudaicam & mundi exitum portendere. Non igitur tantum de idolo Caji abominatio illa desolans accipienda est: uerum etiam de regno pestifero, post Christum in Ecclesia horribiliter domino naturo. Latius autè & expressius ista paulo post à Christo exponuntur. Dicent, inquit, Ecce hic Christus, aut illic. Item, Ecce in deserto, ecce in penetralibus. Item: Surgent pseudochristi & pseudopropheta, & dabunt signa magna

Aa & pro-

& prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et præcedit hæc uox Christi: Multi uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducunt. In medio igitur harum sententiarum, prophetia de abominatione desolante collocata, lucē inde accipit. Multos præterea eius abominationis ministros esse significat. Pertinet etiam huc præmonitio Christi. Matth. 7. de falsis prophetis, & Iohannis 10. de furibus & latronibus ouile Christi uasitatibus. Sunt enim ministri status Antichristi.

In loco sancto, inquit Matthæus: ubi non debet, inquit Marcus, stabit. Itaq; in Ecclesia Christi prædicitur tale quoddam portentum futurum esse.

Nota huic abominationi seu Antichristo tribuuntur. Primum falsa doctrina, & quidem tali forma, ut affirmet se esse Christum: monstrat diuersa loca. Ecce hic, Ecce illic: imò & tali ratione, ut doceat, Ecce in deserto est Christus, ecce in penetralibus aut cameris aut cellulis est: hoc est, quòd articulum de iustificatione sit corrupturus, quòd uarijs operibus humano arbitrio inuentis iusticiam corā Deo adscripturus, eaq; omnia sub eo prætextu, quòd Christus quaeratur, & salus, si quis in deserto solus degat, & ibi sancte uiuat: aut abdat se in cameras, ibiq; duris exercitijs sancti moniam præstet. Iohannis 10. Ante me, inquit Christus, uenerunt: hoc est, non me monstrarunt propiciatorem & mediatorem. Item ait, alienos uocem quam non cognoscunt oues, afferre solere.

Secundò, idololatria: Matthæi 4. Si prociens adoraue-
ris me, hæc omnia tibi dabo. Non dubium est, quin hic Antichristi status ad uinum depingatur, quòd in eo sit idololatria, seu adoratio & cultus creaturarum quarundam fu-
tura:

tura: quæ quidem nihil aliud est quam adoratio humilis & deuota ipsissimi diaboli, contra hoc diuinum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: Matthæi 4. Deut. sexto.

Tertio, transformatio regni Christi spiritualis in corporeale. Matthæi 4. Lucæ 4. Diabolus ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum (Lucas potestatem dicit) & dixit: Hec omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Hisce uerbis Antichristi status describitur, quod regnum Christi Diabolus sit mutaturus in regnum mundi & gloriam mundanam, & suis cultoribus ea omnia largiturus. Nec temere scriptum est, quod diabolus tum dixerit, Mihi tradita sunt, & cui uolo do illa: Lucæ 4. Subindicatur enim, permissio-
ne Dei hac ita geri. Nō etiā frustra sit, quod Christus toties Apostolis inculcat, Reges gentiū dominātur eis: uos autem non sic, ut supra de regno Christi est commemoratum.

Quarto, signa & prodigia falsa, quæ tamen magna coram hominibus apparent. Matth. 24. Dabunt, inquit, signa magna & prodigia. Docet igitur, Antichristi regnum multis signis falsis suas res confirmaturum & fascinatorū esse.

Quinto, persecutio. Marci 13. Tradent uos in concilia, & in synagogis uapulabitis, & ante præfides & reges stabitis propter me, in testimonium illis, item, Eritis odio omnibus propter nomen meum. Iohannis 10. Fures non uenit nisi ut furetur, & matret, & perdat. Ne abs re uocatur abominatio desolans. Est enim impia doctrina, idololatria, regnū Christi immutatio, & persecutio piorum, abominatio horrenda coram Deo. Desolans autem est, quod spiritualiter corpora & animas perdit, ac simul temporaliter pios iugulat, sibiq; ipsi deniq; exitium accersit.

Quòd multos sit seducturus, uerbis Christi clarè indicatur. Matthæi 24. Marci 13. Multos, inquit, seducent. Additur etiam quo modo? nèpe quòd in nomine Christi uenient, & dicent: Ego sum Christus. Item: Ecce hic Christus, ecce illic. Hæc omnia speciosissimam faciem representant, nempe iactationem uocationis ordinaria, ueræ doctrinæ, &c. Item: Dabunt signa & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Matthæi 7. Venient ad uos in uestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces.

Essè autem eam abominationem, regnum Antichristi, & deceptiones multiplices fugiendas, seuerè & clarè præcipit Christus Matthæi 24. Marci 13. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Item, Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Item, Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usq; ad occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; autem fuerit corpus, ibi congregabuntur aquila. Lucæ 17. Dicent uobis: Ecce hic, & ecce illic: nolite ire, neq; sectemini. Iohãnis decimo. Alienum non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS & rebus adiaphoris.

Traditiones humanae sunt, ritus non uetiti, nec mandati uerbo Dei expresso, ab hominibus instituti propter bonum finem, non repugnantem uerbo Dei. Duplices autem describuntur, primùm, palàm impia, & sua natura adiaphora, id est media, ut liceat eas seruare siue non.

De impijs traditionibus humanis clarè pronuntiatur, quòd uiolari debeant, ut traditio erat, non esse homines agrotos in sabbatho sanādos, non uellendas spicas. et Christum Iudæi uelut sabbathi uiolatorem accusant, eo quòd auxilium quibusdam agrotis præstabat. Sed refutat eos Christus, & asserit se rectè facere. Matthæi 12. Significat etiam Christus, Matt. 24. pseudochristos docturos esse: Ecce Christus est in deserto, in cameris: hoc est, uita monastica et exercitijs peculiaribus, Christum seu iusticiam ac remissionem peccatorum nos consequi. Verùm præmonet diligenter, ne credamus, ne sectemur eiusmodi traditiones.

De ijs quæ sua natura adiaphora, hoc est nec prohibita, nec mandata sunt certo uerbo Dei, docet Christus liberè ijs utendum esse: Luca decimo: edite et bibite: quæ apud illos sunt. Iohannis discipuli frequenter ieiunabant, Christi uerò non ieiem. Quòd non sint alliganda conscientia, Matth. 15. Illotis manibus manducare non coinquinant hominem. Tradit & hanc regulam Christus, non esse traditiones humanas æqualiter habendas, aut præferendas mandatis Dei: Matth. 15. Quare, inquit, uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem uestram? Item: Irritum fecistis mādatum Dei propter traditionem uestram. Docet etiam, non esse ex ijs cultus faciendos. Matthæi 15. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autè longè est à me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et mādata hominum. Luc. 17. Non ueniet regnū Dei cum obseruatione. Mat. 17. Petrus illustrè Christi trāsfigurationē cernēs, suggerit mox de tribus ibi tabernaculis erigendis: uerùm iubetur diuinitus hunc filium Dei agnoscere & audire. Qua re significa-

rum est, Deum alium cultum requirere: nempe non illum quem homines somniant, sed fidem in Christum. *Matt. 23.* Alligant, inquit Christus, onera grania & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Pramonuerat autem, ne secundum opera ipsorum facerent.

DE SCANDALIS.

S Scandalum significat offensionem, à σκᾶλω, claudico. *Matt. 13.* etiam pro autoribus scandalorum, seu impijs ponitur: colligent omnia scandala. Quod autem scandala facta sint tempore Christi, eius historia testatur: ac prædicat Christus, ea nunquam defutura esse. *Matt. 10.* *Luc. 12.* Noli putare quod uenerim pacem mittere in terram, sed gladium: Lucas separationem habet. Veni enim hominem separare aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam. *Matt. 10.* Neesse est, ut ueniant scandala. Intellige necessitatem consequentia, quia Diabolus & mundus non quiescunt. Ideo *Luc. 17* dicitur: Impossibile est ut non ueniant scandala. *Matt. 24.* Tunc scandalisabuntur multi. Simeon quoque eadem de re commonefacit, *Luc. 2.* Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur.

Est autem scandalum, ut ex testimonijs planum fiet, doctrina seu factum, quod alium offendit, ac deteriorem facit.

Duplex esse scandalum, ex historia liquet. Aliud enim est, quo impij, ut pharisæi & ceteri increduli, offenduntur: quod Pharisæicum, ideo quod Pharisæis erat peculiare, seu acceptum, uocari potest. Aliud, quo boni ac piij offenduntur: quod datum appellari potest. Non autem uocabulis, sed rebus ipsis in Euangelistis distinguuntur. Pharisæicum igitur esse, offen-

offensionem incredulorum ad sanā doctrinam, & facta necessaria ac pia qua mouentur, ut non apprehendant ueritatem, nec probent facta, sed abhorreant, damnent, criminentur, ex historijs cerni potest. Ioh. 5. Iudæi scandalizantur, quòd Christus doceret se esse aequalē Deo. Ioh. 6. offenduntur, quòd Christus assenerat se esse panē qui de cælo descendit. Item, quòd dicit, Videbitis filium hominis ascendētem ubi erat prius. Additur ergo, Ex hoc multi discipulorum abierunt retrò. & iam nō cum illo ambulabāt. Causa huius offensionis est uera doctrina de Christo, quòd sit filius Dei. item, quòd uerus etiam homo, & quòd carnem pro mundi uita daturus: & quòd omnes carne & sanguine eius potiri necesse sit, qui uelint uitam æternam consequi. Iam persone istius aspectus non uidebatur tam eximus, et pugnabat hæc doctrina cum usitata forma. Quapropter impingunt, ac ita fiunt deteriores, ut habeant Christum pro seductore, ab eoq; deficiant. Ioh. 7. Christus declarat se, quòd sit Messias: uerum multi scandalizantur in eo, quòd dicunt se nosse eum unde sit: id est, ex familia obscura ortum. Item dicunt, Nunquid ex principibus aliquis credit in eū, aut ex Pharisæis? Iohan. 8. offenduntur Iudæi, quòd diceret se ex Deo processisse: doceret, Iudæos non esse filios Abraham ueros, sed Diaboli. Hac doctrina tantopere offenduntur, ut criminentur ac blasphement eum esse Samaritanū, & habere diabolum. Item, non diceret, Abraham diem suum uidisse, & lætatum esse, offenduntur, quia doctrinam de Messie substantia ignorabant: ut objicerent, quinquaginta annos nondum natus es, & Abraham uidisti? Christo autem in assueratione sua persistente, & addente: Amen amen dico uobis, Antequam Abraham foret, ego sum: lapides tollunt, ut in eum

projicerent, ueluti in hominem blasphemum. Matthæi 9. Christo absolutionem impartiente paralytico his uerbis, Remittitur tibi peccata tua, offenduntur scribæ, & uocant blasphemiam: & cogitant, neminem posse dimittere peccata præter solum Deum. Matt. 9. 11. Luc. 15. offenduntur Iudæi, quòd Christus cum publicanis & peccatoribus rem habet, cibum cum eis capit, est ipsorum amicus. Verùm Christus defendit se, suum officium ad quod missus erat allegans. Item scandalisuntur Iudæi, propter exempla libertatis in traditionibus humanis. Matth. 21. scandalisuntur Iudæi, quòd Christus templum purgat: quòd tamen testatur esse suam domum, taliq; purgatione plurimum indigere. Mar. 6. scandalisuntur in persona Christi: Non'ne, inquit hic est faber, filius Mariæ?

Non tantum autem increduli ac hypocritæ perversi ac pertinaces scandalisuntur hoc pacto, sed & ij qui cœperunt esse pij ac credentes. Matth. 13. Facta tribulatione & persecutione propter uerbum continuò scandalisuntur. Matthæi 24. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. & statim additur: Et tunc scandalisabuntur multi, & inuicem tradent. Matth. 26. Omnes uos scandalum patiemini propter me. Non esse autem hoc scandalum curandum, sed pergendum in doctrinæ sincera confessione, & necessarijs factis, licet crepent pharisæi, & quadam alia incommoda sequantur, Christus suo exemplo docet. Acriter enim refutat pharisæos, & incepta doctrina ac factis strenuè pergit. Matth. decimo inquit: Qui perseverauerit usq; in finem, is saluus erit. Item: Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Item: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt

possunt occidere. *Matt. 22. Date Deo, quæ sunt Dei. Amanter etiam præmonet Christus, ne quis eo modo scādalisetur, Matthæi undecimo: Pauperes euangelisantur: Et beatus qui non fuerit in me scandalisatus. Iohan. 16. Hæc uobis dico, ne scandalisemini.*

Scandalum datum est, quando impia doctrina, aut factio impio, seu non necessario, alij offenduntur, & ad defectiōnem, seu peccata irriantur. ut *Matth. 16. Quando Petrus Christum de atroci sua passione scorsim abducit, & dicit, Absit à te Domine, non erit tibi hoc: IESVS mox respondet ei, Abi post me satana, scandalum es mihi, non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Matth. 17. Christus ait, se didrachma cum Petro soluturum, ne quempiam scandalisat. Tale etiam est Matth. 18 Mar. 9. Luc. 17. Qui scandalisauerit, inquit Christus, unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Esse igitur hæc scandala summo studio uitanda, ex hac ipsa sententia manifestum est. ac sequitur ibidem: *Væ, inquit, mundo à scandalis. necesse est enim ut ueniant scandala, ueruntamen uæ homini, per quem scandalum uenit. Si autē manus tua uel pes scandalisat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum est tibi ad uitā ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus, uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Bonum est tibi, cum uno oculo in uitā intrare, quàm duos habentem mitti in gehennam ignis. Eadem ferè Mat. 5 etiā habentur. Mat. 13. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent, eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Nunc, aspirante Deo, ad alios locos progredimur: ac primum quidem de matrimonio dicemus, qui uelut seminarium est omnium statuum, & proximè ad Ecclesiam accedit.

quodam &

Est autem coniugium ordinatio Dei: qua unus mas, & una femina, legitime & indissolubiliter copulantur, propter generis humani propagationem, & uitandas uagae libidines. hæc definitio ex concionibus Christi constat.

Deum esse primum autorem coniugij, manifestè Christus docet Matth. 19. Marci 10. Ab initio creaturæ masculum & feminam fecit eos Deus. Debet autem de creatione & copulatione intelligi, & pulchrum est, quòd ipsam creationem allegat Genesis 1. & 2. Adhuc autem Deum coniungere homines in matrimonio, his uerbis ibidem testatur: Quos Deus, inquit, coniunxit, homo non separet. Matthæi 15 recenset Christus quartum Decalogi præceptum, Honora patrem tuum & matrem tuam: Matthæi quinto, sextum: Non moechaberis. Itaq; docet coniugium esse ordinationem Dei.

Est igitur coniugium uitæ genus pium, Deoque in primis Charum. Ad quam partem & hæc referenda sunt: quòd Christus & maria, caterique discipuli nuptijs interfuerunt. Honorantur nuptiæ, hoc est coniugium, egregio dono Christi: imò etiam initio miraculorum, quæ in sua amplissima functione exhibuit Christus, Iohannis secundo. Comparat regnum cælorum nuptiali ac regali conuiuio, Matthæi uigesimo secundo. Amplexatur pueros, & iubet eos ad se uenire, Matth. 18. 10. Marci 19. Luc. 18. Vititur comparatione de mulieris

mulieris partu, Iohannis 16. Deniq; ipse Christus uoluit in coniugio nasci. Nam Maria erat desponsata Iosepho, & uocatur eius coniunx, Matth. primo. Materialis sunt mas & femina. Ibidem.

Porrò coniugium esse copulationem unius maris & femine, ibidem Christus docet. Nam indicat, sic esse homines à Deo conditos, ut sint masculus & femina: hoc est, simul uiuant. Et singulariter de utroq; loquitur Christus, Adhærebit uxori suæ. item: Qui dimiserit uxorem. Præterea disertè duorum facit mentionem ex Genesis primo: Erunt, inquit, duo in carnem unam. Non igitur uult, unum masculum plures habere uxores, nec feminam plures habere maritos. Artissima etiam coniunctio, & quasi unio omnium summa, his uerbis indicatur: Erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Item: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Docet esse indissolubilem coniunctionem, usq; ad mortem: Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Neq; illos duos separabit homo*

Externos ritus usitatos & honestos in contrahendis matrimonijs, non improbat Christus. Nam Ioh. 2. commemoratur, quòd ipsemet unà cum Maria matre, & discipulis, conuiuio nuptiali interfuerit: quod proculdubio præcessit quadam inuitatio, quadam ceremoniæ copulationis sponsi ac sponsæ, postea & conuiuium subssecutum est. Id quod etiam ex parabola Matthæi uigesimosecundo apparet, ubi regnum cælorum comparatur nuptijs, in quibus per seruas homines prius inuitantur: nec accedit quisquam nisi uocatus. Donaria autè quedam nouis coniugibus fuisse usitata dare, ex dono Christi licet colligere. Deficiēte enim uino, sex hydrias uino optimo plenas donat Christus, idq; miraculose

culosè immutata aqua in uinum. Porro parabola Matthæi uigesimo secundo testatur homines uestibus etiam mundioribus in conuiujs nuptialibus usos esse.

Vult autem sanctè hoc coniugium celebrari, ne adulteria committantur. Matth. quinto Non mœchaberis. ac permittit separationem in adulterij casu. Dilectionem etiam, omniaq; humanitatis officia continet hoc dictum: Erunt duo in carne una.

Fines coniugij simul subindicantur: nempe parère ordinationi Dei, qui fecit & cōiunxit masculum & fœminam. Esse in carne una, hoc est, officia dilectionis mutua exhibere. Item liberos procreare. Non frustra enim dicitur, Honora patrem & matrem: Matth. 15. Vult igitur Deus, ut pater & mater liberos educent. Vtare fornicationē, quam adeò execratur Deus, ut solutionem coniugij esse pronunciet. Vult igitur, quemq; sua coniuge esse contentum. Matth. 19. Marci decimo.

Contraria legitimo coniugio recitatur adulteria et flammæ libidinis seu concupiscentiæ, Matth. 5. Audistis quòd dictum sit antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & c. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Dimissio uxoris ex qualibet causâ. Non adherere uxori, Matth. 19. Adulteram legitime dimissam ducere. Matt. 5. Qui dimissam duxerit, adulterat. Propter coniugium nõ uenire ad carnem magnam: hoc est, uerbum Dei segniter curare, relinquere, immergi curis huius uitæ, confessionē fugere metu, ne uxor & liberi sint deserendi. Luc. 14. Vxorem duxi, &

ideo

ideo uenire non possum. Item: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem animam suam, non potest esse meus discipulus.

Pertinet ad hanc doctrinam de coniugio, officium parentum erga liberos, & uicissim. Parentes debere liberos in pietate instituere, & ad publicum Ecclesie congressum deducere, exemplum Ioseph & Mariae docent. Lucæ secundo: Qui & ipsi quotannis proficiscebantur Hierosolymam ad festum Paschatis iuxta institutionem Dei. & una IESVM puerulum adducebant, postquam ad firmitatem aliquanto etatem uenisset. Matthæi decimonono, Marci 10. Lucæ 18. Pueri deferuntur ad Christum, qui ipsos suauiter amplexatur, & benedicit eis: id quod parentes eorum fecisse, credibile est. Liberos debere parentibus honorem et obedientiam, etiam IESV exemplum docet. Deinde monet de quarto præcepto, Honora patrem & matrem: Matthæi decimoquinto: Improbatur superstitionem, quod plus sumptuum confertur in templum, quam in parentes alendos. Vos, inquit, dicitis: Quicumque dixerit patri seu matri, Munus quodcumque ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. propter ueram tamen doctrinam Christi sectandam & constendam, iubet Christus relinquere patrem & matrem. Luc. 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & c. non potest esse meus discipulus. Liberantur igitur obedientia erga parentes liberi, quoties Christus uerè est sequendus, nec habent parentes potestatem cogendi liberos, ad impietatem.

DE DIVORTIIS.

Questio de diuortijs Matthæi 5. 19. Marci 10. tractatur.

CON

tur. Proponunt enim Pharisei quaestionem, an liceat homini dimittere uxorem suam qualibet ex causa? Verum Christus disertè respondet, quòd non. Quòd Deus (inquit) coniunxit, homo non separet. ac rationes gravissimas exponit. Prima, quòd Deus ab initio fecerit masculum & foeminam: hoc est, coniugium esse ordinationem diuinam. Secunda, quia dictum sit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Tertia, quia sit artissima copulatio. Erunt, inquit, duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Hinc intelligitur, quòd diuortium sit quasi fissio unius carnis. Quarta, quia Deus non tantum initio condidit masculum & foeminam, sed adhuc coniungit: ideo fas non est disrumpere, quòd Deus iunxit. Quinta, Iudeorum separationem fuisse peculiarem permissionem, quam nunc rursus abroget. Dicentibus enim pharisæis, Cur igitur Moses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Respondet IESVS: Moses propter duriciem cordis uestri permisi uobis dimittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Posthæc reuocat priorem legem Christus, & sancit regulam de diuortijs. Dico, inquit, uobis: Quicumq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. Certum igitur casum perspicuè exprimit, nempe, fornicationem. Marcus casum non exprimit, adijcit autè de uxore: Si uxor, inquit, dimiserit uirum suum, & alij nupsert, mæchatur. Matt. cap. 5. etiã huius casus tantummodo meminit. Dico, inquit Christus, quicumq; dimiserit uxorem, det ei libellum repudij. Ego autem dico uobis: Quòd omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari: & qui dimissam ducit, adulterat. Apertè hic de parte

parte nocente docet Christus, quod ea poenam sustinere debeat: innocenti autem nequaquam similes poenas irrogat, sed libertatem rursus contrahendi matrimonium, eo ipso quod ad nocentem uerba sua dirigit, permittit.

DE CASTITATE.

TRiplices recitat Christus Matth. 19, qui ad castitatem sint idonei. Primum eunuchos, qui de utero matris sic nati sunt. Secundò, eunuchos castratos ab hominib. Tertio, eunuchos qui seipos castrauerunt propter regnũ cœlorum: hoc est, qui habent peculiare donum, ut uerè casti possint uiuere, ac regno Dei seruire. Occasio huius concionis est, quod discipuli audientes Christum affirmare, non licitum esse repudiare coniugem, nisi ob manifestum adulterium commissum, mox subiiciunt: Si ita est causa hominis, cum uxore, non expedit uxorem ducere. Ibi Christus docet, qui sint ad castitatem apti. Et præmittit hanc generalem sententiam: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Deniq, de castis doctrinam rursus sic concludit: Qui potest capere, capiat. Docet igitur castitatem ueram esse raram uirtutem, ac peculiare Dei donum. Non igitur regulam uniuersalem hic sancit Christus, quod illi omnes debeant abstinere à coniugio. Præterea munit prius, & approbat uitam coniugalem.

Eunuchi a utero matris.
Eunuchi ab hominib. castrati.
Eunuchi qui seipos castrauerunt propter regnũ cœlorum.

DE MAGISTRATIBVS.

CHristum suo Euangelio non abolere Magistratũ politicum, sed eum relinquere, confirmare & honorare, conciones eius testantur Matt. 22. Date Cesari, quæ sunt Cesaris. Matt. 20. Principes gentium dominantur. Iohãnes baptista non abolet status ad politicã gubernationẽ necessarios.

sarios. Luc. 3. publicanis & militibus concionatur, ut contenti sint constitutionibus iustis, ac stipendijs suis: nec precipit, ut eas uocationes deserant.

Comprobat etiã ea quæ ad Magistratus officium pertinent. Iudicia & pœnas sancit, Matth. 5. Qui occiderit, reus erit iudicio. Matth. 26. Similiter homicidas gladio rursus esse puniendos dicit: Omnes, inquit, qui acceperint gladiũ, gladio peribũt. Ioh. 7. Nolite iudicare secundum faciẽ, sed iustum iudiciũ iudicate. Mutt. 17. Capernai exigitur à Christo didrachma, & ipse staterẽ soluit pro se & Petro, idq; miraculo quodam. Iubet enim Petrũ capere piscẽ, ac prædicit eum in primo pisce, quẽ capturus esset, inuenturũ staterem, magistratui pendendum. Additur etiã causa: Ne, inquit, scandalisemus eos. Probantur igitur pensiones Magistratibus debita. Idem docet Matthæi 22. interrogatus, An iustum sit Cæsari dare censum, nec ne? Vbi expeditẽ dat responsum: Date, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Simulq; debitum honorem & obedientiam præcipit. Ioseph & Maria edicto Cæsaris Augusti parent, ac nomen suum in Bethlehẽm profitentur.

Licere homini Christiano etiã ethnico aut impio magistratui, in rebus externis, & non pugnantibus cum uerbo Dei, parẽre, itidem Christus & exempla docent. Inquit enim: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: hoc est, suam debitam obedientiam & pensiones: quia imperium tum in Iudæos tenebat, licet esset prorsus à Iudaica religione alienus. Staterem soluit Capernaitis Dominis, quorum pleriq; non crediderunt in Christum. Ioseph & Maria paruerunt Augusto, & suis præfectis prorsus impijs. Baptista cum Herode Antipa uersatur.

Præterea docet Christus, Magistratibus politicis, non esse infinitam potestatem. Date, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & Deo, quæ sunt Dei. Habet igitur suas metas, quæ iure suo possit exigere à subditis, nempe quæ sua sunt. At quæ Dei sunt, non debet sibi rapere, iuxta eam regulam, subditorum quoq; obedientia limitata intelligitur, nèpe quòd nequaquam debent Cæsari aut Magistratui dare, quæ sunt Dei: nec parere in illis, quæ ad Deum pertinēt, ut contra ea quid faciant: sed tribuere Magistratui, quæ sunt eorum, siue iure naturæ, siue consuetudine, siue iustis legibus.

Magistratum officium est, discere uerbum Dei, excipere, & adorare Christum. Sicut Herodes Matthæi 2. simulabat tantum, se id facturum: uerùm postea gladio cruento Christum querit. Sic Herodes Antipas, Baptistam aliquandiu in aula fouebat, audiebat docentē de Messia, eiusq; consilia sequebatur. Marci 6.

Contra officium Magistratum est, Christum in cunis persequi, & propter eum innumeros infantes iugulare: Matthæi 2. Non uelle audire concionatores, de atrocissimis peccatis commonefacientes.

Iudicare secundum faciem, Iohannis 7. Nolite iudicare secundum faciem. Impia iuramenta seruare, incestum committere, scortari, meretrici impia & illicita petenti citra moram præbere. Indulgere proprijs liberis in rebus iniustis. Indicta causa capitis supplicio afficere, optimos & serios concionatores occidere. Hæc omnia ex Iohannis Baptistæ historia sunt perspicua: Matthæi 14, Marci 6. Luc. 9. Impijs sacerdotibus ac turba in persecutione piorum doctorum gratificari & colludere,annoncentes uirgis cadere, damnare ad crudelia supplicia contra conscientiam. Plus

gratiæ Cæsaris, quàm iusticiæ rationem habere: nocentes impunè dimittere, innocentes interficere: concedere seruis licentiam immaniter in pios doctores sæuendi, ridere regnum Christi, & ueritatem: quæ quidem omnia ex historia passionis Christi patent. Verùm uberiorem de hoc toto loco tractationem secundus liber suppeditabit.

DE MORTE.

Vocabulis mori & mortis, Christus triplici modo utitur. Aut enim significant externam illam corporis & animæ dissolutionem, Matthæi nono: *Filia mea modò mortua est.* Matthæi decimo: *Tradet frater fratrem in mortem.* Matthæi 16, Marci 9, Lucæ 9: *Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem.* Matthæi uigesimo: *Condemnabunt eum mortis.* Matthæi uigesimosexto: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Ibidè dixerunt, *reus est mortis:* Idem Marci decimoquarto dicitur, Lucæ secundo: *Acceperat responsum, non uisurum se mortem.* Lucæ uigesimotertio: *Nihil dignum morte actum.* Iohannis uigesimoprimo: *Signans qua morte esset Deum glorificaturus.* Iohannis octauo: *Abraham mortuus est.* Iohannis undecimo: *Lazarus mortuus est.*

Aut significant spiritualem animarum etiam in hominibus uiuentibus destinationem ad mortem, propter peccatum: & opponitur uitæ Spirituali, quæ fide in cordibus accenditur. Matthæi octauo: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Iohannis 5. *Amen dico uobis, quòd ueniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei: et qui audient, uiuent.* Lucæ 1: *Qui sedent in umbra mortis.*

Aut significat eternam iram Dei, condemnationem & pœnas: et opponitur uitæ æternæ. Iohannis octauo: *Si*

non credideritis quod ego sum, in peccatis uestris moriemini. Ibidem: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in aeternum. Iohannis 11: Ego sum resurrectio & uita: qui credit in me, non morietur in aeternum. Ex his etiam testimonijs constat, tres esse species mortis: aliam corporalem, aliam spiritualem, aliam aeternam. Verum nos hic de externa seu corporali morte agimus.

Causas uero mortis docet esse, Diabolum, Adā & Eua, & peccatum. De Diabolo testimonium est Iohannis octauo: Ille homicida erat ab initio. Eundem mortis autorem esse, arguit sua aduersus miseros homines tyrannis, quae conspiciunt in morbis: nam ij quoq; Diabolo adscribuntur, Lucae decimotertio: Hanc filiam Abraham, quam alligauit Satanas decem & octo annis. Et in obsessionibus, quam miserè enim obsessos tractet, testantur historiae & experientia de duobus demoniacis Marci octauo, & Demoniaco muto Matthaei 12, et filia Cananaea Matthaei decimoquinto, et Lunatico Matthaei 17.

Primos uero homines in iusticia & sanctitate conditos, et immortalitate praeditos, suo peccato sibi & suis posteris accersuisse mortem, Christus docet parabola de uiatore, Lucae decimo: et de Acolasto, Lucae decimosexto: et de oue perditā, Lucae decimoquarto. Et ad Paralyticum Christus inquit Iohannis quinto: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat, et Lucae 18 Christus monet, causam obsidionis & uastationis Hierosolymorum, et excidij totius gentis, fore neglectum, temporis uisitationis. Idem Lucae 13, ad nuncios narrantes de calamitate Galilaeorum, quorum sanguine Pilatus miscuerat cum sacrificijs eorum, inquit: Putatis quod hi Galilaei praecunctis Galilaeis pec-

catores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico uobis: imò nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos, putatis quod debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hierosolymis? Non, dico uobis: imò nisi resipueritis, omnes simul peribitis.

Omnes homines semel mori oportere, Iudæi innuunt. Iohannis 8. et Christus eam sententiã non refellit, inquit enim: Abraham mortuus est, et prophetae mortui sunt.

Causas uerò, cur etiam credentes in Christum mortem corporalem obire oporteat, has licet colligere ex concionibus Christi. Prima: quia & ipsi adhuc habeant peccatum, inquit enim ad discipulos Christus, Lucae 17. Si omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus.

Secunda: quia pios fieri similes imaginis Christi. Matthæi decimo, et Iohannis decimotertio. Non est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra Dominũ suum. Item: Si uos mundus odit, scitis quòd me priusquã uos oderit. Ioh. 15. Item: Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, et uos persequentur. Et ad Petrũ inquit, Ioh. 13. Quòd ego uado, non potes me nunc sequi: sequeris autem postea.

Tertia: quia oporteat morte piorum glorificari Deum, Iohan. 21. Qua morte esset Deum glorificaturus.

Quarta: quia oporteat esse discrimen inter hanc & futuram uitam. In hac pios mori necesse est: in altera uiuent in æternum, ut patet ex parabola diuitis & Lazari, Lucae decimoquarto, et Iohannis decimosexto inquit: Vos nunc quidem mœrorem habetis: sed iterum uidebo uos, & gaudet cor uestrũ, & gaudiũ uestrũ nemo tollet à uobis.

Pios etiam à morte abhorrere, dicta illa monent, quibus
Christus

Christus hortatur ad constantiam. qualia sunt Matthæi decimo: Nolite metuerе eos qui corpus occidunt, animam non possunt. Item: Qui amat animam suam, perdet eam. Petrus uerò adeò abhorret à morte, ut etiam abneget Christum: et cæteri discipuli omnes fugiunt, & præ metu Iudæorum latitant in clausa domo. Et Christus ipse à morte abhorret. inquit enim: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Et in hortu ter rogat patrem, ut calix iste, si possibile sit, transeat.

Proponuntur autem graues consolationes contra mortem, cuiusmodi sunt:

Prima: qua mors fit demissio pacifica. Lucæ 2: Nunc dimittis seruum tuum Domine, in pace. Item, quia fit redemptio. Lucæ uigesimo tertio: Attollite capita uestra, appropinquat enim redemptio uestra. Item, quia tantum sit somnus. Sic enim Christus appellat mortem piorum, Matth. 9: Puella non est mortua, sed dormit. Et Iohannis 11. Christus inquit: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno exciit eum. Dixit autē Iesus de morte: at illi de dormitione somni intelligebāt. Quia mors fit transitus ex hac uita ad patriam, & uitam æternam: Nunc uado ad eum, qui misit me. Item: Quò ego uado, iam non potes, sed postea sequeris. Iohan. 13.

Secunda: quia causa mortis, nempe peccatum, sit sublata per Dominum nostrum IESUM Christum. Lucæ 2: Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Et Iohannis 11: Ego sum resurrectio, & uita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Ioh. 12: Nunc iudicium est mundi, & princeps mundi huius eijcietur foras. Iohan. decimo quarto: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Ioh. 16. Bono animo sitis, ego uici mundum. Item: Si abiero, parabo uobis locum. Iohan. 14. Ego uiuo, & uos uiuetis. Ibidem.

Tertia: quia fides in Christum sit certum remedium contra eternam mortem. Ioan. 8. Amen dico uobis, qui sermonem meum seruauerit, non uidebit aut gustabit mortem in eternum. Iohan. 3. Qui credit filio, habet uitam eternam. Et Iohan. 5. Amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam eternam: & in condemnationem non ueniet, sed transiuit à morte ad uitam.

Quarta: quia in morte, & post mortem, habeamus Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum adiutorem. Matt. 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item: Non relinquam uos orphanos. Item: Deus non est Deus mortuorum, sed uiuorum. Luc. 20. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus: Iohannis 14. Pater uolo ut ubi ego sum, ibi etiam sint discipuli mei: Iohan. 17. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui in caelis est: Matt. 10.

Quinta: quia in fide morientes, ueniant in sinum Abrahae: ut patet ex parabola Lazari & diuitis, Luc. 14. Et ad Christum, Iohan. 17: Volo ut ubi ego sum, ibi etiam illi sint mecum, & uideant gloriam meam quam dedisti mihi. Et in mansionem caelestem, Iohan. 14. In domo patris mei mansiones multae sunt. Vado paraturus uobis locum: & si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & assumam uos ad me ipsum: ut ubi sum ego, & uos sitis.

Sexta: quia mortui resuscitabuntur ad uitam eternam. Iohannis 5. Ego resuscitabo eum in die nouissimo.

Animas à corpore separatas non interire, sed manere incorruptas, Christus docet Matt. 10. Corpus occidere possunt, sed animam non possunt. Et Luc. 12. Hac nocte auferetur à te anima tua. Idem parabola de Lazaro et diuite indicat.

De

DE APPARITIONIBVS DEFUNCTORUM Hominum.

Neminem à mortuis redire & concionari, narratio Christi de diuite & Lazaro testatur. Diues enim ait: Rogo te pater, ut mittas Lazarum in domū patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. At illi Abraham: habent Mosē, inquit, & prophetas audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis iret ad eos, respiciēnt. Ait autem illi: Si Mosē & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Matthæi decimosextimo: Mosēs & Elias apparent quidem in monte, uerū non cum hominibus, sed cum Christo colloquentes: nec petunt sibi uel fana extrui, uel auxilium præstari. Christo in cruce extincto, procedunt è sepulchris sancti: uerū ea est resurrectio. Præterea non petunt ab hominibus uel honorē, uel auxilium, conzenti morte atq; expiatione Christi.

Porro animas piè defunctorum beatas quidem esse in sinu Abraham, & in paradiso. Lucæ decimosexto & uicesimotertio indicatur. Damnatas uerò in Tartaro in tormentis esse, parabola monet Lucæ 16. plura de hac parte in historia Christi non sunt literis prodita.

DE FINE SECVLI ET SIGNIS præcedentibus.

FInem tandem aliquando seculi præsentis futurum esse, Christus præcipue docet Matth. uicesimooctauæ: Ecce, inquit, ego sum uobiscum usq; ad consummationem seculi. Matthæi decimotertio. Sic erit in consummatione seculi. Matthæi 5. 24. cælum & terra transibunt. Et

discipuli quærunt, *Quod erit signum aduentus tui & consummationis seculi?*

Quod nemini certum tempus eius finis sit notum, Christus clarè indicat Matthæi 24. De die autem illa, inquit, & hora, nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi solus pater. Marcus decimotertio addit, Neq; filius. Actorum 1. cùm interrogarent, qui ad Christum congregati erant: Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit eis: Non est uestrum nosse tempora uel momēta, quæ pater posuit in sua potestate. Matt. 24. Nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Marci 13. Nescitis quando tempus sit.

Signa quædam præcessura seculi consummationem & aduentum Domini ad iudicium, Matthæi 24. Marci 13. Luc. 21. à Christo prædicta, descripta sunt. Non enim tantum ad excidium Hierosolymorum, sed etiam ad mundi huius finem respiciunt. Sunt autē, primū huius doctrinæ de Christo adulteratio per falsos doctores, & seductio. Multi, inquit, uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent: Secundum, bella, & rumores bellorum. Audituri, inquit, estis prælia, & rumores præliorum. Tertium, motus imperiorum & regnorum. Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum. Quartum, pestes. Quintum, fames. Sextum, terramotus per loca. Septimum, persecutio Doctorum Ecclesiæ. Tradent uos, inquit, in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Octauum, defectiones in Ecclesia, & persecutiones domestica. Et tunc, inquit, scandalisabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et additur rursus quasi ratio quædam: Et multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos.

eos. Item Marci decimotertio. Tradet frater fratrem in mor-
 tem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & mor-
 te afficient eos. Nonum, peccatorum multitudo, & chari-
 tatis presertim extinctio, seu inhumanitas & crudelitas,
 rapacitas. Abundabit, inquit, iniquitas: refrigescet chari-
 tas multorum. Decimum, collectio Ecclesie per omnes gen-
 tes. Prædicabitur, inquit, Euangelium regni in uniuerso
 orbe. Undecimum, abominatio desolans: de qua à Daniele
 propheta est prædictum, Stans in loco sancto. Duodeci-
 mum, falsorum doctorum copia: Surgent, inquit, pseudo-
 christi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & pro-
 digia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam ele-
 cti. Ecce prædixi uobis. Nec temerè est, quòd toties hoc si-
 gnum Christus inculcat. Igitur nec nos pæniteat denuò le-
 gere. Ac prædicatur forma doctrinæ falsorum doctorum: Ec-
 ce hic Christus, ecce illic, ecce in deserto est, ecce in penetra-
 libus. Lucæ decimosextimo. Veniet dies, quando desiderabi-
 tis uidere unum diem filij hominis, & non uidebitis. Deci-
 mumtertium, prodigia in cælo: Sol, inquit, obscurabitur, et
 luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uir-
 tutes cælorum mouebuntur. Lucæ 21. Terrores de cælo & si-
 gna magna erunt. Item, Et in terris pressura gentium, præ-
 confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus homi-
 nibus præ timore & expectatione quæ superuenient uniuersò
 orbi. Decimumquartum: Et tunc apparebit signum fi-
 lij hominis in cælo, Et tunc plangent omnes tribus terræ.
 Decimumquintum, Summa hominum securitas. Sicut,
 inquit, in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis.
 Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes
 & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum

diem quo intravit Noe in arcã, et nõ cognouerunt, donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Item Luc. decimosextimo. Similiter sicut erat in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & edificabant. Qua autem die exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur. Luca decimosextimo. Filius hominis ueniens, putas, inueniet fidem in terra?

DE RESVRRECTIONE
mortuorum.

Quod certò sit futura mortuorum resurrectio, Christus luculenter docet Ioh. 5. Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audient, uiuent. Item: Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocẽ eius, & procedent. Ioh. 6. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioh. 11. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20. De resurrectione mortuorum, non legistis, quòd dictum est à Deo, dicente uobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est autem Deus mortuorum, sed uiuentium: omnes enim uiuunt ei. Ioh. 12. Amen amẽ dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum afferit fructum. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam eternam custodiet eam. Mat. 10. 11. inquit, iudicium fore de Sodomitis, Gomorritis, Capernaitis, & alijs. Luc. 14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum. Matt. 16. Reddet unicuique secundum opus suum. Loquitur autem de suo aduentu ultimo. Matth. 19. affirmat disci-

discipulos suos in regeneratione iudicaturos duodecim tribus Israel. *Mat. 5. Merces uestra copiosa est in cœlis Mat. 25. Congregabuntur omnes gentes. Ioh. 14. Ego uiuo, et uos uiuetis. & postea: Iterum ueniam, & recipiam uos ad me. Quapropter euidenter sequitur, oportere fieri resurrectionē. Imò, cœpta est resurrectio, hoc Christi tēpore, & toti Ecclesie exēpla resurrectionis mōstrata sunt. Non enim tantum Christus resuscitat puellā defunctam, *Mat. 9. filium uiduæ, Luc. 7. Laz arum qui dies penē quatuor in sepulchro mortuus iacuerat. Ioh. 11. sed ipso in cruce defuncto, statim monumenta aperiuntur, ac prodeunt inde multa sanctorum corpora, ac post resurrectionem Christi se patefaciunt plurimis Hierosolymæ. Christus ipse tertio die resurgit ex morte, insigni potentia. Et postea Christus & hi sancti resuscitant, integros 40 dies commorantur cum credētibus, ac cum ipsis colloquia dulcissima habent. Tam gloriosos dies nulla hominum ætas uidit, quàm hæc. *Mat. 23. Mar. 12. Luc. 20. ait Christus: Neq; scripturas, neq; uirtutem Dei scitis.***

Habemus igitur Moſen & Christum, hoc est uetus & nouum Testamentum, qui articulum de resurrectione egregiè confirmant. Estq; dulcis uox, quòd Christus mortem appellet somnum. *Mat. 9. Puella non est mortua, sed dormit. Iohan. 11. Laz arum amicus noster dormit. In hac etiam uoce inclusa est resurrectio.*

Quando sit futura resurrectio, indicat Christus *Ioh. 6. Resuscitabo eum in nouissimo die. & Iohannis undecimo. Martha, haud dubiè in schola Christi edocta, ait: Scio quòd resurget in resurrectione, in nouissimo die. Si igitur resurrectionis dies erit nouissimus, utiq; & regna corporalia tunc omnia cessabunt.*

Resusci-

Resuscitabit autem mortuos ipse Christus, sicut inquit Ioh. 6. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Iohan. 5. Sicut pater suscitatur mortuos, & uiuificat: ita & filius quos uult uiuificat. Itē, Qui mortui sunt, & qui in monumentis, audient uocem filij Dei, & procedent. Ioh. 11. Ego sum resurrectio & uita: hoc est, ego resuscito homines, & uitam impertio. Sicut declarat exemplis, resuscitans plures homines eo tempore, quo ministerio suo fungitur. Ioh. 11 inquit Christus: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Peperit etiam Christus resurrectionem salutarem sua passione, qua mortem, eiusq; causam, nempe peccatum, sustulit. Matth. 22. de resurrectione loquens, ait, uirtute Dei fieri. Neque scripturas, inquit, neque uirtutem Dei scitis.

Fiet autem resuscitatio uoce, seu uerbo filij Dei. ideo inquit Matth. 11. Qui in monumentis sunt, audient uocem eius. Erunt & angeli ministri cum tubis, Matthai uigesimoquarto: Et mittet (filius hominis.) angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.

Omnes autem homines resurgent, tam pij quam impij. Iohan. 5. Venit hora, in qua OMNES qui in monumentis sunt, audient uocem eius. Et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem uitæ: qui mala, in resurrectionem iudicij. Matthai 13. 25. iudicium de pijs atq; impijs latum iri declarat: Congregabuntur, inquit, ante eum omnes gentes. Matthai 16. Reddet unicuiq; secundum opus suum. Porro resurgent corpora, & animæ redibunt in corpora. Matthai 27. Multa corpora sanctorum surgunt Matt. uigesimoquinto. De totis hominibus, hoc est, non de anima uel de corpo

re solummodo iudicium ferendum esse docet. Matthæi 19.
Christus resurrectionem appellat regenerationem.

Finis resurrectionis erit, sibi ad tribunal Christi. Matt.
25. Audire sententiam siue damnationis, siue æternæ salua-
tionis Iohannis quinto. Et procedent qui bona egerunt, in
resurrectionem uitæ: qui uero mala, in resurrectionem iudicij.
Matth. 25. possidere regnum patris, uel in ignem æternum
cum Diabolis præcipitari.

Contraria sunt, Sadduceismus: hoc est, negare atq; irride-
re resurrectionem mortuorum, Matt. 22. Marci 12. Luc. 20.
Nescire scripturas, & uirtutem Dei. Ibidem. Non tribue-
re Christo potentiam resuscitandi mortuos. Marci quinto.
Luc. 8. Vbi nuncij archisynagoga, mortua eius filia, postu-
lant, ut dimittatur Christus, iam enim puellam esse extin-
ctam, & frustra cum molestari.

DE EXTREMO IUDI-
cio & secundo Christi
aduentu.

DE omnibus hominibus iudicium quoddam futurum
esse, Christus aperte docet Matth. 10. Tolerabilius
erit terræ Sodomorum & Gomorreorū in die iudicij, quàm
illi ciuitati. & Matth. 25. integer actus & processus eius
iudicij describitur.

Tempus eius iudicij erit nouissimus dies, Verum quan-
do is sit uenturus, non est expressum. Matt. uigesimo quinta
inquit Christus: Nescitis diem & horam. Et Matthæi 24.
De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cælorum,
nisi solus pater. Item, Nescitis qua hora filius hominis uen-
turus sit. Subito autem, & in exprouiso aderit. Matthæi ui-
gesimo quarto: Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usq;

iudiciū extremū
an futurū sit.

in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Marci decimotertio: Nescitis quando dominus domus ueniet, sero, an media nocte, an galli cantu, aut mane. Matt. 25. Parabola de uirginibus ait, sponsum nocte uenisse.

De loco primum in genere docet Christus Luc. 17. Nam sciscitantibus discipulis, Vbi Domine? respondet: Vbi cunq; fuerit corpus, illic congregabuntur et aquila. Deinde & paulo expressius locum indicauit, quod dixit: Videbit filium hominis uenientem in nubibus caeli. Matth. 24. 26. Marci 13. Luca 21.

De omnibus hominibus iudicatum iri, his uerbis Christus monet Matt. 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes. Item de diabolis: Ignem qui paratus est Diabolo & angelis eius.

Iudex istius iudicij erit Christus, sicut ipse saepe docet. Iohannis 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Matthaei 16. Filius hominis uenturus est, &c. & tunc reddet unicuiq; secundum opus suum. Matthaei 25 ait, ante se congregationem futuram, se pronunciaturum sententiam: & uocat se filium hominis, item regem. Itaque Christus, uerus Deus & homo, erit iudex: sicut etiam angeli testantur Act. 1. Hic IESVS qui assumptus est a nobis in caelum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in caelum.

Veniet autem cum singulari maiestate. Matthaei 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis. Matthaei 24. Videbunt filium hominis uenientem in nubibus caeli, cum uirtute multa & maiestate. Matthaei uigesimoquinto: Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis

statis suæ. Matthæi 26. Amodo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Marci decimotertio: Cum uirtute multa & gloria. Luca uicesimoprimo: Cum potestate magna, & claritate. Aderunt igitur & angeli, ut dictum, & quidem cum tuba, & ministrantes Christo in hoc iudicio. Matth. 24. Mit- tet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorum usq; ad terminos eorum. Et Apostoli, Matthæi decimonono: Amen dico uobis, quod uos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Erunt igitur angeli & Apostoli assessores in hoc iudicio Christi.

Forma iudicij, & eius processus, Matthæi uigesimoquin- to ab ipso Christo exposita est: Et congregabuntur, inquit, ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dex- tris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete pa- ratum uobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi cibum: Sitiui, & dedistis mihi potum: Ho- spes eram, & recepistis me. Nudus, & operuistis me: Infir- mus, & uisitastis me. In carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respondebunt iusti, dicentes: Domine, quando te ui- dimus esurientem, & pauimus te? Sipientem, & dedimus tibi potum? Quando te uidimus hospitem, et collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te uidimus in- firmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico uobis, quicquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc

Tunc dicit & his qui à sinistris erunt: *Discedite à me, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum: Sitiui, & non dedistis mihi potum: Hospes eram, & non collegistis me: Nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere eram, & non uisitastis me.* Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: *Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?* Tunc respondebit illis, dicens: *Amen dico uobis, quicquid non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternã. Eòdem pertinet illud *Matth. 10. Marci 4. Luca 9.* *Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est.* Item *Matt. 13.* *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* *Matt. 12.* *Dico uobis, de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

Regula igitur iuxta quam id iudicium feretur, iam à Christo prolata & promulgata est, *Iohan. 3.* *Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem nõ credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.* Hoc est autem iudicium, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Item: *Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.* *Iohan. 5.* *Qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet ui-*

tam

tam aeternam, & in iudicium non uenit. Iohannis 12. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Non igitur alia sententia in extremo iudicio sonabit, quam ea quæ ab ipso iudice est patefacta: nempe quod credentes in Christum sint iusti. Item, quod in iudicium non ueniant: hoc est peccata ipsorum sint testæ. Quod nemo ibi suis operibus uel possit uel debeat fidere, certò Christus indicat Matthæi 25. ubi inquit, pios tam non posituros fiduciam in propria merita, ut etiam dicturi sint: Domine, quando uidi mus te famelicum, & pauius te? Deinde & Deum, nitentes suorum operum iusticia, in iudicio suo abiecturos esse, palam testatur, Matthæi 7. Lucæ 6 inquit: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, non ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam noui uos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Non ibi pro sopolepsiam ualituram esse, Lucæ duodecimo declarat comparatione de seruis. Accusatio etiam ibi contra impios ab alijs fiet, Matth. 12, Lucæ 11: Viri Nininitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Item, Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Commemorabunt etiam alij aliorum bona opera. Lucæ decimosexto: Facite uobis amicos de iniusto mammona, &c. ut recipiant uos in tabernacula aeterna.

Finis huius iudicij in genere erit, cuiuslibet reddere secundum opus suum. Matthæi decimosexto: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, &

suis, & tunc reddet unicuique secundum opus suum.

Deinde, quo ad bonos, finis extremi iudicij erit redemptio ipsorum, Luca uigesimo primo. Appropinquat redemptio uestra. Vindicta piorum. Luca decimo octauo: Deus faciet uindictam suorum cito. Frui iucundo Christi aspectu. Compensatio & celebratio bonorum operum. Matthæi uigesimo quinto: Tunc dicet: Esuriui, & dedistis mihi potum, &c. Possessio regni promissi, ibidem. Vita aeterna, Iohannis tertio.

Quo ad malos, erit, Aspectus irati Christi, & ira Dei perpetua, patefactio & exprobratio peccatorum, abiectio & separatio à Deo, & damnatio ad ignem aeternum unâ cum angelis: fletus, stridor dentium, tenebra. Matthæi 7. 10. 13. 22. 23. 24. 25. Luca 13. Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham & Isaac & Iacob & omnes prophetas in regno Dei, uos autem expelli foras.

Instruit insuper Christus, quomodo se quisq; ad eum diè præparare debeat: Matthæi 24. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote, quoniam si scisset paterfamiliâs, qua hora uenturus fur fuisset, uigilasset utiq; & non fuisset perfodi domum suâ. Ideo & uos estote parati, quia qua hora non putatis, ea filius hominis uenturus est. Quis nam est fidelis seruus & prudens, quem præfecit dominus famulatio suo, ut det illis cibum in tempore? Beatus seruus ille, quæ cum uenerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus uenire, ceperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs: ueniet dominus serui illius in die qua non expectat, & hora qua*

ra qua ignorat, & dissecat eum, partemq; eius ponet cum
 hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentium. Marci de-
 cimotertio. Videte uigilate, nescitis enim quando dominus
 domus uenturus sit, serò an medio noctis, an in gallicinio, an
 diluculo: ne si uenerit repente, offendat uos dormientes. Cæ-
 terum quæ dico uobis, omnibus dico: *Vigilate.* Luca 12.
 Sicut lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos si-
 miles hominibus expectantibus dominum suum, quando re-
 uertatur à nuptijs, ut cum uenerit ac pulsauerit, confestim
 aperiant ei. Beati serui illi, quos cum uenerit dominus, in-
 uenerit uigilantes. Amē dico uobis, quod præcinget se, &
 faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si
 uenerit in secūda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, atq;
 ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quod
 si scisset paterfamilias, qua hora sur uenturus fuisset, uigi-
 lasset utique, nec passus fuisset perfodi domum suam. Et nos
 igitur estote parati, quia qua hora non putatis, filius homi-
 nis ueniet. Ait autē ei Petrus, Domine, ad nos dicis istam
 parabolam, an etiam ad omnes? Dixit autē Dominus: Quis
 nam est fidelis dispensator, ac prudens, quem constituet do-
 minus super familiarium suum, ut det illis in tempore demer-
 sum cibum? Beatus ille seruus, quē cum uenerit Dominus,
 inuenerit ita facientem: uerè dico uobis, quod omnibus
 quæ possidet, præficiet illum. Quod si dixerit seruus ille in
 corde suo, Differt dominus meus reditum, cæperitq; percutere
 seruos & ancillas, & edere et bibere & inebriari: ueniet
 dominus serui illius in die quo non sperat, & hora qua ne-
 scit, & dissecat eum, partemq; eius cum infidis ponet.
 Item Matthæi 25. Tunc simile est regnum cælorum de-
 cem uirginibus, quæ sumptis lampadibus suis exierunt in

occursum sponſo. Quinq; autē ex ijs erant fatuæ, & quinq; prudentes. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non ſumpſerant oleum ſecum. prudentes uerò ſumpſerant oleum in uafis ſuis, unâ cum lampadibus. Tardante uerò ſponſo dormitauerunt omnes, ac dormierunt. Porrò media noctis clamor factus eſt: Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo ueſtro, quia lampades noſtræ extinguntur. At reſponderunt prudentes, dicentes: Nequaquam, ne non ſufficiat nobis & uobis: ſed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobis iſtis. Porrò dum irent emptum, uenit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clauſaq; eſt ianua. Poſtea uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, in qua filius hominis ueniet. Sicut enim homo quidam peregrè proficiſcens, uocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et huic quidem dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij uerò unum, unicuiq; ſecundū propriam facultatem: & profectus eſt ſtatim. Abijt autem qui quinq; talenta acceperat, & negociatus eſt per eas, & confecit altera quinq; talenta. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt & ipſe altera duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multum uerò temporis uenit dominus ſeruatorum illorum, & ponit rationem cum illis. Et accedens is qui quinq; talenta acceperat, tatalit altera quinq; talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce altera quinq; talenta lucratus ſum per ea. Ait

ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, nouerã te quòd homo durus sis, metens ubi non seminasti, & inde congregans ubi non sparsisti: ac territus abij, abscondiq, talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quòd metam ubi non seminavi, & cõgregem illinc ubi non sparsi. Oportebat ergo te committere pecuniam meam mensarijs, & ueniens ego recepissem utiq, quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: qui uerò non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et inutilem seruum inijcite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Item Lucæ 21. His fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Item: Cauete autem uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uite: subitusq, uobis ingruat dies ille, tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem totius terra. Vigilate itaque omni tempore, deprecantes, ut liceat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

396 DE INFERN. ET DAMN. POENIS
DE INFERNO, SEV LOCO AC
poenis damnatorum.

Hebraei. h̄yē

Appellationes loci, in quo damnati æternis poenis subijcientur, à Christo quidē usurpata. primò percurrenda sunt. Vocatur autē *ēēd'us*, infernus: Matthæi 11. Luc. decimo, Et tu Capernaum, quæ usq; in cælum exaltata es, usque in infernum descendes. Lucæ 16. Sepultus est in inferno. Christo itaque hoc uocabulū nihil aliud significat, quàm locum destinatum supplicijs abiectorum. Deinde uitur de ea re plerunque uocabulo Gehennæ. ut Matthæi 10. Timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Lucæ 12. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Fuit autem Gehennom uallis in tribu Benjamin, ab impijs possessa, in qua filij uiui cremabantur, & immolabantur demonio Moloch. Putatur autem Moloch fuisse Saturnus. Fit eius mentio Iosue decimo octauo: Et uocatur uallis filiorum Hinnom. Postea & Israelitæ ad eum gentilem ritū defecerunt, sicut de Achar scriptum extat 2 Paralip. 28. Ipse est qui ad leuit incensum in ualle Ben Hinnom, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium. quos interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Vocatur is locus & Tophet, à tympanis, quæ pulsabantur, ne eiulatus puerorum exaudiretur. secundo Regum uigesimotertio: Sed hæc aliò pertinent. Abijt autem in consuetudinē, ut uulgari loquendi modo Gehenna pro loco ac tormentis perpetuo in damnatione futuris deputato acciperetur. Eodem igitur modo & Christus est locutus. Sic & Matthæi uigesimotertio inquit: Serpentes, progenies uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Matthæi quinto. Qui dixerit, fatue-

rens

reus erit gehennæ ignis. Marci nono, ire in gehennam. His sententijs de loco æternorum suppliciorum docet. Item Matthæi uigesimotertio: Hypocrite, circumitis mare & aridam, ut faciatis unum profelyum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ (hoc est, in æternos cruciatus abijciendum) duplo magis quàm uos estis.

Per circumscriptionem uocatur caminus ignis. Matth. decimotertio: Mittent eos in caminum ignis. Ignis æternus, Matth. decimo octauo, & uigesimo quinto. Ignis inextinguibilis, Matthæi 3. Marci 9. Lucæ 3. Supplicium æternum, Matthæi uigesimo quinto. Perditio, Matthæi septimo. Spaciosa uia est, quæ ducit ad perditionem. Tenebræ exteriores, Matthæi octauo, uigesimo secundo, & uigesimo quinto capitibus. Abyssus, uidetur Lucæ octauo uocari, ubi deprecantur diaboli, ne iubeantur ire in abyssum. Baptista. Matth. 3 uocat uenturam iram.

Quod autem locus aliquis torquendis damnatis sit destinatus, manifestè Christus docet, sicut testimonia sequentia declarabunt, quæ non necesse est toties repeti: in primis uerò hæc pars ex processu ultimi iudicij, qui Matthæi uigesimo quinto describitur, patet. Vbi uerò locus ille sit, non est à Christo expressum.

Quis in inferno sit futurus, Christus Matthæi uigesimo quinto indicat, nempe diaboli & homines: Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et quales homines, nempe qui non crediderunt in Christum, Iohannis tertio: Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Item: Qui incredulus est filio, non uidebit uitã, sed ira Dei manet super eum. Non confitentur Christum apostata:

Matthæi 10. Qui me non confessus fuerit coram hominibus, non confitebor eum coram patre cœlesti. Impœnitentes, polluentes sese peccatis omnis generis, Matth. septimo, Luca duodecimo: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matthæi decimo octauo: Seruus oblitus acceptorum beneficiorum, & immanitatem erga conseruum exercens, traditur pœnis. Matthæi uigesimo quarto: Si dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus uenire, & cœperit percutere conseruos, manducet autem & bibat cum ebrijs: ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Matthæi uigesimo quinto capite, uirgines fatua destituta oleo & facibus, excluduntur à sponso, dicente, Nescio uos. De seruo ignauro, qui talentum non collocarat, nec reportauit fructum ad Dominum, dicit Christus: inuilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Item: Esuriui, & non dedistis mihi cibum: Sitiui, & non dedistis mihi potum, & c. Item, Et ibunt in supplicium æternum. Et disertè maledictos tantùm iubet in æternũ ignem abire, Matthæi 3 cap. Luca tertio capite, Paleas comburet igne. Hypocritæ, non agentes pœnitentiam. Non habens uestem nuptialem, eijciatur in tenebras exteriores. Confidentes propria iustitia: in pharisæi, Matthæi quinto, Luca decimo octauo. Impij doctores, Matthæi uigesimo tertio: Vae uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: uos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Vae uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium, & c. Blasphemi, Matthæi duodecimo capite, Luca duodecimo capite, spiri-

te, spiritus blasphemie non remittetur. Item, Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei neq. in hoc seculo, neque in futuro. Diuites lurcones, non uiuantes pauperes Lazaros: Luca decimosexto capite. Crapula, ebrietati, & curis huius uitae indulgentes: Luca uigesimo primo capite. Contemptores & persecutores uerbi Dei, & ministrorum eius: Matthaei uigesimo secundo capite, Luca decimo quarto capite. Adorantes diabolum, hoc est Antichristum, ob regna huius mundi & gloriam eius, Matthaei quarto capite.

Animam autem cum corpore maledictorum in inferno futuram, Christus hoc dicto monet Matthaei decimo capite: Timete potius eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Plurimos autem in infernum precipitandos esse, Matthaei septimo capite docet, inquit: Lata porta & spaciofa uia est, quae ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Nec prerogatiua generis aut loci ibi pondus habebit. Matthaei octauo capite, inquit Christus: Filij regni (hoc est, Israelitae, non credentes: item, qui in coetu Ecclesiae fuerunt, sed non crediderunt) eijcientur in tenebras exteriores. Et Matthaei 22. Luca decimo quarto capite, in parabolis idem declaratur.

Pœnæ, quas sustinebunt maledicti in loco suppliciorum, erunt multiplices: ut, Ira Dei sensus. Iohannis tertio, Ira Dei manet super eum. Matth. tertio: Quis demonstrabit uobis, fugere à uentura ira? Separatio atque abiectio à Deo aeterna. Matthaei septimo, & uigesimo quinto capite, Discite à me, maledicti. Societas cum Diabolo et angelis eius, Matt. uigesimo quinto: Discite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ignis aeter-

nus, quem credibile est non tantum spiritualem, sed & corporalem futurum, cum tam saepe sic loquatur Christus. Matthæi tertio capite, Luca tertio capite, Paleas comburet igni inextinguibili. Marci nono: Bonum est tibi debilem introire in uitam, quam duas habentem ire in gehennam, in igne inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Matthæi 25. cap. Discedite in ignem æternum. Fletus & stridor dentium. Matthæi octauo, decimotertio, uigesimosecundo, uigesimoquinto capite. Luc. 13. cap. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tenebræ exteriores, Matthæi octauo, Filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Matthæi uigesimotertio capite: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Matthæi uigesimoquinto capite. Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Torqueri, & in perpetuo carcere uersari. Matthæi octauo capite, Venisti huc nos torquere ante tempus? Matthæi decimo octauo capite. Tradidit eum tortoribus. Videre iustos in regnum Dei transferri, se autem expelli. Luca decimo tertio capite, Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, uos autem expelli foras. Luca decimosexto capite, de epulone in inferno existente, inquit Christus, Eleuans autem oculos, uidit Abraham eminus, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meam, qui crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham: Fili, recordare quod receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruatur, tu uero cruciaris. Et super hæc omnia, inter nos & uos hiatus ingens firmatus est.

est, ut ij qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neq; inde huc transcendere.

Gradus suppliciorum fore, Christus indicat Matthæi decimo & undecimo capite. Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm uobis. Item: Terra Sodomorum remissius erit in Die iudicij quàm tibi. Matthæi uigesimotertio capite, Orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Lucæ duodecimo capite: Seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis, Qui autem non cognouit, & fecit digna, plagis uapulabit paucis.

Pœnas æternas & nunquam cessuras, insecuturas esse eos semel in infernum seu locum supplicij uenerint, ex hisce Christi dictis planum efficitur. Matthæi uigesimoquinto: Discedite in ignem æternum. Item: Ibunt hi in supplicium æternum, Marci nono. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Lucæ decimosexto capite, ait esse Chaos firmatum inter locum beatorum & damnatorum, ut neutra pars ad alteram possit transcendere. Item, negatur diuini in flammis infernalibus existenti, omnis recreatio. Matthæi decimosexto inquit Christus: Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Negat hic Christus, ullo precio animas damnatas redimi posse: loquitur de animabus detrimentum passis. Matthæi duodecimo, negat Christus peccata remitti in inferno, si non præfenti seculo contingat remissio.

Observatione dignum est, tantum duo loca à Christo designari, quo perueniant homines post mortem: nempe sinum Abrahamæ, & infernum. Lucæ decimosexto. Item Matthæi uigesimoquinto capite: Unus cætus recipitur in regnum patris,

COR

patris, alter ad ignem aeternum damnatur, ullius purgatorij mentionem Christus usquam facit.

DE VITA AETERNA, SEU
statu beatorum post
hanc uitam.

STatus beatorum post hanc uitam frequentissime appellatur uita aeterna, Iohannis tertio. sexto. & alibi. Alias uero regnum patris, Matthaei uigesimo quinto. Regnum caelorum. Matthaei quinto, sexto, septimo, decimono nono capitibus. Regnum Dei. Matthaei uigesimo primo. Regnum Domini. Matthaei uigesimo quinto. Sinus Abrahae, Lucae decimosexto capite. Paradisus, Lucae uigesimotertio. Aeternum tabernaculum, Luc. decimosexto. Domus patris Christi, Iohannis 14.

Quod autem alia post hanc uitam sit secutura, promissiones Euangelicae, loci de resurrectione, de extremo iudicio, & alij plures testantur. Matth. uigesimo quinto capite inquit Christus: Iusti ibunt in uitam aeternam. Reliqua testimonia in ceteris huius loci partibus recitantur.

Locum ubi pij sunt uicturi post hanc uitam, Christus uocat regnum caelorum. Matth. quinto capite: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Item merces uestra copiosa est in caelis. Item: Nisi abundauerit iusticia uestra, & c. non intrabitis in regnum caelorum. Matthaei octauo capite: Multi, & c. recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno caelorum. Matthaei decimonono. T alium est regnum caelorum. Alias regnum caelorum, Ecclesiam Dei in terris uersantem significat, ut Matthaei decimotertio, & alibi. Sed in citatis locis, significat, sedem beatorum post hanc uitam.

Qui

Qui uerò in aeterna uita sint futuri, ex Christi concioni-
bus manifestum est. Matthæi septimo inquit: Qui facit
uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in re-
gnum cælorum. Iohannis 3. 5. 6. capite, Qui credit in me, ha-
bebit uitam aeternam. Item, Nisi quis renatus fuerit ex a-
qua, & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Marci
decimosexto: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus e-
rit. Qui bonis operibus declarauit suam fidem: Matthæi ui-
gesimoquinto capite.

Quod autem ex omnibus gentibus ea congregatio sit fu-
tura, Christus hac sententia commonescit. Matthæi octa-
uo capite: Dico uobis, quod multi ab Oriente & Occidente
uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in
regno cælorum. Luca decimotertio capite: Videbitis Abra-
ham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei.
Item: Et uenient ab Oriente & Occidente & Aquilone
& Austro, & accumbent in regno Dei. Nulla hic præro-
gatiua locum habet, sicut testatur Matthæi uigesimo primo
capite: Publicani & meretrices (scilicet, qui egerunt pœ-
nitentiam) præcedent uos in regno Dei. Non tam mul-
tos in uita aeterna quàm in inferno futuros, Matth. septimo
capite, Angusta porta & arcta uia est quæ ducit ad uitam,
& pauci sunt qui inuenient eam.

Bona eius status post resurrectionem erunt, uita aeterna:
Iohannis tertio capite. Possessio regni patris, Matthæi ui-
gesimo quinto capite: Possidete regnum, quod uobis para-
tum est. Esse cum Christo, & uidere eius claritatem: Iohan-
nis decimosextimo capite. Pater, quos dedistis mihi, uolo
ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant claritatem
meam. Iohannis duodecimo cap. Vbi ego sum, ibi & mini-
ster

ster meus erit. Ioannis 14. cap. Iterum ueniam, & accipiam uos ad me ipsum: ut ubi sum ego, & uos sitis. Ego uiuio, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, quod ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Gaudium aeternum, Ioh. 16. Gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui. Societas aeterna cum Abraham, Isaac, Iacob, & omnibus sanctis, Matth. 8. Luca 13. Quae testimonia paulo antè commemorauimus. Merces operum & laborum. Matth. 5. Merces uestra copiosa est in caelis. Erunt autem & corpora beatorum clariora & ornatio ra quàm nunc. Matth. 13. Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum. Item Matth. 22. In resurrectione non nubent, neq. nubentur: sed sunt sicut angeli de caelo. Luc. 20. sic effertur: Illi uerò qui digni habebuntur seculo illo, & resurgunt ex mortuis, neq. nubent, neq. uxores ducent, neq. ultra mori poterunt: pares enim sunt angelis, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis.

Primæ partis finis.

A L.